Prosper Alpini ... De praesagienda vita et morte aegrotantium libri septem. In quibus ars tota Hippocratica praedicendi in aegrotis varios morborum eventus quum ex veterum medicorum dogmatis, tum ex longa accurataque observatione, nova methodo elucescit / Cum praefatione Hermanni Boerhaave post editionem alteram Leidensem, cujus textum recensuit, passim emendavit, supplevit, cittata Hippocratis loca accuravit, Hieron. Dav. Gaubius. Cum capitum & rerum duplici indice. Accedit Hieronimi Fracastorii de diebus criticis libello.

Contributors

Alpini, Prosper, 1553-1617.
Boerhaave, Herman, 1668-1738.
Gaubius, Hieronymus David, 1705?-1780.
Hippocrates.
Fracastoro, Girolamo, 1478-1553. De diebus criticis libellus.

Publication/Creation

Venetiis : Apud Dominicum Tabacco, 1735.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/vwuhvcnj

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30538907





PROSPER ALPINUS MAROSTICENSIS
PHIL. et MED. ac PROFESSOR MEDICINÆ PATAVINUS.

PROSPERI ALPINI

Ph. & Med. Dct. in Gymnasio PATAVINO *Med. Prof. Ordinarii*

DE

PRESAGIENDA VITA

ET

MORTE ÆGROTANTIUM

LIBRI SEPTEM.

In quibus ars tota HIPPOCRATICA prædicendi in ægrotis morborum eventus quum ex veterum Medicorum dogmatis, tum ex longa accurataque observatione, nova methodo eluceſcit.

CUM PRÆFATIONE

HERMANNI BOERHAAVE

Poſt Editionem alteram Leidenſem, cujus Textum recenſuit, paſſim emendavit, ſupplevit, cittata HIPPOCRATIS loca accuravit,

HIERON. DAV. GAUBIUS, M. D. & CH. L.

Cum Capitum & Rerum duplici Indice.

Accedit Hieronimi Fracaſtorii de Diebus Criticis Libello.

EDITIO VENETA CETERIS EMENDATIOR.



VENETIIS, MDCCXXXV.

Apud Dominicum Tabacco

SUB SIGNO SANCTI FRANCISCI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padoa.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approbazione del *P. F. Tommaſo Maria Genari Inquiſitore* nel Libro intitolato: *Proſperi Alpini Ph. & Med. Doct. in Gimnaſio Patavino Med. Prof. Ord. De Præſagienda Vita, & morte Ægrotantinm libri Septem* non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario Noſtro; niente contro Principi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza a *Domenico Tabacco Stampatore*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl' ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padoa.

Dat. 14. Gennaro 1735.

(Z. Pietro Paſqualigo Rif.
(Michiel Moroſini K. Rif.

Agoſtin Gadaldini Segretario.

NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova.

A Vendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approbazione del P. F. Taumaso Maria Ge-nari Inquisitore nel Libro intitolato: Prolperi Alpini Pb. & Med. Doct. in Gymnasio Patavino Med. Prof. Ord. De Praesagienda Vita, & morte Aegrotantium libri Septem non v'ester cosa alcuna contro la Santa Fe-de Cattolica, e parimente per attestato del Se-gretario Nostro niente contro Principi, e buoni costumi, concedemo licenza a Domenico Tadeo Stampatore, che poss'esser stampato, osservando gl' ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 4. Gennaro 1731.

(Z. Pietro Pasqualigo Rif.
(Michiel Morosini K. Rif.

Agostin Gradenigo Segretario.

Illuſtriſs. atque Excellentiſs. Viro

LUDOVICO RANGONI

Spinalamberti, Turris, Gurzani, Caſtrinovi, Campilj, Denzani, Rurisblancæ & Roſolæ

DOMINO;

Cordignani, Sancti Caſſiani Comiti præſtantiſſimō, Arcisblancæ, Fontaneli, Tolavoli, atque Stamni Marchioni ampliſſimo, Domino meo clementiſſimo.

Mirabitur fortaſſe quiſpiam, quid ſit, cur ego, Vir amplſſime, quum Proſperi Alpini, Maroſticenſis Medici, & in Patavino Lycæo Profeſſoris quondam cele-

celeberrimi, Libros de præſagienda ægrotorum vita & morte utiliſſimos Venetiis imprimendos curaverim, eos Tibi, Vir nobiliſſime, ac præſtantiſſimo Nomini Tuo potiſſimum inſcriptos velim. Mirari tamen facile deſinet, quiſquis rationem noverit ſuſcepti conſilii mei, eumque eſſe me, qui quum ab ineunte ætate ſemper fuerim Familiæ tuæ nobiliſſimæ addictus atque obſequentiſſimus, eidemque ſemper ac Tibi a D. O. M. precatus ſim precerque felicitatem, vellem equidem modo, *ſi parva licet*, ut ille ait, *componere magnis*, Tibi uni, Vir clementiſſime, deque omnibus ac de me præſertim optime merite, exiguum aliquod memoris animi, perpetuæque obſervantiæ erga Te meæ relinquere monumentum. Qua quidem in re non multis te morer, Vir ornatiſſime; multa. n. verba quum imperitum dedecent hominem, tum Viros principes, quos magna decent atque alta ſemper, neque eſſe multis detinendos cenſeo, neque ab ignaro laudandos homine, qui contenti virtute propria & virtutis lumine, omniumque hominum digni laudibus, a nullo poſſunt ſatis digne laudari. Patere igitur libentiſſime, me præterire conſulto, quæ

norunt

norunt omnes, quæque ſolent exornare alii multiplici genere monumentorum, Familię nempe vetuſtiſſimæ originem ubique celebrem, nobiliſſimi claritatem generis, prę-clariſſima Majorum Tuorum decora atque ornamenta, quæque ipſi in bello ac pace, terra marique, domi ac foris, fortiter ſapienterque geſſerunt; patere, præterire me togas, ſaga, chlamydes, pileos infulas, purpuras, & reliqua omnia inſignia laudum innumerabilia, quæ quidem, etiamſi nullæ extarent hiſtoriæ, nullæ litteræ, fama tamen ipſa ac poſteritas loqueretur. Non mihi, Vir magnanime, perveſtiganda omnis antiquitas, non præterita ſæcula repetenda, nec renovanda quæ nota omnibus, & litteris commendata ſempiternis; utinam poſſem dicere quicquid eſt Tuum, quod ſane tantum eſt, ac dignum tanta gloria, nemo ut poſſet quæ Tibi uni debentur, vel ſoluta, vel adſtricta numeris oratione complecti. Mihi itaque, qui Te norim omni laude digniſſimum, ſimque impar tanto oneri, liceat nunc hujuſmodi dicendi genere ſuperſedere; Te vero Dominum meum clementiſſimum perpetuo colere ac revereri, dum vivam, quodque unum licet, præſtare ac pollice-

ri, Tuorum erga me meritorum memoriam ſempiternam. Quod ſi divinæ omnes animi Tui dotes geſtiunt ubique in gentium univerſarum commodum redundare, quid ego orem obteſterque Te, Vir humaniſſime, niſi ut humili tenuique homini liceat diu perfrui benigniſſimo patrocinio Tuo? Non ut leve, Tuoque indignum Nomine reſpicias munus, ſed potius offerentis animum, atque a Deo enixe precantis, ut beneficentiſſimum Virum, Patronum optimum, cupientemque in dies ſingulos prodeſſe publice, per longam annorum ſeriem bonis omnibus vota facientibus ſervet incolumem.

Humiliſs. atque obſequentiſs. famulus
Dominicus Tabacco.

MEDICÆ ARTIS PRINCIPI,

HERMANNO BOERHAAVE,

FAUTORI SUO ÆTERNUM VENERANDO,

HIERONYMUS DAVID GAUBIUS

PERPETUAM FELICITATEM.

Maximo, quod apud Te, VIR CELEBERRIME, isthic ALPINI liber habuit semper, & etiamnum habet, ponderi junge immensam Tuorum erga me meritorum molem: Sic momenta cognoveris, quæ, hanc ut novam ejus editionem Tibi potissimum dedicem, me induxere. Te profecto Auspice his primum in oris lucem Ille vidit. Te commendante distractus est avidissime. Te adhortante ejus, jam alterum proditurî, in me curam suscepi. Quid ni Illustris adeo Patroni præ se ferat Nomen cliens? Sed vel prægnantior multo, alia, quæ ad me attinet, ratio id ipsum postulat. Tanta enim est Tuorum in me benefactorum magnitudo; ut dulcissima horum recordatione memet oblectans, sæpe dubitem, anne vel ipsis Parentibus meis plus debeam, quam Tibi? Quum vero acceptis paria unquam referre me posse, non nisi insanus sperarem; eo tamen adnitendum mihi fore credidi, ut aliquando perpetuum justissimæ gratitudinis, summæque erga Te reverentiæ meæ, monumentum palam statuam: cui equidem, si ullo tempore, hodie certe optatissimam nactus prehendo occasionem. Immortali quippe, & omnium manibus tritissimo id insculptum libro & propalabitur latissime, & delebitur nunquam: quorum utrumque in votis est.

Tu igitur, Fautorum Maxime! quod mente Tibi devotissima sacratur, æquo id animo velim accipias. Vive diu, quam felicissimus! Dumque, quo nobis datus es, cœlum Te manet, serus saltem eo redi! Iterum vale. Dabam Leydæ 17 $\frac{27}{9}$ 32.

LECTURO

HIERONYMUS DAVID GAUBIUS,

S. P.



Quanto ſe uſu commendet in Artis Medicæ exercitio, PROSPERI ALPINI hocce ſcriptum, novit, qui argumenti gnarus illi legendo dedit operam: ſed nec latere ipſum poteſt, quot quantiſque paſſim vitiis, quacumque demum culpa commiſſis, ſcateant, quotquot has in oras pervenerunt, ejus editiones. Enata hinc intelligentiæ obſtacula fructuum inde colligendorum & copiam minuunt & dulcedinem. Quam equidem rem uti dolui ſemper, ita tandem, vel in privata dumtaxat commoda mea, ipſi, quouſque poſſem, mederi, mecum conſtitui: utpote qui, Hippocratis lectioni intentus, Alpinum mihi elegeram pro indice, in quem loca, de præſagio in morbis occurrentia, ad ſuos quæque titulos referrem. Dum ergo hoc agenti plurima inibi, errorum nube obfuſcata, ſponte illucebant; hæc ſimul corrigendo, tacite quaſi voti reddebar compos, Alpinum nactus ſatis emaculatum, meoque deinceps uſui pulchre adaptatum. Interea temporis novam ejus parat editionem Bibliopola; qui, quum præter unicum, idque & mutilum, de priore editione exemplar nullum poſſideret, meum ipſi ut commodare velim rogat. Annuo: do: evolvit Ille; curas videt meas, novæque editioni ſuæ adjungi optat, perfectioni quippe operis inſervituras autumans. Celeberr. D. BOERHAAVIUM uterque id conſultum imus: probat & Hic propoſitum. Ita Hoc incitante, Illo rogante, inopinato adducor, aliunde ſatis occupatum hunc hominem novo ut labore onerem. En L. B. bona fide, quo caſu tota res contigerit. Nunc quæ præſtiterim, audi: Mendas, quotquot obſervavi, bene multas & graves correxi, ut potui: hiatus aliquot, mihi viſos, replevi: citata

Hippocratis loca, juxta editionem Hujus Foeſianam, noviſſimam, utpote ceteris fere magis hodie pervulgatam, accuravi: quæ vero ex Galeno, aliiſve allegantur, non attigi; plus enim hæc, quam quo fruor, exegiſſent otii.

Quoniam vero, quo tempore manum ego primum admovi operi, aliqua jam ejus pars binis ſub prælis ſudaverat, quam abjici, & correctam de novo imprimi, haud patiebatur ſumtuum magnitudo; inde factum, hæc ut talis fere permanſerit, qualis fuerat ante. Habetur autem a pagina prima ad 57mam uſque, in primo Alphabeto: in ſecundo vero a pag. 185. uſque ad 209. Interim ne quid deſiderari tamen poſſet, quæ hac in parte corrigenda & addenda fuiſſent, in peculiares quaſdam pagellas, indici præfixas, conjecimus. Ea igitur L. B. facili negotio, inter legendum, ad ſuos quæque locos, ſi ita videbitur, transferre poteris. Vale, & labores hoſce meos in Tua commoda converte. Dabam Lugduni Batav. 17 $\frac{27}{9}$ 32.

TYPOGRAPHUS VENETUS

LECTORI.

IN hac noſtra Editione ne quid deſideres, benigne Lector, te præmonitum volumus, quæcumque Hieronymus David Gaubius vel corrigenda, vel addenda, ait, ſe in peculiares quaſdam pagellas, indici præfixas, conjeciſſe, ea a nobis omnia ad ſuos quæque locos diligentiſſime fuiſſe translata. Vale.

AD LECTOREM

P. S.

BIna adhuc, præter ante dicta, monendus es L. B! quæ, opere jam impreſſo, demum incidere. Horum prius eſt, quod huicce editioni, in ornamentum ſingulare, Auctoris præfixerim effigiem. Qui ſtupendam ALPINI eruditionem tam vivide exprimit liber, quidni Ejuſdem & in fronte gerat imaginem? Eam vero (quod publicum hic ſtet gratiſſimi pro tanta liberalitate animi mei monumentum (eximiæ debeo munificentiæ Viri incomparabilis, D. JOANNIS BAPTISTÆ MORGAGNI, eodem in Gymnaſio, in quo ALPINUS olim, Profeſſoris longe celeberrimi: quippe qui, litteris ſollicitatus, exemplum, juxta tabulam a nobili Pictore, *Leandro Baſſano*, exaratam, deſcriptum, mihi tranſmittere haud eſt dedignatus. Expreſſit hoc Chalcographus noſter, quam poterat fieri, fideliſſime. Interim ne datam a *Thomaſino* in *Illuſtrium Virorum Elogiis*. ALPINI effigiem cum hac mea conferens, animadverſa diſſimilitudine hæſites: ſcias velim, illam ſenis eſſe, ætate vero florentis meam: id enim ex datis ſimul a CL. MORGAGNO ad me epiſtolis mihi conſtitit: utpote commemorantibus, in Tabulæ deſcriptæ tergo, majoribus olim conſignata litteris, adhuc legi ſequentia.

AN-

AN. A VIRGINIS PARTU MDLXXXVI

MEN. FEBRUARIO

LEANDER BASSANUS PROSPERI

ALPINO MEDICO, QUUM STATIM

EX EGYPTO BASSANUM

VENERIT, GRATO ANIMO

EFFIGIEM ITA EGREGIE

GALIDAM OB AMICITIAM

PINXIT

AN. SUÆ ÆTATIS

XXXI.

Quæ quidem inſcriptio, licet nonnullibi mendoſa, ætatis tamen ALPINI tum temporis index, ante dictis fidem facit.

Alterum eſt, L. B. quod, Tua in commoda, Vir quidam Doctiſſimus, Praxin hac in Urbe Medicam exercens feliciſſime, rerum, hoc in opere tractatarum, compendia pagellarum marginibus, Idemque & indicem adſcripſerit locupletiorem. Ita, dum ſuum tribuo cuique, haud videbor Tibi, alienis velle plumis ſuperbire. Iterum vale.

MEDICINÆ CULTORIBUS

HERMANNUS BOERHAAVE.

S. P.

AD condendam medicinam requiri accuratam primo eventuum hiſtoriam, deinde vero ſeverum ex illa ratiocinium, cenſent omnes, quibus accuratius introſpicere in diſciplinæ hujus indolem umquam placuit. Qua autem lege, ex idonea experimentorum copia, diſputatione rationis proficere quis poſſit, olim indicare conatus fui, quum de vi ratiocinii mechanici in Medicina publice diſſerui. Qua vero via experimenta capere, vel jam capta diſcere, quis poterit, in commendatione ſtudii Hippocratici longe prius dixeram. Eſt enim HIPPOCRATES unus fere, penes quem ſilva reperitur obſervationum earum, quæ ad artem pertinent. Utinam, qui collegit accurate, ordinatim digeſſiſſet. Sed properum Viri fatum obſtitit, ne tam ſperatum abſolveret opus. Incubuere dein ſupplendo huic defectui illuſtres in Arte Viri, quos inter LUDOVICUS DURETUS excellit, & eo vel major forte PROSPER ALPINUS. Prior in immortali mehercle ſcripto ad Coaca Hippocratis, poſterior in abſolutiſſimo, quod vobis jam offertur, opere. Ego ſane, poſtquam prima id vice evolveram, judicavi meliorem in Medicos uſus librum alium vix inveniri; nullum ergo Medicinæ Studioſis magis commendandum eſſe. Quum vero rariſſimi libri ingens eſſet penuria, exarandum denuo curavi juxta exemplar, quod poſſidebam, editionis Francofurtenſis. Id autem quum verborum, ſententiarum, citationum, mendis ſcateret adeo, ut ſenſus Auctoris vix ſibi conſtaret, nec mihi curandis his vel minimum ſupereſſet otii, quærendus fuit, qui id in ſe ſuſciperet oneris. Hoc autem, grave licet & plenum tædioſi laboris, ſibi imponi paſſus eſt RUDOLPHUS DYKER Embdanus, ingenio, induſtria, eruditione & modeſtia ornatiſſimus, Medicinæ ut nunc ſumma cum laude Candidatus, ita brevi, Deo dante, ipſe magno hominum bono futurus Medicus. Atque idem ille feliciſſimo ardui laboris ſucceſſu rem optime abſolvit. De eo autem & gaudeo impenſe, & Vobis gratulor, probe gnarus, dignius hoc opus raro exiviſſe in lucem. Valete. Lugd. Bat. 22. Sept. MDCCIX.

ILLU-

ILLUSTRISSIMIS AC SAPIENTISSIMIS

SENATORIBUS, JACOBO FOSCARENO

Equiti, & Divi Marci Procuratori,

HIERONYMO CAPELLO

ATQUE

JOANNI DELPHINO

Equiti, & Divi Marci Procuratori,

Triumviris Litterariis,

PROSPER ALPINUS

S. D.

INter partes, quæ artem Medicam perficiunt, Viri Illustrissimi, ea, quæ occultarum morbos continentium causarum notitiam per signa exhibet, perinde ac Imperatori hostium insidias, Medico morbos maligne ingravescentes detegit, præteritasque molestias ægro non referente aperit, præsentia cernit, de vita & morte, deque longitudine ac brevitate morborum multo antea prænoscere docet, atque demum hominem prædictionibus, quasi oraculis, auctore Hippocrate Coo, admiratione dignum reddit, ab omnibus plurimum commendatur, ac veluti divinum quoddam suspicitur. Neque immerito sane, quum Medici hanc artem perdocti, veluti Dii oracula hominibus, ita morbos futuros prædicant, ægrotorumque salutem atque exitium ante prævideant, ac non minus, quanto tem-

pore hæc futura Hippocrates Cous peſtilentiam ab Illyriis venientem prædixit, & diſcipulos ad opem ferendam in varias urbes dimiſit; cui illos honores, quos Græcia Herculi, propter ejus merita contulerunt. Libros ſcripſit Prognoſticorum, Morborum Epidemiorum, ac, uti aliis viſum eſt, etiam Prorrheticorum, & Coacorum præſagiorum, quibus tota prædicendi ratio Medicis innoteſcit: In quibus quidem Hippocratem, quaſi divinam naturæ mentem, loquentem audire licet. Quamobrem Eudemus olim Romanus & Senator & Philoſophus prædictionem a Galeno ſibi arte Hippocratica proditam maxime eſt admiratus, ita ut poſtea, ſicuti Galenus prædixerat, ſanatus, amicis alta voce clamando dixerit: Pythium Apollinem vaticinari ægrotantibus voluiſſe per os Galeni. Quibus ſane conſtat, hanc Medicinæ partem Græcis prognoſin dictam, ceteris nobilitate ac præſtantia eſſe anteponendam, Mediciſque ſplendorem multum & ornamentum afferre, & ad Medicinam faciendam eſſe ſcitu neceſſariam. Etenim quis quæſo occultis morborum cauſis per ſigna haudquaquam cognitis, naturæque morbo adverſantis ſtatu, ac humorum motibus ignoratis, ægrotis opportuna præſidia adhibere poterit? Hinc fit, ut Medici hujus artis ignari, ejuſdem naturæ ſtatum, humorumque motus in ægrotis minus accurate obſervantes, ſæpius ipſis intempeſtivo ac inopportuno medicamentorum uſu, aut impediendo, aut intercipiendo, utiles naturæ progreſſus, exitium inferant. Ego itaque eximia hujus partis Medicinæ utilitate, præſtantia ac nobilitate perſuaſus, quum multos annos huic ſtudio incubuerim, quum in variis, & regionibus & locis, varios morborum caſus atque eventus, tum apud præcipuos Medici-

næ Scriptores obſervaverim, opus ad medicum præſagium maxime faciens compoſui, in quo de morbis prę-videndis, de longitudine & brevitate morborum cognoſcenda, de pręteritorum ſymptomatum cognitione, deque pręſagienda vita & morte ęgrotantium, ſatis accurate egi. Ac demum quum ultimam hujuſce operis partem, ſeptem libris diſtinctam, de præſagienda quippe vita & morte ægrotantium inſcriptam, multorum perſuaſione in lucem edere conſtituerim, idque libenter, ne Medicinę ſtudioſi hoc etiam ad medicinam faciendam commodo carerent, extemplo vos Senatores Ampliſſimi mihi in mentem occurriſtis, quibus hoſce meos labores devotiſſime offerrem, ac dedicarem: primum, quoniam hoc opus, quod partem Medicinæ prope divinam (divinum enim videtur, Medicum ęgrotos vel morituros, vel ſanitatem recepturos, antea prænoſcere, atque prædicere) complectitur, ſua nobilitate ac præſtantia non indignum etiam Ampliſſimorum Senatorum benignitate mihi ſit viſum. Addo mihi jamdiu fuiſſe in optatis, ut me Vobis, Triumviris Litterariis Sapientiſſimis, poſſim aliquando honoris, ac beneficii olim ſuſcepti memorem declarare. Quippe qui, nedum lectionem medicamentorum, vulgo ſimplicium vocatam, (quæ naturalium omnium vel plantę ſint, vel animalia, vel foſſilia, ad uſum medicinæ facientium hiſtoriam docet, vireſque ac uſus omnes ad medendum, quod ipſum recte mederi eſt) ſtudioſis Medicinæ merito maximi faciendam, quod abſque medicamentorum notitia, neque ullus Medicus, neque ars ipſa Medica umquam eſſe potuerit, in ſtudio Patavino omnium celeberrimo, mihi interpretandam detuleritis, ſed etiam eam ordinariam in eodem ſtudio, ut majori quoque honore, majori veſtra benevolentia decoraret, declaraſtis, quod honoris

noris & ornamenti huic lectioni alias numquam fuit tributum. Merito itaque hoſce Libros de nobiliſſima ac fere divina Medicinę parte nunc in publicum evulgandos vobis Senatoribus humaniſſimis (quorum magnificentiam, ſapientiam, juſtitiam, humanitatem, prudentiam, omnes nationes maxime admirantur, venerantur, ſuſpiciunt) dedicandos duxi. Ut ea ratione quandoque etiam appareat, quantopere iſtius Patavini Gymnaſii Medicinæ ſtudioſis utile foret, ac quantum ejuſdem ſtudii ornamentum, atque perfectio augeretur, ſi una cum aliis partibus Medicinæ hæc una quoque ad prognoſticum pertinens, ceteris nobilior, omnino Medicis neceſſaria publice in eodem Gymnaſio doceretur. Qui non avidiſſime audirent libros prognoſticorum Hippocratis, atque libros morborum Epidemiorum? Illos tamquam prædicendi rationis præcepta continentes, atque hos tamquam caſus peculiares, in quibus ſtudioſi ad prædicendi praxin ſeipſos exerceant. Undique (auderem affirmare) Medicinæ ſtudioſi Patavium confluerent, ut præter alias Medicinæ partes prognoſis quoque ad Medicinam ſummæ utilitatis, ac ſplendoris facultatem, quæ olim a primariis Medicis jure merito in hoc ſtudio tractabatur, intelligere poſſent. Interim Viri Illuſtriſſimi hoſce Libros, Vobis a me devotiſſime dicatos, hilari ac perbenigno vultu accipite. At ſi quid ex ipſis ornamenti ad artis Medicæ ſtudioſos ac commodi aperiatur in hoc veſtro diſciplinarum omnium emporio, denuo vel reſtituendum, vel potius inſtaurandum, ſummæ prudentiæ veſtræ judicium eſto. Deum Optimum Maximum precor, ut Vos & Reipublicę veſtræ feliciſſimæ, & huic Patavino Gymnaſio perpetuis annis tueatur incolumes & fortunatos. Patavii. Anno ſalutis humanæ MDCI. die 15. Menſ. Februar.

PROS-

PROSPER ALPINUS LECTORI OPTIMO.

QUUM *in editione Librorum de Medicina Ægyptiorum ſtudioſis Medicinæ pollicìti fuerimus, Libros quoque noſtros de medico præſagio conſcriptos nos in lucem edituros, poſteaque multis Viris celeberrimis, quibus alii noſtri labores alias evulgati haud ingrati exſtiterunt, hortantibus, ac rogantibus, quum promiſſis ſtandum eſſet, non potuimus, neque debuimus ipſorum deſiderio plane non obſequi. Unde quum ſcripſerimus primo de morbis prævidendis, mox de præteritorum ſymptomatum cognitione, tertio de longitudine & brevitate morborum, atque demum de præſagienda vita & morte ægrotantium, ex quatuor partibus totum hoc opus, ad Medicum præſagium attinens, perficientibus, eam, quæ in morbis ægrotantium vitam & mortem prænoſcere docet, ſeptem libris diſtinctam primum publicandam conſulto duximus. Quos libros propter ipſius eximiam ad Medicinam faciendam utilitatem, tum quod a multis maxime expeti intellexerimus, tum etiam, quod libros de hac quidem prædicendi parte proſecutos in promtu magis, ut typis committi poſſent, habuerimus, eo libentius nunc in lucem prodire permiſimus. Itaque, optime Lector, hos interim legito, recte conſulito, reliquoſque libros de aliis prognoſis partibus conſcriptos propediem exſpectato. Atque noſtram fortaſſe Medicinam alias methodico modo informatam.* Vale.

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la fede di Reviſione, ed Approbatione del P. *F. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitore* nel Libro intitolato *Proſperi Alpini Philoſophiæ, & medicina Doctoris in Gymnaſio Patavino: De Præſagienda vita, & morte Ægrotantium, Libri Septem* non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro; niente contro Prencipi, e buoni Coſtumi, concedemo Licenza a *Gio: Battiſta Adami Stampatore*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. 11. Ottobre 1734.

(Andrea Soranzo Proc. Refor.
(
(Lorenzo Tiepolo Cav. Proc. Refor.

1734. 22. Gennaro.
Regiſtrata nel Magiſtrato Eccellentiſs. alla Beſtemia
Angelo Legrenzi Segretario.

Agoſtino Gadaldini Segretario.

IN-

INDEX OMNIUM CAPITUM,

Quæ in hoc opere continentur.

LIBER PRIMUS.

CAP. I. EX quibus Medici in ægrotis ſalutem & mortem prænoſcant. Pag. 3

II. De cognoſcendis naturæ viribus, atque in primis, ex quibus ipſarum quum robur, tum imbecillitas dignoſcatur. 6

III. De facultatum actionibus robuſtis cognoſcendis. 9

IV. De naturæ actionibus debilibus cognoſcendis, & primo ex animalis facultatis ſymptomatis. 12

V. De actionibus debilibus facultatis vitalis ex ipſius ſymptomatis cognoſcendis. 17

VI. De debilibus actionibus facultatis naturalis ex ipſius ſymptomatis cognoſcendis. 19

VII. De cognoſcendis morborum viribus, atque in primis ex quibus ipſorum quum robur, tum imbecillitas cognoſcatur. 24

VIII. De morbis debilibus ex morborum Idea, magnitudine, atque more, cognoſcendis. 27

IX. De morbis debilibus ab ipſorum cauſis cognoſcendis. 29

X. De morbis natura potentioribus ex Idea, magnitudine atque more cognoſcendis. 32

XI. De morbis natura potentioribus ab ipſorum cauſis cognoſcendis. 34

XII. De futuri morborum ſtatus, ſeu vigoris, cognitione ad prædicendi rationem. 40

XIII. De ſalutis ac exitii prognoſtico ex morborum futuri ſtatus cognitione. 45

XIV. Ex quibus morbos ſalutares ac exitiales nonnulli cognoſcant. 47

LIBER SECUNDUS.

CAP. I. DE quibus in toto opere ſit agendum. 53

II. Quid de mente conſtare in morbis ſignificet. 54

III. Quid ſit mente non conſtare, qualibuſque ſignis, quum præſens mentis inconſtantia, tum futura prænoſcatur, & de deliriorum differentiis atque cauſis. 55

IV. De ſalute a deliriis prædicenda. 62

V. De morte a deliriis prædicenda. 65

VI. Quid fatuitas & oblivio in morbis ſignificet. 70

VII. De prædictione ab externis ſenſibus. 72

VIII. Quid in morbis ægrotos non videre, tenebricoſam viſionem, viſus obſcuritatem habere, ſplendoreſque oculis apparere, atque oculos lucem ferre non poſſe ſignificet. 73

IX. De ſurditate in morbis acutis. 74

X. De timitu aurium in morbis acutis. 77

XI. Quid fœtores in morbis, quidque cibos potuſque graveolentes inſipidos, vel mali ſaporis ægrotis videri ſignificet. 78

XII. Quid ſtupor, ſeu torpor, & ſenſus factus deperditus ſignificet. 79

XIII. De prædictione ex corporis caliditate 81

XV. De prædictione ex frigiditate extremarum partium. 85

XVI. De caloris ad frigus, & frigoris ad calorem in corporibus acute ægrotantibus mutatione. 89

XVII. De prædictione ex humidita-

te

te corporis & ſiccitate. 91
XVIII. De prædictione ex doloribus, qui in acutis morbis obſervantur. ibi
XIX. De doloribus ſalutem prædicentibus. 93
XX. De doloribus exitium prædicentibus. 96
XXI. De prædictione ex laſſitudinibus. 100
XXII. De vigilia, quidque ipſa in morbis præſagiat. 102
XXIII. Quid ſomni in morbis præſagiant. 105

LIBER TERTIUS.

CAP. I. QUantum ad prædictionem cognitio motricis facultatis medicis conducat. 112
II. De prædictione ex decubitu, & primo de optimo, qui ſalutem præſagit futuram. 113
III. De malo decubitu in acutis morbis, exitium denotante. 114
IV. Quid inquietatio, & anxietas, ſeu jactatio in acutis morbis ſignificet. 117
V. De prædictione ex tremoribus. 121
VI. De palpitationibus, quidque in morbis præſagiant. 124
VII. De convulſionibus, quidque in morbis præſagiant. 126
VIII. Quid convulſiones in febribus acutis ſignificent. 134
IX. Quid ſingultus in morbis prædicunt. 139
X. De rigoribus, atque quid in morbis ſignificent. 142
XI. De horroribus & ipſorum prædictione. 148
XII. De prædictione a torporibus in paraplegiis. 150
XIII. De prædictione ex aphonia, id-eſt, vocis interceptione, nec non ex aliis vocis differentiis. 152

LIBER QUARTUS.

CAP. I. QUantum vitalis facultatis cognitio ad venandum in ægrotis prognoſticum conducat. 158
II. Quid pulſus ſit, atque quot generibus pulſus omnes comprehendantur. 159
III. De cauſsis pulſuum, & quales pulſus robuſtam facultatem & quales imbecillam indicent. 163
IV. De pulſibus ſalutem & exitium indicantibus. 166
V. Cur pulſus in quibuſdam febribus exitioſis appareant, aliquando recte valentium ſimiles. 167
VI. De prædictione ex reſpiratione, quidque primo ipſa ſit, atque quot ipſius differentiæ obſerventur. 171
VII. De cauſsis reſpirationis. 173
VIII. Quid bene & male ſpirare in morbis ſignificet. 175
IX. Quid reſpiratio magna velox, magna tarda, parva velox, parva tarda & magna frequens, magna rara, in morbis ſignificet. 177
X. Quid reſpiratio parva frequens, parva rara ſignificet. 179
XI. De reſpirationibus exitialibus, quæ in moribundis fiunt. ivi
XII. Quæ a naturalis facultatis cognitione ad intelligendam præſagii rationem, ſit utilitas. 183
XIII. De appetentiæ ſymptomatis ad prædicendi rationem. 184
XIV. Quid cibi, & potus optima appetentia in morbis ſignificet. 186
XV. Quid in morbis ciborum appetentia prorſus ſublata ſignificet. 187
XVI. Quid ſitis intenſa in acutis morbis ſignificet. 189
XVII. Quid ſitis ſublata, ſeu non ſitire ſignificet. 190

LIBER QUINTUS.

CAP. I. DE partibus corporis, quarum obſervatio facit ad prædicendi rationem. 193
II. Quid corpus benevalenti ſimile, & diſsimile in morbis prænuntiet. 194
III. Quid in morbis corporis emaciatio ſeu extenuatio, & quid ejuſdem partes tumefieri ſignificet. 297
IV. De prædictione ex coloribus corporis ægroti. 198
V. Quid morbus regius in morbis prænuntiet. 202

VI. De prædictione ex faciei mutatione in morbis. 206
VII. De prædictione ex oculis. 209
VIII. De prædictione ex genis, auribus, naſo, labiis, atque dentibus. 219
IX. De prædictione ex linguæ obſervatione. 222
X. De prædictione ex faucibus & dorſo. 227
XI. De prædictione ex hypochondriis, & primo de iis, quæ ſalutem ſignificant. 228
XII. De malis hypochondriis, quæ mortem in acutis morbis præmonſtrant. 230
XIII. De prædictione ex ignobilibus partibus corporis. 235
XIV. De prædictione in acutis morbis ab extremis partibus. 236

LIBER SEXTUS.

CAP. I. DE quibus ſit agendum in hoc libro, ac primo de prædictione ex coctione atque cruditate excrementorum. 238
II. De prædictione ab excretionibus. 241
III. An ante concoctionem excretiones ſint bonæ atque utiles. 244
IV. De diebus decretoriis ad prædictionem facientibus. 250
V. De prædictione a diebus decretoriis. 255
VI. Quid Criſis ſit, quotuplex & quomodo fiat. 257
VII. De morbis qui per criſim terminantur, & de iis, qui abſque criſi finiuntur. 259
VIII. De ſignis criſes futuras ſignificantibus. 261
IX. De criſibus ſalutaribus, quæ certam ſalutem ſignificant, cognoſcendis. 265
X. De criſibus ſalutaribus, quæ tamen neque fideles, neque certæ perpetuo ſunt. 269
XI. De criſibus exitialibus cognoſcendis. 272
XII. De cognoſcendis criſibus, quæ per abſceſſus, & quæ per excretionem ſunt futuræ. 277
XIII. De prævidenda criſi per ſanguinis eruptionem ſeu fluxum. 280
XIV. De criſi, quæ fit per ſanguinis fluxum, quum ab utero, tum ab hæmorrhoidibus. 286
XV. De cognoſcenda criſi, quæ per vomitum fit. 287
XVI. De ſignis criſium per ſudores atque per urinas copioſiores futurarum. 289
XVII. De ſignis criſium per alvi fluxionem. 291
XVIII. De ſignis compoſitarum, ſive multarum, ſimul criſium futurarum, quibus morbi judicantur. 292
XIX. De tempore criſium, ideſt, quo nobis ſunt futuræ. 294

LIBER SEPTIMUS.

CAP. I. DE particularibus humorum excretionibus ad prædictionem eſſe agendum. 300
II. De prædictione a ſalubris ſanguinis excretione. 703
III. De malis exitialibuſque ſanguinis eruptionibus. 307
IV. De ſanguinis excretionibus paucioribus, ſtatim deſinentibus, atque de ſtillis ſanguinis e naribus, quidque in morbis acutis præſagiant. 309
V. De prædictione ex ſudoribus, & primo quid ſudor, quotuplexque ſit, & de ipſius cauſis. 311
VI. De bonis ſalutaribuſque ſudoribus, ſalutem in ægrotis prænuntiantibus. 313
VII. De malis pernicialibuſque ſudoribus, exitium portendentibus. 316
VIII. De prædictione a vomitibus, & primum de ſalutaribus. 234
IX. De vomitibus exitioſis, mortem præmonſtrantibus. 326
X. De alvi dejectionibus, & primo de iis, quæ ſalutem prænuntiant. 329
XI. De malis alvi dejectionibus, quæ exitium ægrotis prænuntiant. 332
XII. De prædictione ab urinis, quid ſit urina, quomodo fiat, atque quantum faciat ad prædicendi methodum. 338
XIII. De variarum urinarum cauſis. 340

XIV. De bonis urinis ſalutem prenuntiantibus. 347
XV. De malis urinis mortem prænuntiantibus. 350
XVI. De prædictione ex ſputis, & primo, quid ſit ſputum, quas partes læſas denotet, differentiæ, & cauſæ. 358
XVII. De ſputis bonis, ſalutem prædicentibus. 363
XVIII. De malis ſputis exitium prædicentibus. 364
XIX. De prædictione in ſuppuratis. 370
XX. Quid in morbis acutis Cerchnon, vulgo ranticum, ſignificet. 374
XVI. De prædictione ab abſceſſibus. 375

PROSPERI ALPINI MAROSTICENSIS

Philoſophi & Medici in Gymnaſio Patavino Medicamentorum Simplicium Profeſſoris Ordinarii,

DE PRÆSAGIENDA VITA & MORTE ÆGROTANTIUM.

LIBER PRIMUS.

PRÆFATIO.



DEam Medicinæ partem explicandam aggredimur, quę quomodo de ægrotantium ſalute & morte præſagiendum ſit, docet. De quaob eximiam ad Medicinæ ſtudioſos utilitatem, atque commodum, accurate nunc agendum duximus. Etenim hæc prædicendi ratio non minus Medicis, quam ægrotis plurimum emolumenti afferet. Hi quidem de ipſorum futura ſalute Prognoſticum audientes, facilius, ac propenſius Medicorum præceptis obediunt, ac exinde tutius & citius priſtinam ſanitatem recipiunt. Illi vero prævifis ea arte ſymptomatis, quibus ægroti ſunt vexandi, facilius medicamentis occurrunt. Ex quibus morborum probe cognita ac perſpecta natura, curatio qualis recte profutura ſit, intelligunt; atque etiam (quod maximum curatricis Medicinæ partis eſſe exiſtimo) neglecta morborum prædictione, proba quidem vivendi ratio illis minime inſtitui poteſt. Ipſius enim inſtituendæ rationem ex ſingulorum morborum temporum, omniumque

Prognoſtici ſumma utilitas.

maxime ſtatus, prænotitione pendere, Galen. *in lib. 1. cap. 3. de Criſibus* hiſce verbis prodidit: *Generoſi autem Medici atque arte Hippocratica digni eſt officium, futurum ſtatum prognoſcere, quum omnem victus rationem ad ipſum inſpiciens, inſtituat. Eadem ratione principium morbi, atque augmentum, non ubi jam perfecta ſunt, cognoſcere, ſed multo antea præſtabit prænoſcere.* In hac prædicendi parte olim Galenus poſt unum Hippocratem, a quo artem didicit, maxime claruit. Cujus ſane illuſtria multa præſagiorum exempla in ejus libris leguntur.

Quid de illo præſagio, immo de divina ejus mente quaſi natura loquente ad Eudemum olim Romanum Philoſophum clariſſimum? An non ei prædixit, qua febre eſſet laboraturus, non minus & diem, in qua critica alvi fluxione fuit judicata? Quid de Sexto Romano Senatore, Severo Imperatori multum familiari? an non prima die febrem adventuram, ſexta die ceſſaturam, & decimaquarta redituram, atque decimaſeptima per ſudorem prorſus ſolutum iri? Quid amplius? Quum, ut ex ipſius libro de præſagitione ad Poſthumum conſtat, in quodam juvene Romano, febre vexato, quo tempore alii omnes Medici mittendum ſanguinem conſulebant, ſanguinem abunde e dextra nare fluxurum, eoque ægrotum juvenem ſanatum iri, coram multis Medicis prædixit, continuoque erumpente ſanguine, uti prædixerat, juvenis fuit liberatus? Quæ omnia ut ex ipſius ſententia præter aliorum ſpem evenerunt, ſic ſummam in ipſo præſtantiam omnes Medici admirari ac ſuſpicere cœperunt. Martianus, unus ex primariis Medicis, Romæ in via obviam Galeno factus, ait: *Quæ ergo in eo libro ſecundo Prognoſticorum Hippocr. ſcripta ſunt, agnoſcis, atque eadem ſcio, nec tamen vaticinor?* Et Eudemus a febre, uti a Galeno ipſi fuerat prædictum, ſanatus, de illo alta voce clamando amicis, qui apud ipſum fuerant, inquit: *Vaticinari Pythium Apollinem ægrotantibus voluiſſe per os Galeni, & quibus remediis ad ſanitatem revocari poſſint, & qua die perfecte liberari debeant.* Hinc complures non ſolum medendi artis ignari, ſed etiam doctiſſimi Philoſophi, ac Medici Galenum in hac arte divinum eſſe prædicabant, diviniſque honoribus ac laudibus dignum ad cælum uſque efferebant. Cujus quum ægroti, tum Medici præſagia perinde ac certiſſima oracula exſpectabant. Ex quibus prædicendi hæc ratio, quanti ſit a Medicis facienda, facile intelligitur. Juvat quinetiam maxime Medicos: In morbis acutis exitialibuſque, qui præcognitam futuram ægrotantium mortem ubi aſſidentibus prædixerint, mortis culpa plane vacare ſolent: ægrotoſque audito prognoſtico non Medicorum culpa, ſed morborum vi interemtos, aſſidentes judicant. Quod ſi antea exitium non prædixerint, ipſorum aut ignorantiæ, aut negligentiæ mortem omnes adſcribunt, interiiſſeque Medicorum cauſa pro certo habent. Hinc non pauci Medicorum noſtri temporis perdocti, propriæ conſcii ignorantiæ omnes fere acutis morbis correptos indiſcriminatim morituros prædicant. In horum quidem morborum principiis morbum ſane fore graviſſimum, ingentibuſque periculis plenum, affirmant: morbiſque iisdem ad ſtatum properantibus, ſymptomata quum de novo oborta, tum vel alia, quæ prius fuerant, adaucta viderint,

aut

aut quovis modo ægrotos plus solito inquietos, vel anxios, deliros aut ægre spirantes, aut plus solito dolentes, continuo exitium futurum affirmant, quibus, etsi paullo post ægroti ii sanitati restituantur, tamen hæc prædicendi ratio nihil affert incommodi: Quum ea via neque parum laudis hi consequi soleant; ipsorumque in arte medica nomen atque fama non parum crescat; artis siquidem medicæ ignari ipsorum sanitatem, (etsi, iisdem Medicos mortem prædixisse, memoria habeant) Medicorum studio ac diligentia subsecutam putant. Ex quo eos Medicos maximis laudibus extollunt. At Medici, arte Hippocratica digni, non in omnibus acutis morbis exitium perpetuo prædicant, scienter enim, ac docte quidem sanitati restitutum iri, & morituros esse ex veris prædicendi artis principiis affirmant. Neque omnia gravia symptomatum incrementa timent, neque nova oborta symptomata, vel hęc ipsa multum aucta. Quinimmo magis ex iis, quę ignaris Medicis malum morem in morbis significare videntur, salutarem aliquam crisim sępe esse exspectandam, affirmant. Ex his itaque, quum nos hanc prædicendi in ægrotis rationem Medicis non solum maxime utilem, sed apprime etiam necessariam esse intellexerimus; mirari aliquis non debebit, si nos plane, ut methodo, a nullo antea explicata, commonstraretur, in ea tradenda, ac accurate scribenda plurimum studii adhibuerimus. Sed nunc ad illa, quibus hæc prædicendi methodus investigatur, veniamus.

CAP. I.

Ex quibus Medici in ægrotis salutem & mortem præcognoscant.

Præsagitt in ægrotis unde petendum.

QUI recte cupiunt in ægrotis præsagium aperire, in primis a quibus ipsum indagetur, intelligere debent. Hæc vero duo exsistunt, unum morbus, qui in corpus tamquam inimicus agens hominis corpus destruere conatur; atque alterum natura, quæ perinde ac arcis alicujus præfectus, in corpore residens, a morbo perinde ac duce aliquo exercitus, ipsum corpus tamquam arcem oppugnante, defendere studet. Ut autem dux exercitus ad expugnandam arcem multis utitur militibus, ipsorum alii, ut unam, atque alii, ut alteram arcis partem aggrediantur, quo multis superatis tandem arx universa in potestatem veniat: sic & morbus militum loco, pluribus utitur symptomatibus, ac aliis morbis, ut multas partes corporis eodem tempore expugnent. Ex oppositoque natura ejusce, & corporis acerrimus defensor, ipsum a symptomatum insultibus custodit, & ne morbo succumbat pro viribus operam dat. Eruditam enim esse naturam, atque arte etiam non carere, artificemque merito dici, atque animalibus consulere Hippocrat. *lib. 6. Epid. Sect. 5. text. 12. pag. 1184. Com. 5. in text. 2.* si Galeno *in lib. 6. Epidem.* credimus, statuit. Hæc enim partes singulas corporis facultatibus multis muniit, quibus partes, tamquam militibus ad resistendum, quum variis morbis, tum symptomatis utuntur. Itaque eæ partes

Morbi & naturæ comparatio.

corporis facultatibus perinde ac militibus utentes, a morborum ſymptomatumque inſultibus defenduntur. Ex quibus cuique liquido conſtabit, naturam corporis partes robuſtis facultatibus inſtructas habentem, difficili negotio morbo eſſe ſuperandam, ipſamque contra debilioribus partium viribus ſeu facultatibus inſtructam facile morbo ſuccumbendam. Colligamus igitur ab his, ut nuper dictum eſt, ſalutis atque mortis futuræ prænoſcendi judicium a duorum tantum, morbi nimirum & naturæ invicem colluctantis obſervatione pendere atque fieri. Quod Galen. *in lib. de conſtit. art. medicæ cap.* 18. perbelle ita expreſſit: *Medicus quippe his duobus, morbo inquam & natura colluctantibus, animum ſemper intendit; atque dum diſcernit, quodnam horum robuſtius ſit, primum quidem ſecum de ſalute hominis, aut interitu, præſagium depromit. Deinde vero, quo alterum altero fortius eſſe novit, tum & illius præfinitum tempus agnoſcit.* Nec mirari quiſpiam debet, ſi quis robur utriuſque recte perpendens victurum tandem deprehendat. Quum videamus complures Gymnaſtas ex primis ſtatim motionibus, quibus contra ſe invicem luctantes feruntur, victurum prænuntiare, & ſæpe ante partam victoriam, quodque celerius adverſarius ſuccumbet. Hoc autem agunt, quum alterum altero non viderint validiorem. Quare ex alia nulla exercitatione ſalutem aut interitum prænoſcet, præterquam ex exacta virium, tum morbi tum naturæ notitia, ex qua utriuſque præfinitum tempus exquirit; ut enim celerrime ſolvendus morbus eſt, quum validiores vires fuerint; ita cito mors adventabit, ſi hæ imbecilliores ſint, morbus vero fortior. Naturam vero morbo robuſtiorem ſignificabunt validæ, robuſtæ, corporis facultates, quibus ipſa non carens, vel etiam contra magnum morbum, fortiſſime pugnat, nec ipſo facile ſuperatur. At interdum fit, ut quemadmodum arx firmiſſima munitiſſimaque, aut militum, aut victus, aut ceterarum rerum, quibus caſtra, ut defendi poſſint, opus habent, defectu, a fortiſſimo Duce exercitus; ſic natura noſtrorum corporum, vel etiam fortiſſima, ciborum inopia, aut mala victus ratione, aut medicamentis non recte adhibitis, aut denique longa morbi oppugnatione, ſæpe ſuccumbat. Ex quo ipſa aliquando caſtrorum Ducem imitatur, qui, quum a longa obſidione milites, victum & cetera neceſſaria ſibi defectura, timeat, inopinanter aliquando e caſtris egreſſus repente contra obſidentem exercitum pugnam tentat, quem quandoque fortiſſime pugnando, aut totum vincit, aut ingenti militum copia excifioni mandata, ita debilitat, ut ab ipſo nihil amplius, aut ſane parum ſit timendum. Non diſſimili argumento corporis alicujus natura ſagaciſſima, robuſtiſſimis munita facultatibus, ex longa quandoque morbi pugna, virium defectum timens, morbo vel cauſis, vel ſymptomatis irritata, ſæpius in ipſum morbum ante opportunum tempus ad pugnam invehitur, ipſumque fortiſſime pugnando aut plane vincit, aut ſaltem plurimum ejus vires debilitat. Atque hæc miro quodam quaſi diſcurſu aut ratione (ſic probe ipſam Deus docuit) in ægrotis a natura non raro fiunt. Demum natura æque omnes partes corporis non curat, ſed præcipuas præcipue. Quum ſuum ſingularum partium corporis non æquale ſit robur, quippe principaliores partes ſtatim ab initio natura majori robore donavit, ut Gal.

Salutis atqi mortis præſagium ex quibus noſcitur.

in

in lib. de cauſis morborum cap. 6. docuit. Arcis enim alicujus præfectus ac defenſor, non æque omnes, ſed principaliores magis arcis partes curat, & defendit, quibus præſertim expugnatis arcem univerſam ſuperari ſit neceſſe; ita natura corporis cuſtos, ignobiles, admodumque a viſceribus remotas, non tanto ſtudio curat, quod ſi graviter aliquando a morbo vexentur, ſervata viſcerum nobilium ſanitate, deinceps priſtinæ ſaluti ea reſtitui ſoleant. Curæ igitur primum naturæ ſunt viſcera, ut a morbi inſultibus cuſtodiat, omneque ſtudium ad ipſorum conſervationem adhibet, maximeque ad ipſum cor defendendum. Sæpeque, ut iſthæc nobilia viſcera morbo aliquo vexata, ac oppugnata an defendantur, ac ſerventur, natura permittit, aut ipſa procurat, ut ab his viſceribus totus morbi impetus ad aliquam partium ignobilium feratur: tantam ſemper, Galen. *in Lib. 2. c. de uſu partium* auctore, natura providentiam ſecuritatis principalium particularum habuit, ut non raro in longis morbis Medici obſervare ſoleant, naturam robuſtam, diu a magno morbo conflictatam, ad aliquam ignobilem partem humores noxios tranſmittendo membra præcipua exonerare, atque liberare. Quo pacto ſæpe multos quum acutos tum longos morbos judicatos vidimus, nempe in cruribus, cuteque, tumoribus, inflammationibus, exanthematis, variolis, morbillis, ſcabie, aut aliis hujuſmodi obortis. De quibus Hippoc. *in lib. 2. In text. 18. §. 13. Prognoſticorum pag. 43. lin. 18.* dixit: *Abſceſſus autem, qui ad crura fiunt in pulmoniis vehementibus, ac periculoſis, omnes utiles ſunt.* Colligamus itaque duo eſſe, a quibus Medici in ægrotantibus ſalutem & interitum prænoſcent, nimirum naturam atque morbum, ac ex utriuſque virium cognitione, uter ſit victurus, eſſe judicandum. Quam rem Gal. 2. In text. 6. ita expreſſit. *Summa potius præſagitionis in morituris convaliturisque eſt, quoties vis morbi cum ægri facultate conferatur.* Si enim morbus vehementior eſt, æger omnino morietur, ſi debilior quam ægri facultas, haudquaquam morietur, ubi nihil committatur. At quum ſanitas non niſi declinantibus morbis, aut ſaltem in ſtatu contingat, Medici diligenter naturæ & morbi viribus exploratis, an eæ eouſque perdurare poſſint, conjectura aſſequi debebunt. Quod ni aſſequantur, quippe, an natura poſt morbi ſtatum cum morbo pugnando perdurare queat, ni conjiciant, de ſalute & interitu præſagium haud probe prenoſcent. Hinc præter naturæ & morbi cognitionem, futuri quoque ſtatus ſeu vigoris cognitio erit neceſſaria. Etenim æqualibus quum naturæ tum morbi viribus obſervatis, ubi ſtatus morbi cito futurus ſit, naturam morbum abſque dubio ſuperaturam Medicus præſciet: at quo ex oppoſito tarde eodem morbi ſtatu futuro, oppoſitum, atque difficile judicium fiet. Ex quo apparet ſine ſtatus ſeu vigoris morbi futuri notitia, minime poſſe de ſalute & morte recte judicari: Quam rem expreſſit Gal. *in lib. 3. cap. de criſibus* ita ſcribens. *Et quidem ſine horum trium exacta dignotione nihil de ſalute inveſtigari contingit, non magis quam hoc ſciri poteſt, hominis robore, oneris magnitudine, & viæ longitudine antea non perſpecta: nam ægri vires portanti onus, morbus vero oneri, tempus autem, quod uſque ad ſtatum extenditur, longitudini viæ reſpondent?* Quo pacto igitur de ægrotante ſciri poteſt, num quid ſufficiat, ſi nulla ſtatus præcognitio habeatur. Ex iis ita-

Status futuri cognitio neceſſaria ad prædicendum in morbis.

que omnibus ratio cogit, nil tam ſtudioſe eſſe diſcendum, quam futuri ſtatus prænotionem. Itaque ex natura, morbo, atque morbi futuri ſtatus dignotione totam in ægrotis prædicendi rationem, ſeu methodum pendere merito diximus. At iis præmiſſis nunc ad ſingulorum notitiam aſſequendam declinemus, a naturæ viribus dignoſcendis incipientes.

CAP. II.

De cognoſcendis Naturæ viribus, atque in primis ex quibus ipſarum quum robur, tum imbecillitas dignoſcatur.

Natura, ejuſque vires quomodo cognoſcuntur.

QUUM naturæ vires ſint a nobis dignoſcendæ, atque non minus, ex quibus ipſarum cognitio habeatur, de Natura, atque de ipſius facultatibus & actionibus prius eſt agendum. Naturam vero, illam (inquam) adverſus morbos pugnantem, quamdam eſſe ſubſtantiam ſeipſam moventem, in iis, quæ ab ea reguntur, corporibus inhabitantem plures exiſtimarunt; at quid illa ſit, quave ratione varias in illis actiones edat; omnes fere vel etiam nunc latet. Multis tamen Medicis, Hippocrati, Galeno (*lib. 9. de Hipp. & Plat. decr. cap. 9. In 1. aph. 14. In 2. aph. 51. In 4. aph. 37. & in 5. aph. 22. & in 11. method. med. c. 1.*) atque aliis, quemdam illam eſſe ſpiritum, vel calorem innatum, ſeu congenitum ex primorum elementorum commoderatione profectum, in partibus corporis ſpirituoſis, carnoſis, atque ſolidis viventem, perſuaſum eſt. Quam rem (etſi calorem ipſum naturam, vel animum non eſſe putem, ſed ipſo magis tamquam inſtrumento uti) nobis non pauca ſuadere exiſtimo. Corpora ſiquidem, ut docet Hippocrates, pluri innato calore referta, perfectius ac robuſtius ſuas obeunt functiones, ac imbecillius, quæ illius caloris minus participant. Quod in puerorum & ſenum corporibus facile obſervamus, illa namque, quia plurimo innato calore valent, ſua idcirco naturæ munera perfectiſſime præſtant, ſeu exercent: etenim recte cibum appetunt, concoquunt, retinent, atque ipſo ad nutritionem utuntur, non minuſque genita excrementa inutilia rejiciunt & conſumunt. Ex quo maximos graviſſimoſque morbos pueri aliis aliarum ætatum hominibus facilius ferunt. Senum vero corpora caloris inopia ac defectu omnium maxime languidiſſimis functionibus utuntur. Præterea in ſingulis quoque corporis partibus id licet obſervari, quo enim cerebrum, ſtomachus, hepar, cor, atque cetera alia membra, plus nativo illo calore valent, ſive ejuſce caloris plus habent, eo robuſtius naturalia munera obeunt, ac exercent. Quo vero minus, ad obeunda naturæ opera eo imbecillius ſe gerunt. Cerebrum plurimo calore utens recte concoquit, pauca excrementa gignit, ipſaque valenter digerit, reſolvit, vel rejicit, in quo ſenſus omnes ob id puriſſimi exercentur. Frigidius vero debiliter concoquit, excrementa multa coacervat, ipſiſque ea de cauſa aſſidue ſcatet, quo ſenſus non recte ſuas edunt functiones, vel eas debiliter & imperfecte. Quod eodem modo & de aliis noſtri corporis membris demonſtrari poteſt. Ex quibus quidem natura nihil

hil ſane aliud, quam calor temperatus, congenitus, ſive innatus creditur; probe (uti in brutis etiam animalibus apparet, quæ, quod plura ratione agere videantur, non omnino diſcurſu carere quibuſdam naturæ doctis perſuaſum eſt) ab Auctore noſtræ creationis perdocta, atque erudita. De qua Gal. *in Cap. 2. lib. 2. de dieb. decretoriis : Phyſicum eſſe convenit, qui hæc judicet, & perſuaſum habere naturam prorſus ſufficere ; & ſumma quadam providentia corpori noſtro proſpicere : Item propriis etiam motibus ordinatis, ſi quid aliud, ita & ipſam uti.* Et in lib. de cauſis morborum *cap. 2. Rationem enim quamdam, atque mentem naturæ tribuemus, ſi ita ſimpliciter ipſam quicquid inutile eſt, deponere affirmemus, ex nobilioribus partibus ad ignobiles.* Ex quo Hippoc. *in lib. 6. Epidem. ſect. 5. text. 1. pag. 1184. cap. 6.* & idem ait : *Morborum naturæ medicæ*, atque ibidem Galenus *Com. 5. Text. 1. Hippocratem non eſſe ex illorum cœtu, qui naturam arte carere arbitrantur, ſed eam eſſe artificem, animalibuſque conſulere*, tradidit. Hæc vero triplici differentia diſtinguitur ; una ſiquidem *animalis* dicitur, quod functiones ad animam, ſeu ratiocinatricem facultatem attinentes obeat: *naturalis* altera, quæ ad appetitricem, altricem, generatricem : atque tertia *vitalis*, quæ vitæ cuſtodiæ maxime præeſt. Has Gal. *in lib. IX. cap. 10. meth. medendi*, ita expreſſit : *Gubernans animal* (ut in lib. de Hippoc. & Platonis dogmatis eſt monſtratum,) *tres diverſi generis facultates toti corpori ex ſuo quodam veluti fonte, quæque diſtributæ : eas Plato animas vocat, propriam cujuſque ſubſtantiam inveniens. Eſt enim earum quædam ad nutriendum animal neceſſaria, ac cum ſtirpibus communis : quæ jecur veluti pro fonte habet : Canales vero ab hac in totum corpus ſparſos, ipſas venas : hanc ſeu appetitricem, ſeu naturalem, ſeu altricem voces, nihil intereſt : veluti ſi animam aut facultatem. Altera eſt, quæ non modo, ut ſtirpibus aut vita prædictis, ſed etiam ut animalibus anima eſt inſita : Hæc ſedem in corde habet, ipſo quoque inſiti caloris quodam ſeu fonte. Ab hoc fonte canales arteriæ ſunt, vocanturque hæ multis ſane nominibus : nam & facultas, ſive virtus vitalis, & facultas, ſive virtus animoſa, & anima vitalis, & anima animoſa dicitur. Tertia anima ratiocinatrix in cerebro domicilium habet : ea voluntariis actionibus una cum ſenſibus præſidet.* Utitur & hæc particulis quibuſdam ſeu canalibus, nempe ipſis nervis, ſenſum motumque per hos in totum animal tranſmittens. Tres itaque hæ ſunt facultates, quæ corpus a morbo defendunt, *animalis*, quæ cerebri, *vitalis*, quæ cordis, & *naturalis*, quæ hepatis curam habet. Hæ tribus alicujus arcis præfectis, eam defendentibus comparantur, qui quum per ſe ſoli nequeant ejus defenſionem tueri, ſeu recte ſuſtinere, militibus utuntur, quibus ab arce infenſos hoſtes propellant. Sic quælibet prædictarum facultatum pro militibus functionibus quibuſdam contra morbos utitur. Donatæ etiam ſunt facultates nonnullis inſtrumentis, quæ ipſis ſubſerviant, quum corporum ſanitatem curare ſtudent. *Animalis* ſiquidem facultas, (quam in cerebro ſedem habere diximus) nervos ; *vitalis* in corde arterias, ac *naturalis* in hepate venas habent: per has ſanguis ad omnes corporis partes nutriendas labitur, ac per nervos iiſdem partibus ſenſus & motus, atque demum per arte-

Natura quomodo diſtinguitur.

Corpori tres in ſunt facultates.

rias vitalis ſpiritus a corde communicatur. Vivunt itaque corporis partes opē vitalis ſpiritus, ſentiunt, ac moventur animalis a cerebro per nervos in ipſas effuſi atque emanantis; Nutriuntur denique a ſanguine ipſis per venas a jecore accedente. Quælibet quoque pars vita non deſtituta a natura nervis arteriis veniſque referta, continue ex ſanguine, ac gemino nuper dicto ſpiritu, alitur, vivit, ſentit, ac movetur. Hinc ſingulis corporis partibus adſunt ii ſpirituum calores, quibus functiones omnes, ſeu actiones, ſcilicet animales, vitales, naturales vitæ conſervandæ cauſæ, obeuntur: Hoſque calores, a quibus actiones eæ obeuntur, Medici merito vires appellant, quas natura ſingulis partibus, prout opus eſt, diſpenſat: Quo etiam facultas diſpenſatrix a Medicis eſt nuncupata. Facultates vero omnes propriis actionibus perficiuntur. Naturalis quidem tres præcipuas habet, quippe nutritionem, auctionem, atque generationem; quibus multæ aliæ deſtinantur, quæ ſunt attratrix, retentrix, concoctrix ſeu alteratrix, ac expultrix: Sine his corporis partes neque generantur, neque nutriuntur, neque augentur. Non me latet his longe etiam plures, ſervientes huic facultati, actiones ab aliis recenſeri, quas tamen omnes ſub prædictis contineri haud ignoro. Attrahunt enim partes, quo nutriantur, alimentum, vel quo exonerent præcipuum, nobileque membrum, excrementum, ut veſicula bilem, lien ſanguinis fœcem, & urinam veſica. Retinent partes attractum alimentum, quoad ipſum perfecte coxerint, atque excrementum, donec copia diſtendendo, aut qualitate infeſta partes valde moleſtet. Coquunt non minus, quoad in ſubſtantiam partis nutriendam alimentum mutatur. Quod ut fiat, facultas pluribus utitur coctionibus, pro variis præparationibus, priuſquam partes ſimilares ſanguinem recipiant, ſibique ipſis ultima coctione edita aſſimilent. Variæ profecto in variis membris ad illud operis a natura deſtinatis concoctiones fiunt. Cibus in primis in ſtomacho ſuſceptus coquitur, poſteaque rurſus in venas attractus coquitur, quoad in ſanguinem mutetur; qui dehinc per venas ſingulis partibus conceſſus in ipſarum ſubſtantiam, poſtrema peracta coctione, mutatur. Expellunt etiam, aut quod alterari, ſeu coqui non poteſt, aut quod quantitate vel qualitate moleſta lædit. Hinc omnes partes, quoad poſſunt, noxios humores a ſe propellunt, ipſoſque partes aut naturæ, aut morbi alicujus ratione factæ debiles, recipiunt. Atque hæc de facultate naturali. Vitalis vero facultas, qua corporis partes vivunt, duabus tantum functionibus ſeu actionibus utitur, quippe pulſatione arteriarum, atque reſpiratione. Hac quidem frigidus aer per aſperam arteriam & pulmones ad cor vehitur, ut calor vitalis igneo temperamento donatus (qui abſque ventilatione, quin reſolvatur & marceſcat, ſervari non poteſt) ejus frigore coerceatur, neque diffluat, neque exſtinguatur. Pulmonum vero dilatatione (veluti eorumdem compreſſione innati caloris fuligines geniti evacuantur, puriorque vitalis ſpiritus redditur) cordis calor recreatur, fitque purior. Idem in toto corpore pulſatione arteriarum fit, quando ipſarum dilatatione (quam Græci *dyaſtolen* vocant) calor refrigeretur, & compreſſione, *ſyſtole* vocata, quod ex humorum deuſtione in toto animante contractum eſt, veluti fumidum

Facultas naturalis quæ?

Facultas vitalis quæ?

midum excrementum expellatur. Quod Gal. in multis locis meminit, & *cap. 33. de cauſis pulſuum* hiſce verbis: *Quod tuendi cauſa caloris univerſi corporis creati (ſcilicet pulſus) ſunt, quem refrigerent, & ſi quid ſit fuliginis ex ſuccorum aduſtione contractum, id excernunt e veſtigio*. Etiam illo loco dictum eſt, ad gignendum hos conferre animalem ſpiritum. Reſpiratio a natura facta eſt caloris innati cordis cauſa, ut refrigeretur, & a fumoſis halitibus expurgetur, & pulſatio arteriarum non minus addita eſt, caloris vitalis in toto corpore effuſi refrigerationis, atque purificationis gratia. Animales denique functiones plures exſiſtunt, ſcilicet animalis ſeu voluntaria, quæ nervis atque muſculis eſt deſtinata, quintuplexque exſiſtit, una ſenſitiva, quæ in alias quinque ſubdividitur, quippe in videndi, odorandi, audiendi, guſtandi, tangendique actionem. Secunda eſt motiva, qua corporis ſingulæ partes moventur. Tertia imaginandi, Quarta ratiocinandi, & poſtrema memorandi. Hæque ſunt omnes facultatum actiones, quæ inculpatæ, ac robuſtæ in corpore cognitæ naturam robuſtiſſimam præmonſtrant, plurimumque innati caloris ad ipſas facultates ipſam mittere, ac inſtrumenta quibus ea obeuntur; itaque primum ipſorum principium, nempe cerebrum facultatis ſedem nullo vitio teneri. Infirmæ vero debiles vel vitiatæ oppoſitum utique denotant; quando hæ, caloris (quem vires appellant) inopia, vel debilitate, aut vitio inſtrumentorum, aut ex cauſa morbifica ita obeantur. Ab actionum itaque robore & debilitate, totius naturæ potentia ſeu vis quanta ſit conjicitur. Sed quod nos hactenus univerſaliter conjecimus, nunc ſingillatim attingamus.

Facultas animalis quæ?

CAP. III.

De facultatum actionibus robuſtis cognoſcendis.

Facultatum actionum robur, unde cognoſcitur?

ACtiones, quæ in corpore perfectiſſimæ obeuntur, facultatis, a qua emanant, robur ideo ſignificant, quoniam nedum facultatis, ſed & illius ſedis (quod primum facultatis inſtrumentum Gal. vocat) atque aliarum partium, vel inſtrumentorum, primo inſtrumento inſervientium perfectæ ſanitatis certa ſunt indicia, ut Galen. *in 1. lib. cap. 2. de ſympt. cauſa* tradidit. Quum itaque in ægrotis, ut ab animalis facultatis actionibus incipiamus, omnes quum interni tum externi ſenſus, ſcilicet viſus, olfactus, guſtus, tactus, nihil a ſtatu naturali mutati obſervantur, recteque, quod ad imaginationem, memoriam, rationem, atque motricem potentiam pertinet, tunc ſe habent, (ſic robuſtam recteque valentem facultatem cerebrum inhabitantem ſignificant) ut nihil omnino ipſam offenſam exinde præmonſtretur habuiſſe. Quod Hippoc. *in lib. 2. aphoriſm. 33.* nobis indicaſſe viſus eſt, quum dixerit: *In quovis morbo mente conſtare & bene ſe habere ad ea, quæ offeruntur, bonum: contrarium vero malum*. Naturaliter itidem homines reſpirare, atque arteriarum pulſus, magnos, vehementes, æquales atque ordinatos habere facultatis vitalis ſeu animoſæ fortitudinis nobis eſt indicio. Hoc Hippoc. in 1. *libr. prognoſticorum pag. 38. lin. 11. text. 25.* ita expreſſit:

Animalis facultatis actiones robuſtæ unde noſcuntur

Vitalis facultatis actiones robuſtæ unde cognoſcuntur?

ſit: *Spirationis autem facilitatem exiſtimari oportet, perquam magnam vim habere ad ſalutem in omnibus morbis acutis, qui cum febre ſunt, & in quadraginta diebus judicantur*, & Galen. *in comment. cap.* 7. naturalem reſpirationem appellavit ſpirationis facilitatem, ſignificantem neque thoracem, neque cor, ac pulmonem, neque præcordia doloris quamdam habere affectionem, quinetiam neque partes quaſdam iis admiſtas. Et *in lib.* 1. *de præſag. ex pulſibus*, de pulſibus, hanc facultatem robuſtam denotantibus, ita habet: *Vehemens enim pulſus a facultatis ſemper robore fit, ac quo ſit vehementior, tanto robur majus eſſe facultatis*. Non ſecus etiam de naturalis facultatis functionibus dicendum erit, ægrotos namque probe cibos appetere, atque ex ratione ſitire, optimum eſt, exindeque robur facultatis ſignificatur, non minus & partes ad ſe alimentum recte attrahere, retinere, concoquere, excrementumque per loca convenientia expellere; idem oſtendet *com.* 2. Ex quibus naturalis facultatis actionibus duæ ſunt præcipuæ, ad hujus potentiæ robur ac debilitatem denotandam, quippe excrementorum coctio atque excretio de illa Hippoc. *lib.* 1. *Epidem. ſect.* 2. *pag.* 948. *litt. F. text.* 45. *cap.* 9. & idem ait: *Coctiones celeritatem portendunt judicii, ſecuritatemque ſalubrem*. Et Gal. *in lib. de conſtit. art. medicæ* dixit: *Quibus omnibus hoc commune eſt, numquam morbum ſolvi poſſe, niſi prius in excrementis coctionis ſigna conſpiciantur*. Unde ſive aures male habeant, ſive oculi, ſive fauces, &, ut ſummatim omnia dicam, coctiones omnes celerem criſin, ſalutiſque ſecuritatem indicant, & in 1. *de criſibus cap.* 8. ſcribit, coctionis ſigna numquam male apparere. Non minus *in libr.* 3. *cap.* 3. affirmavit, quum millies, dum criſes fierent, interfuiſſet, neminem umquam vidiſſe intereuntem, qui præcedentibus coctionibus criſin habuiſſet, & *in* 1. *aphoriſm.* dixit, coctiones naturam morboſis cauſis prævalere perpetuo præmonſtrare. Hanc ſequitur excretio, quæ poſt coctionem apparens ſemper facultatis robur indicat, certamque ſalutem prænuntiat. Natura enim perpetuo hoc ordine procedit, ut prius concoquat, mox expellat. Quo omnis excretio poſt coctionem apparens optima & ſalutaris judicatur. Hæc vero duobus modis fit, uno modo, ſingulis corporis partibus propria excrementa in ipſis genita excernentibus; altero, quum multitudine humorum exſuperantium vel qualitate, vel utroque modo eadem partes gravatæ excernunt. Quam excretionem præmonſtrant excrementa probe concocta, atque ſecundum naturam excreta. Quorum abſolutiſſimam tractationem poſtea quippe in ultimo libro inſtituemus. Hæc vero ita prodeuntia excrementa, perfectam, ut docet Hippocrates, partium, a quibus procedunt, ſanitatem indicant; Altera vero excretio, in qua humores quantitate aut qualitate moleſti, debito tempore vacuantur, expultricem facultatem robuſtam, naturamque ipſam morbo prævalere, certo præmonſtrant. Cujuſmodi ſunt criticæ ſanguinis eruptiones, urinæ copioſiores, alvi dejectiones, vomitus, ſputa, atque ſudores. Hæ etenim omnes naturam quum robuſtam tum cauſis morboſis prævalentem ſignificant. De proba ſanguinis excretione Hipp. *lib.* 1. *epid. ſect.* 2. *pag.* 951. *litt. E. comm.* 2. *text.* 65. & idem ita habet: *Febribus autem ardentibus, quibus rite ac largiter ſanguis per nares erupit, ea de cauſa maxime ſervabantur*. Quod in Cleonactide

Naturalis facultatis functiones robuſtæ, unde cognoſcuntur?

Excretio poſt coctionem duobus modis fit.

nactide *lib.* 1. *Epid. Ægrot.* 6. *p.* 982. Pericle *lib.* 3. *Epid. Ægr.* 6. *p.* 1102. Virgine Abderæ *lib.* 3. *Epid. Ægr.* 7. *pag.* 1103. Herophyto *l.* 3. *Epid. Ægr.* 9. *pag.* 1106. Muliere morosa *lib.* 3. *Ægr.* 11. *pag.* 1108. Lariſſæ Virgine *lib.* 3. *Epid. Ægr.* 12. *pag.* 1110. Metone *lib.* 1. *Epid. Ægr.* 7. *pag.* 983. atque in aliis multis ab Hippocrate *aphor.* 73. fuit obſervatum, de quibus ait: *lib.* 1. *Epid. pag.* 951. *litt. G. Sanguis autem plurimis erupit; præcipue adoleſcentulis, & adultis. Quorum periit maxima pars, quibus ſanguis non erupit.* Et Gal. paullo poſt *com.* 3. *text.* 88. *de Metone* dixit: *Largæ de naribus eruptiones ſanguinis liberant fere.* Sane enim a ſola videtur ſanguinis eruptione & judicatus & ſervatus, quamquam non omnino tuta ſigna haberet. De urinarum vero probis excretionibus ſeu purgationibus poſt coctionem apparentibus Hippoc. *in* 4. *aphoriſ.* 74. inquit: *in quibus ad articulos ſperatur abſceſſus, liberat ab abſceſſu urina multa, craſſa, alba facta.* Qua ſcilicet alba, craſſa, & copioſa cum multa ſubſidentia Nicodemum fuiſſe judicatum *in lib.* 3. *Epidem. pag.* 1108. *Ægr.* 10. *com.* 2. *text.* 2. poſteritati tradidit, & Charionem *lib.* 3. *Epid. Ægr.* 5. *pag.* 1072. multis biliosis. Nonnumquam etiam nigras tunc temporis excretas multis profuiſſe Gal. *in lib.* 3. *Epid. com.* 3. *text.* 73. his verbis affirmavit, dicens: *Equidem quamdam novi, quæ talibus urinis magna copia evacuatis, auxilium percepit:* & de dejectionibus ſalutaribus, naturam morbo prævalentem præmonſtrantibus, *in lib.* 4. *aphoriſm.* 28. Hippocr. ita habet: *Et, quibus ſurditas, ſupervenientibus biliosis dejectionibus, ceſſat*: ac in *lib.* 6. *aphor.* 17. *Lippientem ab alvi profluvio corripi, bonum.* De Herophytoque judicato *in lib.* 3. *Epid. Ægr.* 9. *pag.* 1106. *Com.* 2. *Circa diem centeſimum alvus fuit turbata, multis biliosis, durabantque diu multa talia.* Gal. vero clarius de hac excretione *in lib.* 1. *aphor.* 22. ita ſcribit: *Quando igitur poſt morbi coctionem aliquis humor vitioſus excernitur, tunc corpus a natura expurgatur, & propter hoc atrabilis, & alius omnis humor hujuſcemodi, ubi ſigna coctionis in morbi proceſſu apparuerint, bonam ſignificat evacuationem.* De ea itidem, quæ per vomitum fit, Hippoc. *in lib.* 2. *Prognoſt. pag.* 41. *lin.* 3. *aph.* 15. dixit: *vomitio autem utiliſſima eſt, qua pituita ac bile permiſta quam maxime eſt:* & de excretionibus in ſuppuratis ait *lib.* 6. *Aph.* 15. *Quicumque ex morbo laterali fiunt empyi, ideſt ſuppurati, ſi quadraginta diebus purgantur, a die qua fit ruptio, liberantur*, & de ſudoribus *Progn. p.* 38. *lin.* 15. *Sudores autem optimi ſunt per omnes acutos morbos, ſi per diem eveniunt decretorium, & integre ſedant febrem, ſi ex toto corpore prodeant, faciantque, ut æger ferat facilius morbum.* Atque hæ omnes ſunt excretiones expultricem facultatem robuſtam præmonſtrantes, quæ ſic valida contra morbum pugnat, ut interim ſola excretione ipſum ſuperet. Quod de Metone Gal. *in* 1. *prognoſt. text.* 35. animadvertit, de quo ait: *Sane enim a ſola videtur ſanguinis eruptione, & judicatus, & ſervatus; quamvis non omnino tuta ſigna haberet.* Ex hac prævalida excretrice facultate Hippoc. in iis, qui in ſecunda epidemica conſtitutione ægrotarunt, maximam utilitatem cognovit. Nam *in lib. Epidem. ſect.* 2. *pag.* 558. *litt. E. com.* 2. *text.* 79. hujuſce potentiæ tale commodum iis fuiſſe dixit, ut fere omnes, qui forte hac excreto-

cretoria vi valuerunt, evasisse animadverterit. Quæ res nobis ex ipsius sermone conspicua magis fit, qui est hujusmodi: *At vero hoc statu quatuor his præcipue signis servabantur; quibus enim aut ex naribus probe sanguis erupisset; aut qui per vesicam urinas multas, & multo bonoque præditas sedimento reddidissent; aut per ventrem, turbida biliosa tempestive processissent; aut qui in dysenteriam incidissent. Multis vero usuvenit, ut non ab uno illorum judicarentur, sed per omnia plurimi excernerent, qui quidem gravius habere videbantur: Veruntamen omnes, quibus hæc accesserunt, superstites erant.* At de cognoscendis robustis naturæ actionibus, hæc nobis sufficient. Nunc ad debilium dignotionem declinemus.

CAP. IV.

De naturæ actionibus debilibus cognoscendis, & primo ex animalis facultatis symptomatis.

Naturæ actiones tribus modis prælanguescunt.

VAlidis seu robustis naturæ actionibus, quæ ipsam morbo prævalentem ostendunt, recte perspectis, ad debilium notitiam descendimus. Quæ ex Galeno *in 1. cap. de sympt. caus.* tribus modis prælanguescunt, scilicet ubi omnino tolluntur, aut diminuuntur, aut denique vitiantur. Unde in ipsis varius debilitatis gradus nobis innotescit: etenim maximam naturæ debilitatem actiones sublatæ explicant, quippe quum ipsis facultas plane destituitur. Præsertimque si hæ, resoluta aut emortua facultate, aut primo facultatis instrumento læso, tales prodeant, seu deficiant. De his Hippoc. *in lib. 4. aphorism. 49.* ait: *Si non videat vel non audiat, jam debili existente corpore: quicquid horum evenerit, mors proxima est*, Et in *Epidemiis lib. 1. Epid. p. 966.* in Philisci Historia: *partes extremæ frigescebant, atque ad calorem amplius non redibant.* Et ex naturali facultate in Hermocrate *lib. 3. Epid. Ægr. 2. pag. 1062.* exstincta: *perpetuo a cibo abhorrebat, omnino mente constabat, loqui non valebat, lingua inaruit, non sitiebat.* Minus malum vero portendunt, quod minorem quoque naturæ debilitatem denotent, quæ fiunt aut cum defectu, aut cum vitio, non tamen ex facultatis defectu vel vitio, neque primo ejus instrumento læso (quando & hæ actiones imminutæ aut vitiatæ magnum periculum præmonstrent) sed læsis tantum instrumentis primo servientibus, cujusmodi sunt surditates, cæcitates, paraplegiæ, tremores, atque aliæ actiones diminutæ aut vitiatæ, quarum ii affectus symptomata exsistunt, quæ læsis instrumentis primo quippe cerebro servientibus concitantur. At hanc rem accuratius attingamus & illustremus per singulas tres facultates discurrendo; ab animali exordientes; quæ quum triplicem habeat potentiam, nimirum ratiocinatricem, motricem, ac sensitivam; nunc de prima agamus. Itaque ut nuper diximus, ægrotos mente constare optimum est, quippe quod facultatem adversus morbum animalem viribus maxime valere denotet, ita sublata ratione ac discursu eamdem maxime languidam, atque morbo imparem viribus comprehendimus. Ipsamque facultatem, aut primum instrumentum, nempe cerebrum, quod alias

Animalis facultas prælanguida.

Ratiocinatricis facultatis debilitas unde noscitur?

ejus

ejus ſedem eſſe diximus, aut alia inſtrumenta, primo ſubſervientia, aut denique omnia ſimul læſa cognoſcimus. De quibus in *Prorrheticorum text.* 8. *Prælanguentium deſipientiæ peſſimæ*, ut & Thraſynonti contigit, &c. *Tremulæ*, *Prorrh. lib.* 1. *text.* 34. *obſcuræ*, *blandæque*, *& contrectabiles deſipientiæ*, *valde phreniticæ*, ut Didymacho obvenit. Nec non *a ſanguinis*, dixit Hippoc. *in* 7. *aphoriſm.* 9. *profluvio deſipientia*, *aut convulſio*, *malum*. Hæc ſane ſymptomata ſunt, quæ facultatem reſolutam conſequuntur. Sicuti veras omnes phrenitides (quoniam cerebrum primum facultatis inſtrumentum maxime læſum explicant) Galenus plerumque letales eſſe, putat: quo in primo *Prognoſt. text.* 36 omne genus phrenitidis eſſe exitioſum affirmavit; & in primo *Prorrheticorum* dixit, *eas*, *quæ in tremorem finiuntur*, *quod fiant facultate reſoluta nervis ſupra modum arefactis*, *exitialiſſimas eſſe*. Idem fere denotare deſipientias, quæ cum ſtudio fiunt, Hippocrat. *Coac. Præſag. text.* 47. *& lib.* 6 *Aphor.* 53. ſtatuit, quia a flava bile cerebrum lædente oriuntur: omnium maxime letales eſſe a flava bile, nimio calore ad exuſtam accedente, concitatas, qua amentes furioſi ferarumque modo effrenes, iracundi feroceſque homines redduntur. Continuæ itaque hæ deſipientiæ cum febre continua (quod & cerebrum peſſimo humore lædi, & ea læſione quam brevi facultatem exſtinctam iri præmonſtrent) naturam viribus morbo longe infirmiorem ſignificant. Quare quum ratio tum imaginatio admodum læſa, cerebri virtutem maxime debilem oſtendit. Memoria quoque eodem modo ſublata aut imminuta, aut vitiata, idem fere in morbis acutis denotat: quam memoriam in ea peſte, quæ Athenas devaſtavit, multos peſte infectos ita perdidiſſe, ut neque conſanguineos, neque amicos cognoſcerent, neque (quod mirabilius eſt) ipſorum nomina recordarentur. Thucid. hiſtoricus narrans, iſtius quoque potentiæ debilitatem attigiſſe, viſus eſt. De hac ipſa Hippoc. *in lib.* 3. *Epidem. pag.* 1085. *litt. E.* ſcripſit: *Oblivio ſub acceſſiones*, *languor*, *vociſque defectus*, & Gal. *in Comment. Et oblivio manifeſta eſt*, *& monſtrata frequenter eſt*, *de exitialibus eſſe*, & in *lib.* 1. *text.* 64. Prorrheticorum: *Ignorantia cum rigore malum*; *malum quoque oblivio*. Ex quibus actionibus ita læſis licebit facultatis impares cum morbo vires, & maxime prælanguidas cognoſci. Ceterum quum hæc recitata ſymptomata, nonnumquam ſint ſigna judicatoria, quæ ante ſalutarem criſin conſpici ſolent, ideo accuratius ab iis, quæ facultatem debilem denotant, erunt diſtinguenda. Idemque faciendum in aliis omnibus cujuslibet facultatis actionibus læſis, naturam debilem ſignificantibus. De quibus Galenus *in primo de Criſibus* ita habet: *Quæ vero veluti horum ſigna indicativa ſunt*, *deliria exſiſtunt*, *atque vigiliæ*, *& ſomni graves*, *& dolores*, *& lacrymæ*, *& difficultates ſpirandi*, *& tenebræ oculis obortæ*, *& quæcumque ſimilia*, *etenim hæc*, *ſi abſque coctionis ſignis apparuerint*, *ſunt peſſimarum diſpoſitionum indicia*. *Hæc in morborum principiis*, *quo tempore natura nondum humores concoxit*, *& ſuperavit*, *apparent*. De his Hippoc. *in ſecundo Prognoſticorum*, in hunc modum ſcripſit: *Ceterum in principiis febrium ſive delirium acceſſerit*, *ſive alicujus membri ſideratio*, *veriturum hominem*, *ſciendum eſt*, *ſi non omnino aut ex optimis ſignis aliquod accedat*,

dat, aut corporis vires adſint. Signa vero criſin indicantia in ſtatu morbi obſervari Gal. in *primo de Criſib.* ſtatuit, ac ipſa poſt ſigna coctiones perpetuo eſſe ſalutaria. At modo ad id, ex quo digreſſi ſumus, redeamus. Cognitaque natura virium ex ratiocinatricis potentiæ actionibus læſis debilitate, nunc ſymptomata quoque, quæ motricem facultatem prælanguidam oſtendunt, attingamus. Partes itaque corporis motu atque ſenſu deſtitutæ facultatem animalem reſolutam indicant. Quo Hippoc. *lib. 2. Aphoriſm. 42.* dixit: *Solvere morbum, quem apoplexiam vocant, fortem impoſſibile, debilem vero non facile.* Quemadmodum optimum eſt corpora facile moveri, ita non recte moveri malum. Hippoc. *in lib. 3. Prognoſticor. pag. 39. lin. 33. aph. 46.* ait: *Qui dolore vexatur, facile convertatur, ſitque reſurgendo levis oportet, ſi corpus omne grave eſt, & item manus ac pedes, majori cum periculo eſt.* Sunt itidem aliquarum tantum partium reſolutiones (quas paralyſes Græci vocant) prælanguentem naturam præmonſtrantes, eæque præſertim, quæ læſo cerebro excitantur. Cujuſmodi in febribus continuis eſt aphonia, ſcilicet vocis reſolutio, de qua auctor *Prorrheticorum lib. 1. text. 96.* habet: *Quæ cum exſolutione fiunt & Catochæ, & aphoniæ perniciosæ ſunt.* Fiunt vero hæ non raro etiam ob convulſiones linguæ, vocis nimirum inſtrumentis multo humores imbutis, aut ab igneo calore admodum exſiccatis, quo pejus malum eſt. At quæ læſo cerebro exſoluta facultate fiunt, letales exſiſtunt, uti in Sileno obſervatum eſt, de quo Hippocrates *lib. 1. Epid. Ægr. 2. p. 969.* ait: *Septimo die obmutuit, & in Philini uxore, ibid. Ægr. 4. pag. 976. die ſeptimodecimo.* Sed hæ pernicioſæ reſolutiones apparent ſemper cum aliquo ex exitialibus ſignis, quando nonnullæ, ut nuper dictum eſt, aliquando fiant, partium reſolutarum læſis tantum inſtrumentis, ac aliquando criticæ, qualis in muliere trimeſtri fetu gravida *ibid. Ægr. 18. p. 990.* apparuit, *ipſa enim die tertia obmutuit, quæ quinto ſudore fuit judicata.* Quæ vero læſo cerebro fiunt, ſemper cum aliis pravis ſignis nobis innoteſcunt, qualis fuit, quæ in Pythione illuxit, de quo Hippoc. *lib. 3. Epid. Ægrot. 3. pag. 1058.* ait: *Altero die ſub meridiem extremæ partes frigebant, præter ceteras manus & caput obmutuit, breviſpirans, redit calor.* Hanc aphoniam Galen. *in comment.* docuit caloris refrigerationem, & maximam virium imbecillitatem prænotare. Atque ſic ex ſublato motu, ac diminuto, partium corporis facultatem animalem debilem, viribuſque morbo infirmiorem cognoſcemus. Ex vitiatis quoque motricis potentiæ actionibus, quarum ſymptomata ſunt convulſiones, ſingultus, tremores, rigores, & horrores, idem perquirendum eſt, hæc enim ſymptomata itidem naturam, & præſertim animalem, morbo infirmiorem denotant. De convulſionibus Hippoc. *in lib. 4. Aphoriſ. 66.* ita habet: *In acutis febribus convulſiones, & circa viſcera dolores fortes, malum; & ubi lib. 5. Aphor. 3. ſanguis multus fluxerit, convulſio aut ſingultus ſuperveniens, malum.* Et poſtea *lib. 7. Aphor. 3. A vomitu ſingultus & oculorum rubor, malum; & lib. 7. Aphor. 10. ab ileo vomitus, ſingultus, deſipientia, vel convulſio, malum.* Tremores eodem modo in acutis morbis, quod hanc facultatem debilem præmonſtrent, a

Motricis facultatis debilitas unde noſcitur?

male

ſſale apparent, omnium vero maxime, ſi a vehementi phrenitide appareant, letales exſiſtunt, teſte auctore *Prorrheticorum in* 1. *lib. text.* 9. qui ait, *phrenitica in vehementer trementia finiuntur*. Et poſtea *text.* 14. *Mente ob melancholiam aberrantibus tremores ſupervenientes, maligni*. Gal. *in comm. text.* 2. ait: *Quum igitur talem ob affectionem tremor fiat, vehementer exſiccatos oſtendit nervos, atque ob id hominem letaliter habere*; & paullo poſt: *Qui ergo ex atra bile, mente aberrantem ſuperveniente tremore, certo moriturum affirmat, non fallitur*. Et de rigore itidem prælanguidam hanc facultatem indicante, *in* 1. *lib. Prorrhet. text.* 64. *Ignorantia cum rigore, malum; & a rigore text.* 65. *refrigeratio non recaleſcens, malum; & poſt text.* 69. *oculorum perverſionem in febre laborioſa rigor ſuperveniens, mortem fatetur*. Et Hippocrates *in lib.* 4. *Aphoriſm.* 46. *Si rigor inciderit febre non intermittente ægro jam imbecilli, exitialis*. Et *in* 7. *lib. Aphor.* 7. *Ex multa potatione rigor & deſipientia, malum*. Rigor etiam in febre acuta, quam aut nulla evacuatio ſequatur, aut non bona, facultatem maxime debilem oſtendit, veluti mulieri, quæ in foro mendacium decumbebat, eveniſſe Hippoc. *lib.* 3. *Epid. Ægr.* 12. *pag.* 1080. vidit, quam ait ante exitium rigorem habuiſſe, cum ſudore frigido, qui eſt peſſimus, ut poſterius oſtendemus. idem notant horrores, de quibus Hippoc. *in lib.* 3. *Epidem. com.* 3. *text.* 3. *pag.* 1089. *litt. G.* ſcripſit: *Horrebant & ſub mortem delirabant, ut Critoni lib.* 1. *Epid. Ægrot.* 9. *pag.* 985. *accidit*. Vigiliæ etiam debilem facultatem ea ratione ſignificabunt. Aſſiduæ enim vigiliæ vires maxime reſolvunt, cerebrumque ſiccant. Quo Hippoc. *Progn. pag.* 39. *lin.* 52. ait, *hominem neque noctu, neque interdiu dormire peſſimum eſſe*: hinc etiam addidit: *vigilias, lib.* 2. *Aphor.* 3. *quæ modum exceſſerint, malas*. Interdum vero vigilant ægroti non ſiccato cerebro, atque exſtincta facultate reddita debili, ſed antequam fiant criſes ſalutares, ut Gal. *in lib.* 3. *cap.* 5. *de Criſib.* meminit, quod & *ad ſect.* 4. *Aphor.* 71. ita habet: *Vigilant enim magna ex parte & graviter ſe habent, ac febricitant vehementius ægri, quanto propius ad judicationem accedunt*. Sed, ut alias quoque dictum eſt, hæ vigiliæ, ſignis coctionis prægreſſis, excitantur, illæ facultatem debilem ſignificantes principio morbi, quo tempore omnia cruda exſiſtunt. Aſſiduæ vero & diu durantes peſſimæ exſiſtunt, quippe naturam partim exſolutam, & partim exſolvi præmonſtrantes. Quales in uxore *lib.* 1. *Epid. Ægrot.* 11. *pag.* 987. dromeadai, atque in illo, qui caleſcens *ibid. Ægr.* 12. *pag.* 988. cœnavit, Hippoc. *in* 3. *Epid.* 3. *text.* 28. *Aphor.* 18. vidit. Hic quidem a die ſexta uſque ad undecimam, in qua obiit, aſſidue vigilavit. *Peſſimam itidem vigiliam in acutis morbis cum convulſione eſſe*, Hippoc. *in lib.* 7. *Aphoriſ.* 18. ſtatuit. A ſomno etiam hujus facultatis debilitatem cognoſcere poſſumus. Immoderatus enim ſomnus malus eſt, & exitialis longas vigilias in acutis morbis ſecutus. Loquor vero de ſomno profundo, quem *coma* Græci vocant, & Gal. in ſomnum delationem ſive inclinationem appellat; qua ægri quin dormiant, ſe continere nequeunt, atque etiam profunde ſic dormiunt, ut vix expergiſcantur, ſtatimque in ſomnum deferuntur. Hos ſomnos veternoſos Gal. in 6. *Epidem. com.* 6. *in text.* 8. vocat, qui perpetuo prælanguida m

languidam facultatem denotant, omniumque maxime, ut diximus, qui calidioribus, ſiccioribuſque morbis ſuccedunt, quoniam frigiditas, ex qua fiunt, eſt letalis. Quod Gal. *in lib. 3. Epidem.* hiſce verbis expreſſit, dicens: *Nam inſanabilia ea eſſe demonſtratum eſt frigora, quum calidis & ſiccis morbis contingunt.* Addimus ſomnum eſſe actionem naturæ, qua humores in viſceribus concoquuntur, & digeruntur. Quod inde omnis calor ab extra intus feratur, ut Gal. *in 6. Epidem. com. 5. text. 37.* tradidit. *Quum vero ægri dormiant, morbuſque nihil exinde minuitur, maximo eos teneri morbo, quem facultas vincere nequeat, nobis eſt argumento.* De quo Hippoc. *lib. 2. Aphoriſm. 2.* dixit: *Ubi ſomnus delirium ſedat, bonum, &c. ibid. Aphor. 1.* Quibus in morbis ſomnus laborem facit, mortale. Si vero non juvet, mortale; ſomnus itidem nimius ſimul cum vigilia idem denotabit, quippe facultatem morbo viribus imparem, atque debilem. De his Hippoc. *in 3. Epidem. com. 3. pag. 1085. text. 16.* dixit: *Comatoſi rurſuſque inſomnes erant.* Et paullo poſt, *detinebantur aut comate perpetuo, non ſomnolento, aut vigiles erant cum laboribus.* At ad ea ſymptomata, quæ actiones ſentientis facultatis debiles, quippe, aut ſublatas, aut imminutas, aut vitiatas, quibus hæc ſentiens potentia debilis ſignificatur, oſtendunt, deſcendimus. De quibus, ut a viſu incipiamus, Hippoc. *in lib. 4. Aphoriſm. 49.* habet: *Si non videat, vel non audiat, jam debili exiſtente corpore, quicquid horum evenerit, mors proxima eſt.* Symptomata vero omnia, quæ viſoriam potentiam prælanguidam morboque imparem viribus, denotant, Hippocrates addidit *in primo libro Prognoſt. pag. 37. lin. 15. & ſeq.* ſic ſcribens: *Si enim lucem effugiant, aut nolentes illacryment, aut pervertantur, aut alter altero fuerit minor, aut candidum rubidum habeant, aut lividas, aut nigras venulas, aut ſordes appareant circa oculos, aut ſublimes, tumidive oculi, vel cavi admodum fuerint, & obſcuri, quippe ſine ſplendore, vel totius color evariet vultus. Hæc omnia mala eſſe atque exitioſa cenſendum eſt.* Et poſtea: *Conſiderari autem convenit hunc in modum ſuſpectiones etiam oculorum per ſomnum, ſi quid enim candidæ partis ſubapparet commiſſis palpebris, nec alvi fluor aut medicamentum in cauſa eſt, aut nec ita dormire conſuevit, vitioſum indicium, letaleque admodum eſt.* Idem ſurditas ni fuerit critica, in morbis acutis oſtendet, de qua *in Coacis præſagiis text. 196.* legitur: *In febre acuta aures obſurdeſcere furioſum eſſe,* & in *1. Prorrheticorum text. 32. Surditas in acutis & turbulentis, malum.* Idem ex aliis ſenſibus, aut ſublatis, aut imminutis, aut denique vitiatis in morbis acutis crudoque exiſtente morbo, erit conjiciendum. Quotieſcumque etiam ægroti morbos non ſentiunt, aut delirium, aut emortuam ſentiendi facultatem prænotant. Hippoc. *in 2. Aphoriſm. 6.* ait: *Quicumque dolentes parte aliqua corporis omnino dolorem non ſentiunt, iis mens ægrotat.* Addimus, ni id exſtincta ſentiente facultate fiat. Idem partes extremas corporis frigidas ſentiri, quum internæ urantur, nobis præſagient. Quod Hippoc. *in lib. 4. Aphoriſm. 48.* ita expreſſit: *In febribus non intermittentibus, ſi partes exteriores frigidæ, interiores urantur, & ſitim habeant, letale.* Peſſimum eſt extrema refrigerata, non amplius recaleſcere.

Actionum ſentientis facultatis debilium ſigna.

ſcere. Quod de Sileno moribundo Hippoc. meminit, dicens : *Extremitates undequaque frigebant, nec jam ad calorem illæ amplius redibant*. Ex iis itaque omnibus actionibus, a ſuo naturali ſtatu valde mutatis, quippe vel ablatis, vel diminutis, vel maxime vitiatis, facultatem animalem debilem, morboque viribus imparem conjicimus : maximeque, ſi vel hæ omnes, vel plures eo modo læſæ, ſua munera non recte obire comprehendantur. Ad quam rem accuratius dignoſcendam, omnia earum actionum quum ſymptomata, tum inſtrumentorum ipſis famulantium morbi erunt attendendi. Veluti in videndi actione ablata nuper ex Hippocrate complura exempla adduximus : qui quum nobis ex illa ſublata actione prælanguidiſſimam facultatem viſoriam ſignificare profuerit, non ſolum ægros acuto morbo laborantes, non videre, aut diminute quidem, at ſimul etiam viſus inſtrumenta varia quum ſymptomata, tum morbos pati docuit *in* 1. *Prognoſt. pag.* 37. *lin.* 15. *text.* 13. Nam non ſolum ægroti, ſi lucem effugiant, aut nolentes illacriment in acutis morbis, malum eſt ; at longe pejus erit, oculorum altero alterum ſimul convelli, aut intumeſcere, aut inflammatum albumine rubrum videri, aut cavos admodum, vel ſine ſplendore oculos eſſe, & alia hujuſmodi multa in oculis obſervari. Quæ & cerebrum, & ei, quæ ſerviunt, inſtrumenta maxime læſa oſtendunt, atque ex iis facultatem quoque unam periiſſe. Quæ omnia poſtea nos accuratius tractabimus, quum ſpeciatim de prædictione a cujuslibet facultatis actionibus, & a partibus corporis agemus. At ex aliis aliarum cognoſcendarum facultatum actionibus inſtitutum noſtrum proſequamur.

CAP. V.

De actionibus facultatis vitalis ex ipſius ſymptomatis cognoſcendis.

EX multis ſymptomatis, quæ potentiam ſeu facultatem vitalem debilem, quippe aut ſublatam, aut imminutam, aut denique vitiatam oſtendunt, duo præcipua ſunt, reſpiratio nimirum, atque pulſus a ſuo naturali ſtatu mutatus, ad quæ nonnulla alia accedunt, uti cordis palpitatio, ſyncope, & refrigeratio. A reſpiratione vero exordientes, dicamus, ipſa nimirum reſpiratione intercepta animal mori, uti in anginoſis, pleuriticis, peripneumonicis, orthopneicis, atque ſuppuratis obſervatur. Quæ itaque in morbis acutis reſpiratio magna eſt, atque rara, præſagit delirium. Cujuſmodi in Sileno viſa eſt, de quo Hippoc. *lib.* 1. *Epid. Ægr.* 2. *pag.* 969. *text. ult. a primo hic ad finem uſque ſpiritum magnum habuit, & rarum*, & de Melibœæ etiam adoleſcente *lib.* 3. *Epid. Ægr.* 16. *pag.* 1117. *Sequentibus diebus ſpiritus rarus, & magnus per intervallum*. Quæ vero rara & parva obſervatur, exitialis eſt. De qua Galenus *in* 3. *Epidem. com.* 3. *in text.* 74. ita habet, *parvum eſſe quemdam pariter & rarum ſpiritum, qui quum refrigeratur, & emoritur jam vitalis facultas, ſit*. De frigido vero, qui fere exſtincta facultate editur, ait Hippocr. *Progn. pag.* 38. *lin.* 10. *Si frigidum e naribus, & ore exſpiretur, exitiale jam eſt admodum*.

Reſpirandi actiones læſæ.

Eſt etiam parvus & frequens ſpiritus non minus malus, quum & ipſe nativum calorem, ut Galenus docet, exſtinctum ſignificet. Qualem in Pythione Hippoc. *lib. 3. Epid. Ægr. 3. pag. 1098. breviſpirum* appellavit. Pravum itidem eſt, magnum ſpiritum ſeu reſpirationem in parvam, & raram in frequentem mutari, quæ in Dealcis uxore fuit obſervata, de qua Hippocrates *in Epid. 3. Ægr. 15. p. 1114. text. 85. Decimoquarto, ſpiritus rarus, magnus per intervallum, rurſuſque breviſpirus.* Omnium maxime exitialis eſt etiam reſpiratio, quæ e ſolis naribus editur, & non ex ore. In qua quum thorax debilius, quam ad reſpirationem conveniat, moveatur, neque commode dilatetur, etiam pinnæ narium contrahi, & moveri videntur, quod Gal. *in lib. de Loc. Affect.* hiſce verbis docuit: *Quippe, ſi videatur laborans inter ſpirandum totum movere thoracem, ut in parte quidem anteriore ad jugulum, in utroque latere ad ſummum humerum, in poſteriori parte ad ſcapulas uſque motus ipſius aſcendat, tres ex hujuſmodi ſpiratione affectiones ſignificant. Una eſt flammea in pulmone atque corde caliditas, altera in aliquo ſpiritualium inſtrumentorum anguſtia, tertia eſt facultatis muſculos thoracis moventis imbecillitas.* Inæquales itidem reſpirationes, & interruptæ, quæ convulſionum modo fiunt, perpetuo peſſimæ exiſtunt. Reſpirandi hæ itaque actiones læſæ, vitalis facultatis impotentiæ nobis ſunt indicio. Eodem quoque modo arteriarum pulſationes, vel prorſus ſublatæ, vel maxime imminutæ, vel vitiatæ, ſeu, ut unico verbo dicam, maxime a ſuo naturali ſtatu mutatæ, idem præmonſtrabunt. Itaque quum vehementes pulſationes omnium maxime robuſtam facultatem ſignificent, ut Gal. *in lib. 2. de Præſag. ex Pulſibus* eſt auctor, ita languidæ imbecillam, quam rem Gal. ita expreſſit, dicens: *Vehemens pulſus a facultatis ſemper robore fit, ac quo fit vehementior, tanto robur majus eſſe facultatis. Languidus ex facultatis imbecillitate, ac quo ſit languidior, eo facultatem quoque imbecilliorem eſſe demonſtrat. Ceterum omnes pulſus,* (ait Gal. *in Synopſi de Pulſibus cap. 7.*) *qui a naturali ſymmetria multum recedant, non boni ſunt.* At certe languidiſſimus & tardiſſimus, & rariſſimus, omnium eſt deterrimus; poſt hos autem minimus, & molliſſimus, & duriſſimus, poſtea frequentiſſimus, at non celerrimus, neque maximus; ſed hi ſunt modice periculoſi, ſolus aut in extremis optimus eſt omnium vehementiſſimus. Infirmam vero denotant facultatem parvi, anguſti, humiles, tardi, languidi, intermittentes, minus deficientes, vermiculantes, formicantes, atque omnes, qui ad extremum pervenerunt, exceptis vehementiſſimis. Quare hi omnes pulſus ſeu arteriarum pulſationes, debiles ac admodum a naturali ſtatu mutatæ, conſpectæ, facultatem vitalem morbo viribus imparem oſtendunt, & quæ nullo modo fiunt, eam exſtinctam prædicant. Atque his non minus, tardiſſime quæ obeuntur ac rariſſime, nec numquam in pulſando ſæpius, & multum intermittunt. De quibus Gal. *in 2. cap. 4. de Præſag. ex Pulſibus* ita ſcribit: *Nam ſi hactenus procedat, ut unius pulſus, vel alterius videatur tempus quieſcere, inſtar veterni eſt, aut apoplexiæ cujuſpiam, aut reſolutionis actionum voluntariarum, qualia enim hæc in aliud principium ſunt, quod ſedem habet in cerebro, tale quiddam pulſuum eſt quies adverſus principium, quod in cor-*

Arteriarum pulſationum actiones læſæ.

corde ſitum eſt, & ut recte de illo eſt dictum, apoplexiam non poſſe fieri, ut propulſetur, ſi ingens ſit: ſin levis ſit, non ſine magno negotio: ita etiam dicitur hic recte, quies pulſuum ſi ſit diuturna, ut tollatur non fieri poſſe. Sin brevis ſit, non citra negotium. Porro diuturna eſt, quæ excedit duorum pulſuum tempus, brevis, quæ intra duorum pulſuum tempus manet. Quies vero temporum unius pulſus inter omnes intermiſſiones moderatiſſima eſt, multique ex ea ſenes pariter & pueri evaſerunt, juvenum autem ne ex hac quidem ullus. De raris vero ac tardis pulſibus *in lib. Synopſ. de Pulſ. cap.* 33. ſic ait: *Quæ igitur eſt in ipſo cordis corpore refrigeratio magna, eatenus etiam pulſus languidos efficit & tardos, & parvos, quatenus & ipſa dominatur. Quæ vero ab aliqua alia parte proficiſcitur, raritatem pluſquam alia prædicta genera a naturali ſtatu amovet. Ubi ergo corpus ipſum cordis refrigerationem ſuſcipiat, mors inevitabilior eſt, ac raritas quidem pulſuum eſt uſque adeo perniciosa.* A reſpiratione itaque ac pulſibus arteriarum ſic nos vitalis potentiæ debilitatem diſcere quimus, tum vero ab animi deliquiis, quæ ſyncopes Medici appellant, tum a cordis palpitationibus, de quibus Hippocr. *in ſecunda ſect. Aphor.* 41. ita meminit: *Qui frequenter ac fortiter abſque cauſa manifeſta exſolvuntur, derepente moriuntur.* Et Galen. *in Commento: Sicuti & ille, cui dum exſolveretur, cor fortiter palpitabat, atque hic derepente mortuus eſt, non aliter quam illi, qui acutiſſimis cordis affectibus, quos ſyncopes vocant, arripiuntur.* Sed de ſymptomatibus vitalem naturam prælanguidam, morboque infirmiorem denotantibus hæc ſufficient. Nunc illa, quæ naturalis potentiæ impotentiam ſeu debilitatem declarant, itidem ſpectemus.

CAP. VI.

De debilibus actionibus facultatis naturalis ex ipſius ſymptomatis cognoſcendis.

Nutritio quomodo perficitur, & hujus neceſſitas.

DIctum eſt alias, unam præcipuam eſſe actionem, qua corporis partes omnes conſervantur, ſcilicet nutritionem, ob hanc enim corpora diu vivunt, & ſine ipſa contabeſcunt. Hujus ope humidi ſubſtantifici, quod in partibus corporis conſumtum, ſeu exhauſtum eſt, ſeu reſolutum, continue reſtauratur, atque regeneratur. Hinc autem quatuor actiones famulari ſuperius diximus, unam quippe cibum, ſeu alimentum, ſeu nutrimentum attrahendo, alteram retinendo, tertiam coquendo, ac quartam excrementum expellendo, ſeu excernendo. Hiſque non minus actionibus robuſtis exſiſtentibus, animal probe nutriri atque vivere. Nunc oppoſitum illi prælanguidis exſiſtentibus fieri ſtatuimus; ſcilicet in corporis partibus, innutritionem fieri, *atrophiam* Græcis dictam, qua corpora ſiccantur & contabeſcunt. Stomachus autem inſtrumentorum naturali huic potentiæ ſervientium præcipuus, ante eas quatuor actiones, alia etiam utitur, ſine qua aliarum uſus haud recte conſiſteret. Hæcque cibi atque potus appetentia dicitur, quæ a penuriæ ſeu carentiæ pabuli ſenſu prodit, atque innoteſcit. Duplexque hæc ap-

Naturalis facultatis debilitatis cognitio ex nutritione vitiata.

petentia, ſive appetitus, unus cibi, quem famem, alter humidi ſeu potus quem ſitim appellant. His ſi careant corpora, morbis inculpata, diu non vivunt, in morbis longis nihil cibi inappetentia eſt deterius. Quo dixit Hippocrates *lib. 7. Aph. 6. in morbo diuturno cibi faſtidium, malum*. Et Galenus *in Commento*: *Faſtidium cibi per ſe ipſum pravum eſt ſignum in morbis diuturnis*. Nam in iis, qui a talibus morbis ſunt evaſuri, contrarius affectus ſolet accidere, vehemens ſcilicet ciborum appetentia. Quod ſpeciatim *de Dyſentericis* Hippocr. *lib. 6. Aph. 3.* clarius hiſce verbis expreſſit: *In difficultatibus inteſtinorum cibi faſtidium, malum, & ſi cum febre pejus*. In morbis vero acutis nihil eſt deterius, quam ægrotos quum ciborum omnium, tum potus appetitu carere, etenim duorum alterum neceſſario ſequetur, aut eos mente motos eſſe, aut naturalem facultatem ſtomachi exſtingui, ut Galen. *in lib. 2. Aphoriſm. 6.* affirmavit. De quibus plura apud Hippoc. exempla habentur, quibus in morbis acutis ciborum, potuſque ſublatum deſiderium, ſeu appetitus, letalis, dignoſcitur, quod in Hermocrate Euryanactis virgine, Pario, muliereque apud frigidam aquam decumbente, & in aliis, qui obierunt, fuit obſervatum. De Hemocrate Hippoc. *in 3. Epid. Ægrot. 2. pag. 1062. com. 3. text. 3.* ait: *Toto tempore cibos averſabatur, & paullo poſt guſtare quicquam non valebat*; & de virgine Euryanactis in libro tertio *Epid. Ægrot. 6. pag. 1073. text. 3. Quoſvis cibos toto hoc tempore faſtidivit, neque appetivit quicquam, non ſitiit*: & de muliere apud frigidam aquam *lib. 3. Epid. Ægr. 2. p. 1096. Cibum faſtidiebat*,

Ex ſiti. Idem de ſiti dicendum erit, nimirum ſublatam in ardentibus febribus aut delirium, aut facultatis naturalis exſtinctionem, denotare; de hac Galen. *in primo Epidem.* ita ſcribit: *Huc acceſſit ad cumulum aliud ſignum exitioſum, quod quum antea æſtuaſſent, amplius non ſitirent, atqui, quando, qui antea ſiti flagrarent, poſtea eſſent a ſiti liberi, horum duorum ſit neceſſe eſt alterutrum, aut morbi ſolutio, aut virtutis exſtinctio, ita ut præſentia mala amplius non ſentiant*. Uti in Hermocrate atque in aliis moribundis viſum eſt, de illo Hippocr. *lib. 3. Epid. Ægrot. 2. pag. 1062. Com. 2. text. 75.* dixit: *lingua inaruit, non ſitiebat*. Atque hæc de naturalis facultatis infirmis, ſeu debilibus actionibus, ex appetitus ratione cognoſcendis, nobis ſufficiant. Nunc de reliquis quatuor agamus. Itaque partes corporis, ſi improbe humores, quibus nutriuntur, attrahant, in innutritionem (quem affectum Græci *atrophiam* vocant) neceſſario incurrent. Idem, & quæ attractum humorem, quod coquatur, non retinent, denotant, facultatemque debilem eſſe præmonſtrant. Uti in lienteria ſeu levitate inteſtinorum (quod ſymptoma quum perpetuo malum, tum in acutis morbis, quia ſublatam retentricem ſignificat, ſumme exitioſum eſt,) obſervamus. Eodem modo concoctricem, ſeu alteratricem ſublatam, diminutam atque vitiatam (quos affectus Græci *apepſiam, bradipepſiam* ac *diſpepſiam* vocant.) ejusdem naturalis facultatis debilitatem denotare non minus, quam expultrix itidem læſa faciat, eſt dicendum. Quare ex quatuor iis læſis actionibus hujus facultatis imbecillitas nobis innoteſcet.

Quas actiones, quippe attractricem, retentricem, concoctricem, atque expul-

expultricem, læsas excrementa e corpore exeuntia maxime ostendent, nimirum, quæ ex ventre, stomacho, pectore, vesica, & ex cutis meatibus rejiciuntur, non minusque a sanguinis eruptionibus. Quibus addimus abscessus tumoresve in corpore erumpentes, qui ad excretricis vim dignoscendam maxime faciunt. Itaque has quatuor actiones naturalis scilicet facultatis sublatas, imminutas, atque vitiatas, primo ex malis alvi dejectionibus cognoscamus, postea, ex malis itidem urinis, sputis, vomitibus, sudoribus, & a sanguinis eruptionibus, ac vel etiam ab abscessibus erumpentibus. De malis vero dejectionibus actiones naturalis potentiæ debiles denotantibus, Hippocr. *in lib. 3. Epid. pag. 1085. lit. F. com. 33. text. 40.* ita habet: *Alvus his plerisque turbata erat, atque dejectiones crudas excernebant, & multas & tenues.* Et in libro 5. Aphor. 12. *Quibuscumque tabe laborantibus capilli a capite defluunt, iis alvi profluvio superveniente, moriuntur.* Et in libro septimo Aphor. 16. *a puris sputo phtisis, & fluxus.* Quod Gal. *in Comm. Aph. 65.* ita est interpretatus: *Fluxum autem vel de capillorum defluvio, vel de humida dejectione, protulit*: ambo consueverunt evenire, quum tabidi ad extremum mali, perducuntur: alterum ex siccitate, altera ex potentiæ debilitate. Eamdem facultatis debilitatem, cruentam alvi dejectionem præmonstrare Galen. *in primo lib. Prorrhet. com. 2.* docuit. Idem & urinæ profluvium, *diabetem* Græcis dictum, significat; præmonstrare enim magnam retentricis & alteratricis facultatis debilitatem, ait Galen. *in 1. lib. cap. 22. de Crisibus. Copiosæ item dejectiones in principio morborum, biliosæ, virides, lividæ, nigræ, versicolores, meræ, pravæ sunt.* Quum, Galen. auctore *in primo lib. cap. 7. de Crisibus: Decernentia in melius non statim appareant, sed ubi natura humores concoxit.* Hæ retentricem debilem, aut excretricem immaturius, multitudine aut prava qualitate humorum gravatam excernentem, ostendunt. Paucæ quoque in die decretorio apparentes, quæ continuo sistantur, languorem & imbecillitatem expultricis, denotant. De his Hippoc. *in primo Epidem. Sect. 2. pag. 948. lit. A. comm. 22. tex. 41.* ita habet: *Ventres etsi forte humecti essent, statim maligno modo sistebantur.* Aquosas vero candidas, aut admodum croceas, aut spumantes, Hippoc. *in libr. 2. Prognost. pag. 40. lin. 12. text. 12. & 29.* damnavit; non minusque paucas glutinosas, pingues, candidas, subcroceas, læves, quod colliquationis sint indicia. His esse exitialiores nigras, lividas, opimas, & fœtidas. De nigris *in lib. 4. Aphorism. 21.* Hippoc. dixit: *Dejectiones nigræ, qualis est sanguis niger, sponte venientes, sive cum febre, sive sine febre, pessimæ.* Et paullo post *Aph. 23. Quibuscumque ex morbis acutis, aut diuturnis, vel ex vulneribus, sive quovis alio modo extenuatis, nigra bilis, sive uti sanguis niger desuper exierit, postridie moriuntur.* Atque hæc pauca obiter de malis dejectionibus naturalem facultatem debilem, ejusdemque actiones maxime læsas præmonstrantibus, diximus. Idem nunc ex urinis malis perscrutemur, quatenus actiones naturalis potentiæ debiles ostendunt: De his *in 3. Epidem. pag. 1085. lit. F. pag. 40. lin. 47.* scribit: *Urinas nigras in mulieribus & viris, & in pueris aquosas, perniciales esse.* Et in lib. 4. Aphorism. 72. *Quibus urinæ albæ & perspicuæ, malæ, præsertim si in delirantibus appa-*

Ex dejectionibus malis.

Ex urinis malis.

reant. Has Gal. *in Comment.* dixit, conſpici in iis ægrotis, qui exitio proximi ſunt. *Tenues aquoſæ in bilioſis acutiſque morbis peſſime exiſtunt*, quod omnium maxime cruditatem humorum ſignificent, ut Galen. quum in loco citato, tum in primo *de Criſibus* docuit. Eodem modo craſſæ, turbidæ non reſidentes, quod itidem naturam prælanguidam oſtendant. De his Gal. in 4. *Aphoriſmorum* 70. *cap.* 4. *Quæ non reſident, ſi vires adfuerint, longum fore morbum oſtendunt, ſi imbecillitas adſit, ægri mortem prænuntiant*. Et in quarto lib. de Sanitate tuenda: *Si vero vel omnino nulla ſeparatio, vel id quod ſubſidit, malum ſit, imbecillitas naturæ ſignificatur*. Idem notant, quæ ſubſidentiam craſſam, farinæ craſſiori ſimilem habent. Galen. *in* 4. *Aph. Com.* 31. enim dixit, *tales urinas exitiales eſſe, quod in acutis morbis exitium, & in mitioribus ſaltem longitudinem prænuntient, natura crudum humorem longo tempore coquente*. Plurimi vero morte præripiuntur, antequam ægritudo diutius protrahatur, & quicumque ex ipſis ſunt liberati, iis omnibus in longum producta eſt ægritudo. Nigræ etiam omnes pravæ ſunt, exitialiſſimæ cum nigro ſedimento, cujuſmodi minxerunt Phyliſcus & Silenus *lib. Epid. Ægrot.* 1. & 2. moribundi. Pingues itidem ac oleoſæ, quod liquentem calorem ſignificent, damnantur: Addimus copioſas crudas, quæ concoctricis potentiæ debilitatem, tum ipſam etiam excretricem læſam indicant. De quibus Hipp. *in* 3. *Epid. pag.* 1086. *inter litt. C & D. comm.* 3. *text.* 61. ita meminit: *Urinæ multæ erant, neque erant illæ ex potu ingeſto, ſed illum excedebant, neque enim inerat craſſitudo, vel concoctio, vel purgatio proba*. Idem ex malis ſputis comprehenditur, ſcilicet naturalis facultatis actionum imbecillitas in morbis ſane partium ſpirituoſarum. Etenim in pleuriticis, ægrotos nihil exſpuere, morbum crudiſſimum denotare, Galen. in primo *de Criſib. in* 1. *Aph. com.* 12. poſteritati tradidit: & ſputum ſupprimi quum in his, tum in ſuppuratis exitium præmonſtrare *in lib. de conſtit. Art. Medicæ* teſtatum reliquit. Amplius ex Hippocratis *lib.* 2. *Prognoſticorum pag.* 41. *lin.* 40. *cap.* 18. in ſuppuratis excretionem bilioſam exitialem eſſe ſcimus, ſive ſejunctim bilis & pus, ſive ſimul excernantur. Nigra quoque ſputa, flava, viridia, livida & verſicolora, peſſima exſiſtunt. Ex ſanguinis quoque eruptione potentiæ hujus infirmitas cognoſcitur, ubi ſane parcius, quam ſit opus, erumpat, debilis expultricis non raro eſt nota. Hinc omnes ſtillæ ſanguinis e naribus in febribus acutis ac inflammationibus maxime damnantur, quippe quod nobis expultricis facultatis prælangueſcentis ſint indicio. Quod Hippoc. *in primo Epidem. Sect.* 2. *p.* 944. *lit. F. comm.* 2. *text.* 17. ita annuit: *Nec ſanguis de naribus niſi paucis & admodum paucus erupit*, & poſtea *ibid. pag.* 951. *litt. E. text.* 63. *Nam Phyliſcus quidem Epamenon & Silenus, quibus parum quarto die & quinto ex naribus ſtillavit, mortem obierunt*, & Gal. in 4. *com.* 67. *de Vict. rat. in acutis*: Novimus enim, quod ſanguinis e naribus ſtillationes, malum ſemper quippiam eſſe ait, propterea quod natura quidem incipiat, quod ſuperfluum eſt, excernere, ſed ob propriam imbecillitatem nequeat. Et in *primo Prorrh.* ait: *Sanguinis ſtillatione naturam collectam in cerebro abundantiam conatam eſſe, ut expelleret, ſed nequiviſſe*. In morbis ſiquidem

Ex ſputi malis.

Ex ſanguinis eruptione prava.

dem, quorum proprium videtur, ut per ſanguinis vacuationem ſolvantur, ubi non eruperit, ſi tamen per alias vias ægrota corpora non fuerint vacuata, prælanguidæ naturæ expellentis eſt indicium. Ex quo dixit Hippoc. in *primo Epid. ibid. litt. G. comm. 2. text. 65. Sanguis autem plurimis eruptuit, præcipue adoleſcentulis & adultis, quorum periit maxima pars, quibus ſanguis non erupit.*

Idem ſignificat in febribus continuis ægrotos ſine ſudore, vel alia bona vacuatione judicari, ut Hermocrati evenit, de quo ſcriptum eſt *lib. 3. Epid. Ægrot. pag. 1062. quarto decimo die a febre erat liber, non ſudavit*: & paullo poſt: *Iterum vigeſimo die eſt judicatus a febre liber, non ſudavit*. Aut ſi ſudores erumpant, ſed tamen pauci, vel morbum non ſolventes. De quibus Hippoc. *in quarto Aphoriſm. 56.* ait: *Febricitanti ſudor ſuperveniens, febre non deficiente, malum*: vel clarius de prælanguidam expultricem ſignificantibus in *primo Prorrh.* ſic habet: *Sudores quoque, qui cœperunt quidem, ſed protinus ceſſaverunt*, pravi ſunt. Et Hippoc. *Com. 1.* de iis, qui non ſolum febrem, neque ægrotos allevant in eodem libro *Prorrh. lib. 1. text. 7. Qui in hypochondrio, febre refrigerata, ardores ad linquuntur, tum alias, tum cum ſudoribus, mali ſunt*, & in alio libro *ibid. text. 67. inquietatio cum ſudore eſt mala in acutis morbis, & flammans quoque cum ſudore facies his mala.* Aut mali ſunt, qui non ex toto corpore, ſed ex aliqua parte tantum erumpunt. Quos Hippoc. in *primo Epid. pag. 940. lin. 9. com. 1. text. 24.* ita meminit: *Sudabant ſemper quidem, ſed non ex toto corpore.* Et auctor Prorrheticor. *lib. 1. text. 126.* exiguum ſudorem cum extremis refrigeratis malignum atque pravum eſſe voluit: & Hippoc. in *primo Prognoſticorum pag. 38. lin. 21.* frigidos, & qui circa caput tantummodo eveniunt, vultum & cervicem; hoſque cum acuta febre exitiales eſſe ſtatuit. Mali itidem ſunt, multi non juvantes, de quibus Hippoc. ſupra *in primo Epidemiorum Sect. 2. pag. 945. lit. E. com. 2. text. 26. Sudores multi his tantum aberant, ut recrearent, ut etiam contra lederent.* Quare tales omnes ſudores naturalem potentiam debilem, morboque viribus imparem eſſe ab excretricis cognita imbecillitate, præmonſtrabunt. Nunc ex vomitibus quoque malis idem cognoſcamus. Quorum pauci, multique non juvantes, mali exſiſtunt, de quibus in *primo Epidem. ibid. pag. 948. inter litt. G. & H. com. 2. text. 64.* Hippocrates ait: *Phreniticis convulſiones, ſed & virulenta vomunt, & ex his quidam ſubito moriuntur.* Significant enim naturam cœpiſſe expellere malos humores, & non potuiſſe, in principio quoque morborum copioſi mali ſunt, ſymptomaticique vocati, omnium peſſimi porracei, lividi, nigri, verſicolores, graviter olentes, ex Hippoc. in *lib. 2. Prognoſt. pag. 41. lin. 6. text. 39.* ita ſcribente: *Si vero vomitio fuerit porracea, livida, aut nigra, quicumque ex his fuerit calor, malum eſſe cenſendum eſt, & ſi idem homo omnes vomuerit colores, exitiale admodum eſt.* Ex abſceſſibus itidem mali ſunt, non juvantes, etſi magni ſint & plures, quia naturam omnem humorum copiam non poſſe deponere nobis ſunt indicio. Parvi itidem non ſubſiſtentes, neque venientes ad ſuppurationem, pravi exſiſtunt, præſertim ſi ſtatim exorti diſſol-

Ex ſudoribus pravis.

Ex vomitibus pravis.

Ex abſceſſibus malis.

vantur, atque intus recurrant. De his Hippoc. *in* 1. *Epidem. Sect.* 2. *pag.* 946. *litt. G. com.* 2. *text.* 35. dixit: *His ſuccedebant abſceſſus aut majores, quam ut ferri poſſent, aut minores, quam ut prodeſſe quicquam. Sed ſtatim redierunt, & deteriores evaſerunt*: & in lib. 6. Epidem. *Sect.* 2. *text.* 7. *pag.* 1168. com. 2. text. 10. *Abſceſſus veluti bubones, ſignum quidem ſunt germina habentium tum aliorum tum præcipue viſcerum, maligni*. His facultatem imbecillem eſſe, aut a morbi vi exſolutam, aut nobili viſcere ipſius primo inſtrumento, in quo ſedem habet, valde læſo, dignoſcimus. De his malis abſceſſibus ſatis accurate Hippoc. *in* 1. *lib. Epidem. Sect.* 2. *pag.* 946. *lit. H. com.* 2. *text.* 38. ita meminit: *Papulæ parvæ, quæ non eſſent excernendis morbis, ſtatimque evaneſcebant, aut ſecundum aures tumores nigricantes, qui nihil denuntiarent*. Quibus in articulos præſertim in coxendicem decumbebant, paucis decretorie ceſſabant, ſtatimque ſuperati ad priorem ſtatum redierunt. Atque hæc obiter de actionibus omnium facultatum, quippe, animalis, vitalis atque naturalis a probo ſtatu in malum mutatis, naturam morbo, contra quem pugnat, viribus imparem nobis præmonſtrantibus, dicta ſint. Tranſeundum vero nunc eſt ad morborum virium dignotionem, ut ipſis etiam cognitis, naturamque ac morbi viribus invicem comparatis, & collatis de morborum exitu, certum prognoſticum aſſequi poſſimus.

CAP. VII.

De cognoſcendis morborum viribus, atque in primis ex quibus ipſorum quum robur, tum imbecillitas cognoſcatur.

COgnitis naturæ viribus, morborum quoque nunc ſunt cognoſcendæ, quæ uti naturæ vim ex actionibus, tum fortibus ſeu robuſtis, tum debilibus cognoſci diximus, ſic nobis etiam ex ſymptomatis, quibus morbi ad varias partes corporis oppugnandas utuntur, innoteſcent. Horum quædam una cum morbo, quem ſequuntur, apparent, quædam poſtea. Hæc morem ſeu modum morbi produnt, illa ideam ſeu ſpeciem, atque magnitudinem. Ideam vero denotant propria morborum ſymptomata, quæ *Pathognomonica* Græci appellant, quæque ſimul cum morbo apparent, ipſumque perpetuo concomitantur, ut in pleuræ inflammatione, pleuritide vocata, dolor in altero laterum vel in utroque punctorius, febris continua, tuſſis, reſpiratio difficilis, pulſus inæqualis, durus, ſerrinus nuncupatus, ideam ſeu ſpeciem iſtius inflammationis denotant, & phrenitidem, febris continua, & delirium perpetuum explicant, & ſic de aliis omnibus. Quilibet enim morbus propria ſigna ſeu ſymptomata habet, quibus ejus ſpecies ſeu idea detegitur, ac ab aliis diſtinguitur. Hæc itaque recte perſpecta ac cognita non parum nobis erit adjumenti, ad cognoſcendum morborum quum robur tum imbecillitatem. Etenim omnes Medici non ignorant, pleuritidem eſſe morbum, naturam corporis magnis viribus oppugnantem. Quod & partem cordi, viſceri præcipuo, vicinam inflammaverit, cujus febris aſſidua, dolor

Morborum ſymptomata pathognomonica, & ſubſequentia.

Morborum levitas & magnitudo cognoſcitur ex morbi idea.

dolor lateris, tuſſis, reſpiratio difficilis propria ac certa ſunt ſymptomata. Hæc vero vel pauciora, vel parva, ac levia obſervata, mitem morbum minus natura corporis, cum qua pugnat, fortem declarant. Contrarium indicant plura, magna ſeu vehementia, quippe magnum, naturaque robuſtiorem. Uti ſunt dolores pungentes, vehementes, aſſidui, utrumque vel unum latus vexantes, morbum ſane magnum ac difficilem detegunt, quod partem tum reſpirationi ſervientem, tum cordi, nobiliori viſceri proximam maxime lædant. Viſcerum vero nobilium affectus eſſe magnos & graves Hippocrat. *in ſecundo Prognoſt. pag.* 43. *lin.* 32. *text.* 70. ita ſcribit: *Dolores, qui cum febre fiunt circa lumbos & inferas ſedes, & præcordia attigerint, inferas relinquentes ſedes, exitiales admodum ſunt.* Et *in lib.* 4. *Aphoriſmorum Aphor.* 66. *In acutis febribus convulſiones, ſi circa viſcera dolores fortes, malum.* Reſpiratio itidem in his quoque difficilis, tuſſis moleſtiſſima, ſicca ſeu innanis, aut cum ſputis perniciosis, ſeu malignis, ægerrime eductis, nihil ægrotos juvantibus, pulſusque duri admodumque inæquales, morbum maximum nonniſi a robuſtiſſima natura ſuperandum, præmonſtrant. Crebra enim reſpiratio, ut Gal. docet *in* 1. *Epid. cum dolore gravem inflammationem ſupra ſeptum transverſum ſignificat tuſſis magna ſicca ſ. ſine ſputis morbum crudiſſimum, non ſecus ac urinæ aquoſæ in febribus ardentibus conſpectæ.* Gal. *itidem in* 1. *de Criſib.* auctore, *oſtendit, de qua in libr. etiam de conſtit. art. Medicæ* dixit. *ex Symptom.* ut nihil omnino exſpuere pernicioſum eſt, partim quod ſignificet fluxionem in phlegmone quaſi devinctam teneri, partim vero, quia ea univerſa interius contenta, corrumpatur. De quibus Hipp. in 1. *Epid. Sect.* 1. *pag.* 939. *inter lit. D. & E. com.* 3. *in text.* 18. ait: *multi præterea infeſtabantur arida tuſſi, nihilque excreabant.* Cum qua etiamſi pauca cruda vel prava an excernantur, malum eſt, magno enim ac difficillimo morbo naturam conflictari, nobis ſignificatur. De his Gal. *in lib. de totius morbi Emtor. cap.* 16. ita meminit: *Magnum etiam morbum oſtendunt, ſi etiam ſputum pleuritide & peripneumonia laborantibus, vel nigrum vel fulvum vehementer, vel ſpumans, vel impenſe fœtidum eſt; eoque magis, quod nihil juvat, ſed quod dolorem non levat.* ut Hippocrat. *in lib.* 2. *Prognoſt. pag.* 41. *lin.* 33. *comm.* 1. *text.* 12. *cap.* 6. *text.* 51. nobis tradidit. Quare ex hiſce ſymptomatibus, pleuritidem pernicioſiſſimam denotantibus, morbus magis veneno refertus ac propterea difficillimus, præmonſtratur. Veluti ab iisdem, ut nuper dictum eſt, mitioribus ac levioribus, morbum natura viribus infirmiorem, ac quem haud difficulter ipſa natura ſuperabit, comprehendimus. In hac enim pleuritide neque febris magna ſeu vehemens apparet, neque magnus dolor, neque admodum ægri difficulter reſpirant, neque valida tuſſi vexantur, facileque & cito concoctum excrementum exſpuunt, neque in pulſu multa durities & inæqualitas obſervatur. Atque hic eſt modus prædicendi ſalutem & mortem ex morborum idea, ſeu ſpecie, qui penes propriorum ſignorum, quæ *Pathognomonica* appellant, magnitudinem ac vehementiam, ut recte a Galeno in 3. *de Criſibus* proditum eſt, attenditur, atque nobis ex iis innoteſcit. Levia & parva, morbum debilem ac levem præmonſtrant, magna

Ex ſymptomatibus paucis, vel multis, parvis vel magnis, levibus vel fortibus.

&

Ex numero symptomatum.

& vehementia, magnum & curatu difficilem. Idem nedum ſymptomatum vehementia, & parvitate nobis innoteſcet, verum etiam numero. Etenim ſi ſymptomata Pathognomonica ſ. propria, præterquam quod magna ſint, etiam numero plura exſtiterint, utique morbum natura potentiorem declarabunt, & debilem pauciora. Ceterum non quæ ſymptomata numero plura in morbo apparent, paucioribus ſymptomatis ad majorem morbi vim denotandam perpetuo erunt præferenda. Quandoquidem phrenitidem, quæ cerebri eſt inflammatio, duobus tantum numero ſymptomatis ſimul conſpectis, febre nimirum aſſidua continuaque, ac perpetuo delirio conſpectam, nuper dicta pleuritide, quinque ſymptomatis nobis præſcripta & indicata, morbum non minorem eſſe, neque debiliorem, neminem Medicorum latet. Sed in eodem morbo, quo numeroſiora illa prodierint, ſimul eo majus malum denotabunt. Veluti ſi una cum pleuritidis ſignis dolor capitis, vigilia, delirium, aut aliud ſymptoma illuxerit, graviorem utique morbum oſtendet. Idem in phreniticis, ſi veternoſus ſomnus appareat. De quibus Hippocrates in *libro 3. Epidem. pag. 1085. litt. G.* ait: *Nec phreniticorum valde inſanivit quicquam, quod uſuvenit aliis, ſed alia quadam cataphora ſegni gravati peribant.* In eodem itaque morbo plura conſpecta ſymptomata, morbum reddunt graviorem & potentiorem. Demum a ſymptomatis in morbis poſtea apparentibus, quæ morem morborum, auctore Galeno, oſtendunt, ipſorum quum robur tum imbecillitas cognoſci poterit. Galenus in *primo de Criſibus cap. 2.* ait: *Ex ſupervenientibus ſymptomatis, ſi multa, ſi diuturna & valida atque maligna etiam exſtiterint, morbum magnum natura potentiorem. & ſi pauca brevi temporis ſpatio, & parva & ſimplicia fuerint, debilem ac mitem nobis præmonſtrari.* Itaque in parvis morbis non pernicioſis optima ſigna illucent, & prava in non ſalutaribus. In putridis ſiquidem continuis febribus ad ſalutem tendentibus, primo in excrementis ſigna coctionis apparebunt, omniumque maxime in urinis. Hæ itaque mutabuntur in bonum colorem & ſubſtantiam, habebuntque bonam hypoſtaſin. Et ſic cetera alia excrementa concocta prodibunt. De quibus poſterius a nobis accuratius ſcribetur. A conſpectis ſignis coctionis febres ac ſymptomata, aut reſolventur, aut ſaltem diminuentur, ægrique facilius morbum ferent. Somno enim, exempli gratia, deſtitutis, ſomnus redit, veternoſis vigilia, dolores, ſitis, inquietudinesque abeunt, & amentes ad mentem redeunt, & male antea reſpirantes melius reſpirare incipiunt. Ex oppoſitoque, morbis naturæ prævalentibus, ſigna mala poſtea illucent. Nam præterquam quod excrementa cruda appareant, etiam prava obſervantur, uti in phreniticis urinæ albæ lucidæ malignitatem denotant. Ex quo Hip. *in quarto Aph. 72.* ait: *Quibus urina albæ ac perſpicuæ, malæ, præſertim ſi in delirantibus appareant.* Et in febribus ardentibus nigræ cum nigro ſedimento, quod morem peſſimum ſignificent, ideo morbum natura robuſtiorem ſignificant. Eodem modo ab aliis excrementis pravis conjicitur in morbis malus mos, qui malignos, ac magnos morbos denotat. At qualia ſint & dicantur excrementa prava, poſterius a nobis dicetur. At non ſolum prava excrementa in morbis poſtea apparentia, morbum natura potentiorem oſtendunt, ſed

Ex ſymptomatibus ſubſequentibus.

Bonis.

Malis.

om-

omnia itidem mala & prava ſymptomata. Cujuſmodi ſunt, exempli cauſa, deliria, convulſiones, tremores, ciborum abhorrentia, non ſitire in morbo calidiſſimo, ſi præſertim antea non parum ſitierint, lingua ſqualida & nigra, malus decubitus, inquietudines & ſimilia ſymptomata. De quibus poſtea accurate agemus. Ex iis igitur tribus explicatis, quippe morborum idea, magnitudine, atque more morbos prævalidos & debiles cognoſcemus.

CAP. VIII.

De morbis debilibus ex morborum Idea, magnitudine, atque more cognoſcendis.

NUnc ſpeciatim quoque debiles morbos, atque a natura, ut ſuperentur, faciles, ab ipſorum idea, magnitudine ac more intelligamus, ab idea principium facientes. Ideam vero in morbis ſigna indicantia ſunt, ut dictum eſt, quæ ſimul cum morbo apparent, ſymptomata, & morem ſignificantia, quæ poſtea. Itaque ſi pauca ſint, levia, neque valde corporibus moleſta, mitem ſane & debilem morbum explicant, & quem natura haud difficulter ſuperabit. Quos Hippoc. merito morbos ſimpliciſſimos, ſeu, ut Galeno placuit, placidiſſimos ac mitiſſimos vocat, quoties ſecuritatis indicia exſtiterint, parvaque ſymptomata, pauca, leviaque fuerint. Etenim *in lib. 3. Progn. pag. 43. lin. 54. text. 3.* dixit: *Simpliciſſima enim febres ac ſignis firmatæ ſecuriſſimis quarto die aut citius deſinunt*. Quæ ſigna ſecuriſſima eſſe poſt expreſſit *pag. 44. lin. 25.* dicens: *Qui enim convaliturus eſt, facilius ſpirat, ſine dolore agit, noctu dormit, & alia ſigna ſecuriſſima habet.* In pleuriticis levem ac debilem morbum conjicimus, ubi lateris dolor ſit levis, non difficulter ſpiret, tuſſis ſit parva, neque multum moleſta, facileque ægroti ſputum, quod neque malignum ſit, tuſſi excernunt, pulſus item neque valde duri neque inæquales ſint. Sic in anginoſis parvam & debilem comprehendimus eſſe inflammationem, ubi itidem dolor in gutture aut faucibus ſit debilis, exilis, facile reſpirant, & deglutiunt. Quæ ſane ſigna morbum debilem, quem natura non difficulter alteret, denotantia Hippoc. *in 2. Prognoſt. pag. 41. lin. 47.* de ſuppuratis locutus, ita expreſſit: *Bona vero hæc ſunt: facile morbum ferre, bene ſpirare, dolore vindicatum eſſe, ſputum facile extuſſire, corpus æqualiter calidum videri ac molle, ſiti non detineri, urinas, dejectiones, ſomnos, ſudores, ſingula intelligere bona, uti præſcriptum eſt, ſuccedere. Quare pauca parvaque ſymptomata quum in principio morborum, tum poſtea conſpecta debilem morbum, viribuſque natura imparem, ſignificant.* Addemus vero hæc parva, & levia ſeu placida ex ratione videri oportere, quum ſæpius parva placidaque ſenſibus apparent, licet magna & parva (quod a morbis, cauſiſque fortiſſimis prodeant) ſint dicenda. Complura enim in multis morbis exitialibus ſymptomata parva ac levia apparent, ut ex ipſis quandoque Medici non leviter eruditi decepit ipſorum maligna natura, putent ægrotos nedum gravi morbo teneri ac conflictari,

Morbi debiles, quomodo ex horum idea noſcuntur?

Ex magnitudine

ri, ſed quinimmo ipſos ægrotare dubitent. Quæ tamen ſymptomata a fortiſſima, & exitiali cauſa foveri dignoſcuntur. Quorum non pauca apud Hippocratem exempla leguntur. De exitialibus hac nimirum ratione phreniticis *in primo Prorrheticorum text.* 34. hæc habuit: *Tremulæ, obſcuræ, blandæ & contrectabiles deſipientiæ valde phrenitica.* Etſi enim hæc ſymptomata parva ac levia ſenſibus adjudicentur, tamen a maximis fortiſſimiſque cauſis oriuntur; quippe, ut Galeno placuit, humore bilioſo in cerebri ſubſtantia imbibito, ac ipſo cerebro ad hecticam affectionem deducto. Simile exemplum de Hermocrate moribundo *in* 3. *Epid. Ægrot.* 2. *pag.* 1062. *text.* 8. legitur hiſce verbis: *Quartodecimo die a febre liber: non ſudavit: dormivit, omnino mente conſtabat, urina eadem*: Et paullo poſt de eodem: *Iterum vigeſimo die eſt judicatus a febre liber, non ſudavit, perpetuo a cibo abhorrebat, omnino mente conſtabat.* Sic quoque magna ſymptomata exiſtimanda duximus, quæ a fortiſſimis cauſis foventur, ſicuti, ut jam dictum eſt, parva a parvis proficiſcentia. Sæpius enim magna vehementiave aliqua ipſorum æſtimantur ſeu judicantur, quæ tamen non ſunt a Medicis timenda, quod a prærobuſtiſſimis naturæ viribus concitentur, præſertim natura corporis pravos humores deponere ac excernere volente. De qua Hippocrates *in* 6. *Epidem. ſect.* 2. *text.* 15. *pag.* 1168. *com.* 2. *text.* 23. *Quacumque tertianam naturam habent, his nox ante acceſſionem moleſta eſt, a quibus ſane acceſſionibus natura ſemper aliquam vacuationem moliri eſt ſolita.* Hinc auctor Prorrheticorum *lib.* 1. *text.* 52. dixit, *perniciosa ſine ſignis levantia mortem indicare*, & Hippocrat. *in ſecundo Aph.* 27. *His, quæ non ex ratione levant, non oportet fidere, neque multum formidare mala, quæ præter rationem eveniunt. Plurima enim ſtabilia non ſunt, neque multum durare & permanere conſueverunt.* Quod Galenum ſæpe aſſecutum, ipſius verba *in ſexto Epidem. com.* 1. *in text.* 16. ſcripta declarant, quæ hæc exſiſtunt: *Interdum namque in vehementiſſima febre adjuncta vigilia, faſtidio, ſiti, impatientia, nonnumquam & delirio omnibus ægrotantis domeſticis perterritis ac flentibus, quempiam licet rigorem & ſudorem morbique ſolutionem ſcienter prædicentem Æſculapium eſſe videri.* Parva igitur ex ratione, leviaque ſymptomata, tum ſimul cum morbo conſpecta, tum ſupervenientia, ſeu poſtea in morbo apparentia, morbos debiles, quos natura facile ſuperabit, præmonſtrabunt. Omnino vero ſalutares, ſi multa aut aliqua optima ſigna illuxerint. Nullus enim ægrotus ad ſanitatem pervenit, in quo non prius aliquod ex optimis ſignis illuxerit. Hæc enim ex Galeno *in tertio de Criſibus*, bonum morem in morbis, uti mala malum denotare, nuper diximus, ex quo Medici morbos boni & mali moris appellant. Hos vero comprehendunt, uti dictum eſt, ex ſupervenientibus accidentibus ſeu ſymptomatis, ſcilicet, quæ poſt principium apparent, vel bonis malis, ut meminit Galen. *in tertio de Criſibus cap.* 4. dicens: *Si vero benignus aut malignus ſit morbus, ex ſubſequentibus ipſum accidentibus noſcitur.* Quæ in ea, quæ morem oſtendunt, & quæ criſin futuram, & quæ etiam criſis cauſæ exſiſtunt, dividuntur. Ideo morem ſignificantia, ab aliis erunt diſtinguenda, aliud quidem quam hæc præſagientia. Etenim vigilia, deliria, lacrymæ involuntariæ, convulſiones

Ex more.

nes, atque alia similia, si cum coctionis signis in morbo, crisi judicando, appareant, crisin denuntiant. De his in *primo Epidem. sect. 2. pag. 948. litt. H. com. 2. text. 55.* Hippocrates: *In ardentibus ceterisque febribus, quos colli dolor, temporum gravitas, caligo oculorum, vel hypochondrii etiam contentio, neque cum dolore corripit, his e naribus sanguis erumpit.* Et paullo post *pag. 956. litt. F. text. 88.* etiam clarius: *Quibus in febribus acutis, atque adeo ardentibus spontaneæ effluunt lacrymæ, his (siquidem reliqua non sint exitialia) e naribus sanguinis eruptio est exspectanda. Qui incommode habent, his non sanguinis eruptionem, verum portendunt mortem.* Hactenus debiles parvi atque benigni morbi, qui sint ex ipsorum idea, magnitudine, atque more, didicimus. Nunc eosdem cognoscere ab ipsorum causis discamus.

Sypmtomatum morbum subsequentium distinctio.

Symptomata crisin denotantia,

CAP. IX.

De morbis debilibus ab ipsorum causis cognoscendis.

EX causis quoque debilium morborum cognitionem indagaturi, ab externis principium faciamus. Itaque varii in primis aeris status, variæ quum annorum constitutiones tum tempora, atque etiam morborum grassantium ideæ, seu naturæ sunt prænoscendæ. Aer quidem nihil aut parum, quod ad ejus qualitatem & substantiam attinet, mutatus, nequaquam magnos sævosque morbos excitat. E contrario mutatus solet maximos in corporibus morbos concitare; Quippe illo maxime a naturali & consueto temperamento recedente, morbos gravissimos fieri observamus. Minus vero morbosus est, minusque graves morbos, ad frigidum quam ad calidum mutatus sive alteratus, hominibus invehit. Nam, ut scribit Hippoc. *in tertio lib. Aph. 17. Quotidianæ constitutiones Aquilonia corpora densant, & robusta, & bene mobilia, coloratiora, & melius audientia faciunt. Et calidæ Austrinæ corpora dissolvunt, humectant, auditum obtundunt, & vertigines faciunt. Oculis atque corporibus difficilem motum præstant.* Ex passivis etiam aeris qualitatibus vocatis, siccitatem aeris præ humiditate, salubriores morbos facere, colligimus ex Hippoc. *lib. 3. Aphor. 15. cap. 17.* ita dicente: *Ex anni constitutionibus (quod in totum dixerim,) siccitates imbribus sunt salubriores, & minus mortiferæ.* Atque ex anni quoque temporibus ver morbos saluberrimos, minime exitiosos parere, Hippoc. *ibid. Aphor. 9.* tradidit. Quandoque observantur salutares grassationes, quales Hippocrat. meminit *in 1. Epid. sect. 1. pag. 938. inter* D. & E. *com. 2. text. 9.* ita dicens: *Ante ver ex priore cælo, quod huic subcontrarium fuerat, Aquiloniumque paucos ardentes febres corripuerunt, eosque admodum stabiles, pauciſque sanguis erupit, nec ex his peribant. Tubercula vero multis secundum alterutram aurem, plurimis secundum utramque exstiterunt, febri carebant, erant recti. Nonnullis parum accendebantur, sed exstincta omnibus sunt citra incommodum, neminique suppurarunt, cuiquam, uti solent, quæ aliis ex occasionibus extuberant. Erat eorum hæc natura*

Morborum debilium cognitio ab ipsorum causis.

Ab Aere;

Ab Annorum variis constitutionibus.

Ab anni temporibus.

Grassationes salutares.

tura laxa, erant magna, diffusa, citra phlegmonem, atque citra dolorem obscure omnibus evanescebant. Venetiis, ac in aliis locis multis Italiæ, anno 1580. complures febres (quem *morbum Arietis* vulgus appellabat) grassatæ sunt. Quibus tamen pauciſſimi interierunt, & in Liguria, quo tempore Genuæ apud Andream Auream Principem ampliſſimum medicinam faciebam, febres synochæ, ardentes, tertianæ cum paucorum morte epidemicæ fuere grassatæ. Æstate quoque propriam servante naturam maxima ex parte, tertianæ, quæ sunt salutares, vagantur. Febres enim quocumque modo intermiserint, omnino vacare periculo tradidit Hippoc. in *Aphorismis lib. 4. Aphor. 43.* Ex proba etiam victus ratione, pauci, minimeque exitiales fiunt morbi. Qui enim optimam servant vivendi rationem, quæ præcipue qualitate proba ciborum, idoneaque quantitate absolvitur, raro ægrotant, & morbis minime exitialibus capiuntur. Idem contingit illis, qui somno, vigilia, exercitio consueto utuntur, quique hilarem vitam sine moleſtiis ducunt, solitaſque naturæ excretiones nimirum quod ad alvi fæces, urinas, sputa, menses, hæmorrhoidas, attinet, habent, non minus corpora humida, succique plena, si Veneri temperate operam dent.

Victus ratio quid ad morbos.

Ætates quid ad morbos.

Morbi debiles ex internis causis cognoscendi.

A tempore.

Ex temperamento.

Pueri etiam, quod ad ætates spectat, minus quam alii aliarum ætatum homines, morbis gravioribus laborant, quod ipsorum corpora præ multo calore innato & præ cutis raritate plurimum evacuentur, & resolvantur. Ex internis vero causis eodem modo debiles morbos perscrutabimur, incipientes a naturarum, & habituum corporum dispositionibus, de quibus Hippocrat. ita meminit in 2. *lib. Aph. 34. In morbis minus periclitatur, quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori magis congruit morbus, quam quibus secundum nihil istorum congruit.* Proinde calida corpora periclitantur minus a morbis calidis, quamvis tamen facilius corripiantur, contra frigida. Quo æstate febres minus sunt timendæ, quam hieme. Eodem modo senum, quam juvenum erunt periculosiores. In quo sensu Hippoc. dixit, in morbis minus periclitari, quorum naturæ aut ætati, aut habitui, aut tempori magis congruit morbus, quam quibus secundum nihil istorum congruit. Ex variarum itidem, tum partium temperamento, tum dispositione ad morbos, morborum quoque debilium ratio nobis innotescit. Partes etenim corporis, nihil a sua natura in temperamento mutatæ, non facile magnis morbis tentari solent. Hæ namque partes recte valentes, plura gigni excrementa, & prava fieri non permittunt, eaque genita consumunt, aut excernunt, aut ad partem aliquam ignobilem transmittunt, quo ne a magnis morbis corripiantur, defendunt. Eædem partes nihil aut parum, ad morbos, quibus tentantur, habentes aptitudinis, fortes sunt, ægreque morbis gravioribus tentantur. Etenim quibus, exempli gratia ad phtisin, aptitudo non est, quamquam sæpe ii capitis distillationibus vexentur, tardissime tamen ac magna difficultate phtisici evadunt, facillime vero ac citissime, habentes aptitudinem seu dispositionem, uti Hippocr. in multis, qui tabe interiere, observavit. De his *in primo Epidem. com. 1. sect. 1. text. 18. pag. 939. litt. F.* dixit: *Maxime moriebantur,*

tur, quibus ad phtiſin natura vergebat. Quod *in 3. Epidem. com. 2. text. 3. pag.* 1073. *Ægrot. 6.* de Euryanactis virgine, quæ tabida obiit, ita expreſſit: *Erat autem nativum quoddam tabidum.* Qua ratione etiam *in lib. 6. Aphoriſm. 33.* dixit: *Qui acidum eructant, non valde morbo laterali corripiuntur.* Ab humoribus etiam exſuperantibus debiles ac ſalutares morbi conjici poſſunt. Quorum omnium ſanguis (quod qualitate ſit ceteris aliis humoribus benignior, atque naturæ amicior) morbos minus periculoſos parit. Ex quo Hippoc. *in 6. Aphor. 53.* dixit: *Deſipientiæ, quæ cum riſu fiunt, ſecuriores.* Et in pleuriticis ſanguinis excreationem morbum monſtrare ſecuriorem obervamus. Eſt tamen ſanguis quovis modo excreatus, malus, non ex ſua natura, ſed quod plerumque in pulmonibus aut thorace malum irreparabile denotet. Quod Hippocr. expreſſit *in Aphoriſmis lib. 4. Aphor. 25.* quum dixerit: *Sanguis qualiſcumque ſit per ſuperius malum, & a ſanguinis* (*lib. 7. Aphor. 15. & 16.*) *ſputo puris ſputum, & a puris ſputo phtiſis.* Nos itaque loquimur hic de ſanguine, tamquam cauſa materiali, ex qua morbi fiunt, ad differentiam aliorum humorum, & propterea dicimus, ab ipſo, tamquam ab humore, qualitate benigniori, non fieri morbos magnos ac periculoſos. Etſi ipſius plenitudine, & copia exitialiſſimi non raro fiant, uti ſunt anginæ ſuffocantes, pleuritides & alii. Pituita vero ſanguine minus bona exiſtit, utraque tamen bile naturæ eſt humor accommodatior, quod hæc facile in ſanguinem vertatur, majorem quippe coctionem adepta, proinde immoderatius niſi fuerit copia aucta, utraque bile morbos benigniores facit. Flava bilis, majores, ac omnium periculoſiſſimos, crocea, porracea, æruginoſa atque nigra. Hic enim humor omnium eſt naturæ inimiciſſimus, difficillimus, & tardiſſimus, ut a natura coquatur, & ſuperetur. Simplices etiam humores quam miſti benigniores morbos concitant, & graviores plures ſimulmiſti, quam ſimplices. Quo Hippoc. *in 2. Progn. text. 4. pag. 41. lin. 8.* dixit, *ſi vero idem homo omnes vomit colores, exitiale admodum eſt:* Atque Gal. *in lib. de humoribus, & in 1. Epidem. com. 3.* Ubi æque redundant biliosi & pituitoſi, fieri morbos acutiſſimos & graviſſimos, docuit. Humorum quoque quantitas moderata & pauca non pariet magnos morbos, quod natura facilius paucum, quam multum alteret, & ſuperet. Ex humorum item commotione per corpus idem dignoſci ſolet, quandoquidem humoribus ab intro foras motis, ſalutaris morbus animadvertitur. Quod Hippocr. *in 3. Prognoſt. text. 30. pag. 45. lin. 20.* ita expreſſit: *Securiſſimum vero eſt, ſi œdema, aut rubor quam maxime foras vertantur.* Idem, ſi ad ignobiles partes e viſceribus tranſmittantur. Quod itidem *de abſceſſibns in 2. lib. Progn. text. 67. pag. 43. lin. 18.* ita docet: *Abſceſſus autem, qui ad crura fiunt in pulmonis vehementibus, ac periculoſis, omnes utiles ſunt.* Ab humoribus quoque ignobiles partes vexari idem comprehenditur, nam morbo licet aliqua ipſarum partium pereat, non ob id animal perpetuo moritur, ſiquidem multi, quibus crura vel manus fuere mutilata, ſuperſtites vixerunt. Idem & de lingua, naſo, oculis, auribus, genitalibus atque aliis partibus eſt dicendum. Ex quo febres intermittentes, quod fiant humori-

Ab humoribus exſuperantibus.

A ſanguine.

A Pituita.

A bile varia.

Ab humoribus ſimplicibus.

Ab humorum quantitate.

Ex humoram commotione.

Ab humoribus ignobiles partes occupantibus.

moribus putrescentibus in parvis capillaribus venis a magnis remotissimis, debiles sunt, ac plerumque salutares, atque quo morbi plus intermittunt, eo benigniores exsistunt, cujusmodi est quartana febris, quam ob id Hippoc. *in 6. Epidem. sect. 6. text. 9. pag. 1190. conf. lib. 1. Epidem. sect. 3. pag. 96. sub litt. G.* securissimam omnium fecit. Addimus quoque iis, morbos ab aliis morbis concitatos sæpius in magis salutares mutari, veluti sunt exempli gratia, quæ ex continuis febribus intermittentes evadunt, & a pestilentibus maligniſque, quæ benigniores fiunt. Morbum quoque simplicem ex multiplici; Convulsioni, Paralysi, tremori febrem continuam aut intermittentem supervenire; ab Apoplexia, Paralysin seu Paraplegiam; ab angina letali; colli pectoriſque tumorem apparentem, atque ita de aliis multis. Ab iis itaque omnibus morbi debiles, naturaque viribus infirmiores nobis innotescent. Nunc ad eos, qui natura viribus sunt potentiores, descendimus.

A morborum mutatione.

CAP. X.

De morbis natura potentioribus ex idea, magnitudine, atque more cognoscendis.

EX propriis cujusque morbi symptomatis, magnis vehementibusve, morbos gravissimos ac summe periculosos comprehendimus. Cujusmodi in pleuriticis diximus esse magnum lateris dolorem, febrem acutam, tussim molestam, siccam scilicet sine sputis, aut magna cum difficultate ægrotos exspuere, quod etiam pravum sit respirationem admodum difficilem habere. His omnibus nobis magna inflammatio & pernicialis indicatur, veluti ex febre continua, acuta, & delirio perpetuo, ac vehementi, phrenitis gravissima. Ceterum, quoniam diximus, non tantum illa symptomata magna sive vehementia intelligi, quæ talia sensibus apparent, sed, quæ a fortissimis morbis, atque causis promanant. Qua ratione in continuis febribus, calor exterius mitis & obscurus, quum tamen ægroti interius urantur, magnum est symptoma, febris quippe malignæ ac pernicialis certum indicium. Has febres exterius mites seu obscuras intus turbantes Græci *typhodes* appellant; quippe quæ naturam multitudine humorum gravatam, ac fere suffocatam, incendium foras transmittere, nequeuntem, significent. Hasque vulgus Medicorum appellat, foris mites, intus conturbantes; suntque eæ omnes admodum pernicioſæ. Delirium itidem vehemens, aut obscurum sine ratione, in his febribus, magnæ malignitatis est indicium. De illo Auctor Coacorum *in lib. Præsag. text.* 85. ait: *Quæ feroces desipientiæ in brevi definunt, ferinam convulsionem prænuntiant*, & de hoc, quippe de obscuro delirio, Auctor Prorrheticorum *lib. 1. text. 34. Blandæ, tremulæ, obscuræ desipientiæ valde phreniticæ.* Virium enim languorem significant. Quare accidentia simul cum morbo conspecta, aut quod vehementia sint, aut parva sine tamen ratione morbum maximis viribus adversus naturam fulcitum præmonstrant. De quibus in *1. Epid. sect. 2. pag. 954.*

Morbi natura potentiores ex horum idea cognoscendi.

Ex magnitudine.

sub

ſub litt. D. Hippoc. ſcribit: *at quum febres ardentes inciperent, annuntiabant, quibus exitium impenderet.* Siquidem ſtatim ab initio febris acuta eos corripiebat, a qua parum ſuperrigebant, inſomnes erant, ſitibundi, faſtidioſi. Dolor vehemens in pleuriticis, morbi fortiſſimi eſt indicium. Parvus vero, quum prius vehemens fuerit, abſque ratione allevatus, vel etiam omnino ſublatus, aut delirium, aut exſtingui facultatem ſentientem, aut materiam morbificam alio converſam. Morbum eodem modo natura potentiorem comprehendimus, ſi præter ſymptomata propria idem denotantia, alia quoque gravia ſimul illuxerint. Veluti in phrenitide, ſi præter acutam continuamque febrem atque delirium perpetuum, quæ hujus morbi ſigna propria, *Pathognomonica* Græcis dicta, exſiſtunt, dolor capitis acutiſſimus, perpetuæ vigiliæ, aut convulſio, aut tremor, aut partium extremarum frigiditas, aut aliud ex iis unum appareat, morbum magnis viribus præditum, naturæ prævalentem comprehendimus. Ex ſupervenientibus demum malis ſymptomatis, quæ morem ſignificare dictum eſt, morbos perniciales eadem ratione comprehendimus. Quæ prava ſigna Hippoc. *in* 1. *Epid. comm.* 2. *ſect.* 2. *text.* 75. *pag.* 954. *litt. E.* ita eſt complexus: *Paullulum in fronte & claviculis exſudabant, ſed nemo per totum corpus. Multum delirabant, timores, mæſtitiæ, extremitates ſubfrigidæ, ut ſummi pedes magiſque manus. Acceſſiones diebus paribus, plurimi* 4. *die maxime laborabant, ſudores diutiſſime ſubfrigidi. Extremitates non ad calorem redibant, ſed lividæ erant, & ſubfrigidæ. Nec ſitiebant. Ad hæc erant urinæ his nigræ, tenues, paucæ, & alvi ſiſtebantur. Nec erupit e naribus ſanguis, ne his quidem, quibus hæc accidunt, ſed parum ſtillarunt. Neque recidiva ulli horum advenit: Ceterum ad ſextum diem cum ſudore moriebantur.* Hactenus multa ſymptomata prava in multis, qui morbis exitioſis laborabant, ab Hippocrate obſervata, vidimus, quæ ſi morbis ſupervenerint, aut poſtea in morbis appareant, pravum malignumque morbum, naturæ prævalentem denotabunt. Sed, ut lector hic ſingula legere poſſit, ad hoc, ut ipſa morbis ſupervenientia, ſeu poſtea apparentia recognoſcat, & ſciat morbum denotare abſque dubio letalem, utile fore duximus, omnia hic a nobis adnumerari oportere. Hæc itaque ſunt: Vigiliæ aſſiduæ, profundus ſomnus, veternoſus, delirium, oblivio, dolor acutus, ægrotos dolores non ſentire, ſurditas, aurium tinnitus, vertigo, oculis caliginem obverſari, lacrymæ involuntariæ, oculos lucem effugere, convelli, aut alterum altero majorem videri, aut ſi candidum rubeum appareat, aut lividas aut nigras venulas habeat, aut ſordem circa oculos, aut ipſos ſublimes tumidos, ut, vel cavos admodum videri, aut ſqualentes & obſcuros, vel totius vultus color evariet, tremores, convulſiones, reſolutiones, palpitationes præſertim cordis, anxietates, inquietudines, ſingultus, viſcerum dolores fortes, extrema frigida difficulter recaleſcentia, livida, lingua ſqualida exuſta, nigra, livida, craſſa, cœnoſa, ſine ſiti, aut ægrotos ſiti ardere inexſtinguibili, cibos abhorrere, eos ſtomacho non continere, ſed vomitu rejicere. Pulſus arteriarum prælanguidi, duri, inordinati, inæquales, intermittentes, deficientes. Reſpiratio magna & rara,

Ex more.

Morbum letalem indicantia ſigna.

parva, denſa, intermittens, inordinata, ſublimis, frigida, fœtida, & quæ pinnis narium quoque & pectore editur. Malæ excretiones, non allevantes, in die decretorio. Sudores multi non allevantes, pauci, aſſidui, non ex toto corpore ſed ex capite, fronte, claviculis, frigidi. Stillationes ſanguinis e naribus nigræ, craſſæ in die decretorio, largæ itidem ſanguinis vacuationes non juvantes: Vomitus bilioſi, flavi, virides, nigri, fœtidi, virulenti, æruginoſi nihil juvantes: Hypochondrium cum dolore tenſum, atque cum ipſo ictericus color in corpore, ante diem ſeptimum. Si conſpiciantur exanthemata, parva, pauca, numero & magnitudine non augeſcentia, livida, nigra, intus recurrentia, atque ſine ratione evaneſcentia, copioſa, magna non ſublevantia. Tumores quoque poſt aures, Græci *parotidas* appellant, in inguine, aliiſque partibus, parvi, non augeſcentes, vel magni non venientes ad ſuppurationem, omniumque maxime cito, nulla prægreſſa vacuatione, intus recurrentes atque evaneſcentes. Urinæ item aquoſæ, turbidæ non clareſcentes, craſſæ, nigræ cum ſuſpenſis nigris, albæ lucidæ in phreniticis, cum ſuſpenſo elato, lividæ, ictericæ, non juvantes, pingues oleoſæ, cum ſedimento farinæ craſſiori ſimili. Dejectiones immodicæ, liquidæ, fœtentes, quas *colliquativas* Medici appellant, pingues, cruentæ, nigræ, lividæ, bilioſæ, ſinceræ, multæ non minuentes febrim, ſputa ſincera, bilioſa in tabidis & ſuppuratis, cruenta ex pulmonibus, livida, nigra æruginoſa, admodum viſcida & magna difficultate educta, dolorem non ſedantia, atque penitus ſuppreſſa in viſcerum internis inflammationibus, ad reſpiratoria inſtrumenta pertinentium. Hæc itaque, atque hujuſcemodi generis alia, poſt morbum conſpecta, (ni propter criſin futuram fiant, quod nobis ſigna perfectæ coctionis & alia ſigna ſalutaria indicabunt) morbum natura potentiorem, ſummeque pernicioſum, nobis præmonſtrabunt.

CAP. XI.

De morbis natura potentioribus ab ipſorum cauſis cognoſcendis.

Morbi magni ac pernicioſi cognoſcendi ex cauſis exterins. Ex aere.

NUnc eoſdem morbos natura potentiores ab ipſorum cauſis indagemus, atque ab externis exordiamur. Quarum primo occurret conſideranda, quæ ex vario aeris ambientis ſtatu, a variis quum annorum conſtitutionibus, tum temporibus morbos magnos nobis indicare poteſt. Itaque aer a ſuo conſueto temperamento ad calidum maxime mutatus, quique diu talis prævaluerit, maximos morbos animalibus invehit. Etenim immodica ipſius caliditas, plurimum nativi caloris in corporibus reſolvens, corpora quum in magnos morbos, (magno quidem a ſuo ſtatu naturali facto receſſu) delabi, tum valde languida, & debilia, reddi, eſt cauſa: a qua ſane immoderata caliditate quandoque peſtilentiam gravem concitatam fuiſſe, Galen. *in primo de differ. feb.* hiſce verbis tradidit, dixit enim: *Contingit autem quandoque præcedere ambientis aeris caliditatem immodicam, quemadmodum in ea peſtilentia, quæ Athenienſes invaſit, ut Thucydides inquit: Sed in tuguriis ſuffocantibus æſtatis tempore habitantium corpora corruptione laborabant*, & in

3. *Epi-*

3. *Epidemicorum com.* 3. *text.* 71. *Æſtatem Eteſiis ventis carentem* (qui ſunt ſeptemtrionales frigidi) *admodum morboſam eſſe* ſtatuit. Ex quo Hippoc. *in Epidemiis pag.* 1082. *lin.* 6. *com.* 3. *text.* 71. *lib.* 3. peſtilentem conſtitutionem deſcribens, ait: *Æſtas ſerena erat & calida, magni erant æſtus.* Ex calore itaque aeris immodico corpora patiuntur inſignes corruptiones, & reſolutiones, cerebrumque ipſum inſignes noxas a calore patitur. Caput enim incalefactum a toto corpore humorum redundantiam trahit, præſertimque bilioſos, qui tali tempore quum multi tum tenuiſſimi ac acutiſſimi abundant. Facillimeque ex univerſo corpore ad caput rapiuntur, quibus cerebrum in morbos ſymptomataque pernicioſa incurrit. Qualia *Hippoc. in* 3. *Epidem. cap.* 4. *a pag.* 1083. *ad* 1091. meminit. Ubi ergo caliditati aeris etiam humiditas conjungitur, nihil corporibus morboſius, peſſimumque aeris temperamentum eſſe atque peſtiferum. Gal. *in lib.* 1. *cap.* 1v. *de temperamentis* ita expreſſit: *Omnium aeris ambientis temperamentorum peſſimum id eſſe, quod humidum eſt & calidum.* Quod & paullo poſt ita confirmavit, dicens: *Verum hic minus, utpote uno tantum e quatuor temporibus mutato malum fuit, quod ſi duo triave ſint mutata, aut etiam totus annus calidus humiduſque fuerit, neceſſe eſt, magna peſtilentia ſuccedat.* Cujuſmodi *in tertio Epidem.* ideſt, *graſſantium publice morborum*, narrat. Quid mirum? Quum humiditas in aere corpora redundare quamplurimis humiditatibus faciat, quæ facile, inſigniterque a calore computreſcunt. Siccitas vero humiditate minus eſt mala, quæ etſi acutiſſimos pariat, tamen humiditate ortis ſunt ſalubriores, & minus mortiferi, teſte Hippocrate *in lib.* 3. *Aphoriſm.* 15. Ex præimmoderata etiam aeris frigiditate, ſic nonnullæ partes corporis læduntur, ut exſtincto exinde calore emoriantur. Quæ mala in variis annorum obſervationibus, quas medici conſtitutiones appellant, ſæpius apparent. Hæque conſtitutiones aut a multis anni temporibus, aut ab omnibus ad unum idemque conſpirantibus temperamentum procedunt. Hippocrat. *in libris Epidem.* quatuor annorum conſtitutiones deſcripſit, quarum prima fuit auſtrina (*lib.* 1. *Epid. ſect.* 1.) humida, ſecunda & tertia borealis *ibid. ſect.* 2. *a pag.* 942. *ad* 958. *deſcriptæ*, atque quarta (*lib.* 3. *Epid. ſect.* 3. *a pag.* 1081. *ad* 1091. *deſcripta*) calida, & humida, quæ pernicioſos ac peſtilentes morbos mortalibus intulerunt. Quippe *auſtrina* prima phthiſes, parotides, carbunculos, ardentes febres, peſtilentes: & *duæ boreales*, ophthalmias, dyſenterias, teneſmos, lienterias, diarrhæas bilioſas, febres ardentes, ſemitertianas, erraticas, malignas, phrenitides, & alias: & quarta *auſtrina calida*, & humida ſine ventis, pluvioſa, ſacros ignes cito undique depaſcentes, oris ulcera, *aphthas* Græcis dicta, atque pudendorum, febres ardentes, phrenitides, lippitudines, tabes multas, internas inflammationes, tubercula in pudendis, carbunculos, abſceſſus ad ſuppurationem, quæ erat potius corruptio, non venientes, ex qua caro, oſſa, nervique integri decidebant multis, item ex maligna fluxione totum brachium, ut narrat Hippocrates, vel totus cubitus, vel femur, vel tibiæ, vel pedes omni carne nudabantur. *Ex inconſtantibus etiam anni temporibus inconſtantes morbos, ac difficiles judicatu fieri*, Hippocr. *in ſect.* 3. *Aph.* 8. docuit. Ex propriis item temporum anni temperamentis idem comprehendi nobis in

Ex annorum conſtitutionibus variis.

ſect. 3. *Aph.* 9. indicavit, ita dicens: *In Autumno morbi acutiſſimi atque exitiales magna ex parte: ver verò ſaluberrimum, & minime exitiale*. Et *Aph.* 10. *Autumnus tabidis malus*. Ab iis quoque anni temporibus, non ſervantibus proprium temperamentum, morbi magni ac perniciales fieri obſervantur. Anno MDLXXXVI. *Baſſani*, & prope ipſum in Villa Novarum nuncupata, pleuritides peſtilentes, contagioſæ, epidemicæ graſſatæ ſunt, quæ quarta vel ad plus ſeptima interimebant. Hoc itidem anno, quo hæc ſcripta revideo, Venetiis, & in aliis multis Italiæ locis, complures ab epidemicis febribus, ſemitertianis, ardentibus, peſtilentibus cum morbillis malignis moriuntur. Hocque genus morbi non in pauperum corpora ex proxima annona exſiccata, ſed divitum, quæ multis cibis ſe impleverunt, ſævit.

A mala victus ratione,

A mala quoque victus ratione diu ſervata morbi magni, ac pernicioſi, excitantur. In graviſſimos morbos ii incurrunt, qui crapulis atque ebrietatibus indulgent, quando ex multo quum cibo tum potu calore corporum fere ſuffocato inſignes putredines fiant. Quo Gal. in libro *de cauſ. morb.* affirmavit, *Immodicum cibum & potum corpora refrigerare, frigidoſque & fortiſſimos morbos facere*. Ex potatione *Silenum lib.* 1. *Epid. Ægrot.* 2. *pag.* 969. *Charionem lib.* 3. *Epid. Ægrot.* 5. *pag.* 1072. *Nicodemum ibid. Ægrot.* 10. *pag.* 1108. *adoleſcentem Melibæum ibid. Ægrot.* 16. *pag.* 1117. *in peſtilentes incidiſſe febres*, *Hippocr. in Epid.* meminit. Cibos vero pravi ſucci, ac potus pernicioſos morbos facere Medicorum neminem latet. Gal. in *lib. de ſuccorum bonit. & vitio*. *Peſtem ſæpius annonam ſecutam fuiſſe* ſcriptum reliquit. Copia itaque ciborum immodica vel etiam boni ſucci, & longe plus pravi, concitari magnos ac pernicioſos morbos, omnes perſpectum habent. Ceterum corpora nedum ipſorum ciborum copia in pernicioſos morbos delabuntur, ſed quinetiam inopia Gal. *in libro* 8. *meth. cap.* 7. ſcribit: *Complures in ſyncopas faſtidioſiſſimas atque hecticas febres ex jejunio incidiſſe*, & *in libr.* 5. *de loc. affectis Grammaticum quemdam præ inedia ſæpius convulſum vidiſſe*, dixit. Ex immoderato vini potu homines in ſumme pernicioſos morbos delabi, Hippoc. *in ſect.* 5. *Aph.* 5. ita expreſſit: *Si ebrius quiſpiam repente obmutuerit, convulſus moritur, niſi febre corripiatur, aut ubi ad horam pervenerit, qua ſolvuntur crapulæ, vocem recuperet*. Uſum item aquarum paluſtrium jecur atque lienem durum ac ſcirrhoſum reddere, exindeque hydropes, febreſque malignas, veluti corruptarum ſeu fœtidarum morbos peſtilentes facere experientia docet, & ratio nobis ſuadet; hæ enim humores noſtri corporis ad ſuſcipiendam excellentem putredinem faciunt opportunos, illæ ſua craſſitie obſtruendo, viſcera debilitant, quæ variis propterea excrementis qualitate pravis abundant, a quibus prædicti affectus concitantur. Alexandriæ in Ægypto habitatores quotannis, autumno aquis ad cibum corruptis utentes, in peſtilentes febres exitialiſſimas incidunt, quibus epidemice complures interimuntur; de qua re nos in libris noſtris *de Medic. Ægypt.* editis accuratius ſcripſimus. Ex ſomno item diuturno, atque immoderato, homines redduntur vertiginoſi, veternoſi, oblivioſi, epileptici, paralitici ac vel etiam apoplectici. Qui omnes ſunt affectus perniciales. Non raro etiam phthiſici, auctis ſcilicet ex capite ad pulmones deſtillationibus.

Ex ſomno.

Non

Non minus & ab immodicis vigiliis, phrenitides fiunt, amentiæ, convulſiones atque alii praviſſimi affectus. De quibus nos ſatis in opere de prævidendis morbis ſcripſimus. Ab immoderatis etiam exercitationibus corpora plethorica non raro in inſanabiles affectus incurrunt. Non paucis ex iis rupto vaſe aliquo ex pulmonibus aut thorace ſanguis profunditur, quo ad phthiſin via fit. Alii in febres, atque in viſcerum internorum inflammationes incidunt, ex nimio motu accenſis & putrefactis humoribus, atque motis ad viſcera. Non minus paſſiones vehementes animi poſſunt ad concitandos magnos morbos. *Ex ira multos in acutiſſimas febres deveniſſe*, Gal. *in lib. de ſanit. tuenda*, meminit. *Ab ipſa tamen ſubito neminem mori in lib. 2. ſympt. cauſ.* teſtatum reliquit. Quod ab ingenti gaudio, atque timore quibusdam contigiſſe, plures obſervarunt. Timor metuſque magnus ſæpe quosdam interemit. Ex hoc complures febres acutæ & letales invadunt, quibus omnes fere moriuntur. Ab uſu Veneris quum immoderato, tum ab abſtinentia, hominibus graviſſimos ſæpe morbos contingere *in lib. 6. de loc. affectis* docuit. *Perpetuum tremorem quosdam incurriſſe ex immodica venere in lib. 3. Epid. com. 1. in tex. 2.* poſteritati tradidit. Idem interceptis naturalibus conſuetiſque vacuationibus fit. Ex fæcibus retentis & exſiccatis ſæpe in ileon incidunt. A ſuppreſſis quum menſtruis tum hæmorrhoidibus morbi graviſſimi ſolent concitari, iisdemque immoderatis fluentibus. Quod Hippoc. *in ſect. 5. Aph. 57.* meminit, dicens: *ſi menſtrua plura fiant, accidunt morbi, & ſi non fiant, ex utero morbi contingunt*. Et Gal. *in Commen. Quocumque autem horum fuerit, neceſſe eſt proceſſu temporis & ipſum uterum pati aut ſimilem inflammationi diſpoſitionem, aut eryſipelati aut duro tumori, aut cancro, quibus denuo totum compatitur corpus*. De hæmorrhoidibus Hippoc. *in lib. 6. Aphor. 12. A diuturnis ſanato hæmorrhoibus, ſi una non ſervatur, periculum eſt, aquam intercutem, vel tabem advenire*, & Gal. *in 4. de præſag. ex pulſibus, ex iis immodice tum fluentibus, tum retentis, aquam intercutem fieri* docuit. *Et in lib. de venæ ſectione cap. 9. adverſ. Eraſis. ab hæmorrhoidibus ſuppreſſis nonnullos melancholicos amentes factos*, obſervaſſe ſcripſit, *alios pleuriticos & alios hydropicos*. Urina ſuppreſſa brevi hominem perdit, quem longo tempore conſumit, diu immoderatiuſque fluens, uti in *Diabete*. At de cognoſcendis morbis natura potentioribus a cauſis externis hæc nobis ſufficiant. Nunc eosdem ab internis cauſis perſcrutemur. Ab ætatibuſque exordiamur, quæ & ipſæ ad morbos natura potentiores cognoſcendos non parum faciunt. Pueri frequenter ab auſtrina conſtitutione pluvioſa in variolas atque morbillos malignos incidunt. Quo malo MDLXXXXIII. Venetiis Epidemice graſſante complures interierunt. *In Juvenibus*, ait Hippocrat. *in ſect. 3. Aph. 29. ſanguinis exſpuitiones, tabes, febres acutas fieri*: tabes vero ab anno decimo octavo uſque ad trigeſimum quintum ſolent concitari. Poſt juventutem hoc fieri quoque dixit *Sect. 3. Aphor. 30. quippe aſthmata, morbos laterales, pulmonias, phrenitides, lethargos, alvi profluvia, choleras, dyſenterias*. Senectus maximos quoque morbos affert. Quos meminit Hippocrates *in 3. Aph. 31.* in hunc modum: *Senibus ſpirandi difficultates, urinæ ſtillicidia, verti-*

Ex vigiliis immodicis.

Ab animi paſſionibus vehementibus.

Ab internis cauſis.

Ab ætate.

gines, apoplexia, hydropes, tuſſes: & alia, quæ omnia in hac ætate omnino ſunt letalia. Nam ut dicit Hippoc. *in lib. 2. Aph. 35. Senes juvenibus magna ex parte ægrotant minus, qui vero morbi ipſis accidunt longi, maxima ex parte comitantur ad mortem*. Et poſtea *Aph.* 40. *Raucedines & gravedines in valde ſenibus concoctionem non admittunt*. Et Gal. *in Comment.* ait: *Neque enim hi ſoli morbi ſenes comitantur ad mortem, ſed nephritis, ideſt* paſſio renum, *podagra, morbus articularis coxendicis cum dolore, & quæ laxiori inteſtino ac ſpleni frigidæ inſunt diſpoſitiones, & praterea crebri anhelitus*, (quos Græci *aſthmata* vocant) *tuſſes, dorſi curvationes, recurvationes & obliquationes*, demum *quæcumque alia morborum genera ex frigidis humoribus ortum habent, quæ in quibuſdam juvenibus, nedum in ſenibus, difficulter coquantur*. Et *in 6. libro Aph. 57. Apoplectici autem fiunt maxime a quadrageſimo anno uſque ad ſexageſimum*. Ex habitu quoque corporum non naturali graves morbi comprehenduntur. Obeſos ac pinguiores, quod hæc corpora minus habeant caloris innati, magnis tentari morbis, quibus etiam ob calorem prælanguidum ſeu debilem plerique moriuntur. De his Hipp. *in lib. 2. Aphoriſ.* 44. ita habet: *Qui natura admodum craſſi ſunt, citius intereunt, quam qui graciles*. Corpora itidem calidioris & humidioris temperamenti, febribus, ſynochis malignis, atque internis viſcerum inflammationibus ſunt obnoxia, veluti calida & ſicca in ardentes febres acutiſſimaſque inflammationes incurrere ſolent. In hiſce corporibus morbi omnes frigidi, admodum graves exſiſtunt; veluti in corporibus frigidis, calidi, hocque ſit ex magno ab ipſorum temperamento receſſu; & hoc eſt, quod Hippoc. *in 2. Aph.* 34. dixit: *In morbis minus periclitari, quorum natura aut ætati, aut habitui, aut tempori magis congruit morbus, quam quibus ſecundum nihil iſtorum congruit*. Ceterum etſi hoc verum ſit, ex eo quod magni receſſus, qui perpetuo ſunt difficiles, ut a natura ad ſolitum ſtatum reſtituantur, in iis corporibus facti denotentur; tamen verum quoque non minus erit, eos, qui ad graves aliquos morbos inclinationem habuerint, ſi ipſis capiantur, peſſime ſe habere, difficulterque iis morbis reſiſtere. De his Hippoc. in 1. *Epidemiorum com. 1. Sect. 1. text. 18. pag. 939. lit. F.* ait: *Et maxime moriebantur, quibus natura vergebat ad phthiſin*. Calidioris etiam temperamenti homines deſtillationibus calidis acribus a capite in pulmones, ſunt obnoxii. Quod Hippocr. *in 1. Epid. com. 2. text. 19.* quoque dixit: *Qui calidiore erant temperamento, illos in primis laboraſſe ex deſtillationibus capitis*. Atque hinc etiam fit, quod qui calido ſiccoque capite ſunt, facile in phrenitim incidant. Humorum etiam copia ſeu multitudo graves morbos parit, qui in corporibus debilibus exitiales eſſe ſolent, omniumque maxime, ſi ea multitudo fuerit humorum crudorum & craſſorum. Ex his itaque morbi acuti concitati, ni fuerint vires robuſtiſſimæ, erunt plane letales. Natura enim robuſta longo tempore eos concoquet & ſuperabit. Ex quo de frigidis ſudoribus in continuis febribus apparentibus, (quod ſignificent, teſte Galeno, crudorum humorum multitudinem, quæ non niſi longo tempore poteſt a robuſta natura vinci) Hippoc. *in ſect. 4. Aphoriſ.* 37. ſcribens, ita habet; *Sudores frigidi cum acuta febre mortem, cum*

Ex habitu corporum non naturali.

Ex humorum copia.

cum mitiori longitudinem morbi ſignificant. A vehementia enim morbi vires, etſi etiam validæ ſint, collabuntur. Idem præſagit calidorum non minus humorum copia. Neque etiam ſanguinis copia eſt ſalutaris (quamquam ceteris humoribus ſit benignior) quando ex ea maxime inflammationes fiant veluti ſunt anginæ, pleuritides, atque aliæ, ut Gal. in lib. *de vena Sect. cap.* 1. adverſ. Eraſiſt. meminit. Idemque & ex bilis multitudine erit æſtimandum. Pernicioſi item ſunt morbi, qui fiunt, ubi in corporibus æque exſuperant craſſi, viſcidi, crudi, & tenues calidi, ut docuit in primo *lib. Epid.* Humorum etiam inopia ſeu defectu morbi magni ac difficiles fiunt, uti ſunt, tabes, ſingultus, convulſiones, & alii hujuſmodi, de quibus Hippocr. *in quinto libro Aphoriſmor. 3. Ubi ſanguis plurimus fluxerit, ſingultus aut convulſio ſuperveniens, malum*. Et *Aph.* 4. *A ſuperflua purgatione eodem modo ſingultum atque convulſionem ſupervenientem, malum ſignificare tradidit*. Ex particularibus quoque humoribus morbi magni, & graves comprehenduntur. Ex quo dixit Hipp. *in ſect. 6. Aph.* 53. *Deſipientias, quæ cum riſu fiunt, eſſe ſecuriores: & quæ cum ſtudio, periculoſiores*. Quod illæ ex ſanguine, hæ a bile exuſta oriantur, a quo humore phrenitides ac pleuritides concitatæ, letales creduntur. Hæ ſputa æruginoſa, & nigra habent, illæ virulentos ſeu æruginoſos vomitus. Quæ omnia eſſe letalia ſigna Hippocr. & Galenus in multis locis docuerunt. Sanguis item a pulmonibus, eroſo aut fracto vaſe aliquo, ſi extuſſiatur, letalis morbi erit præſagium, atque hoc eſt quod dixit Hipp. *in* 4. *lib. Aph.* 25. *Sanguis quidem ſupra, qualiſcumque fuerit, malum*. Galen. itidem *in* 4. *de loc. affect. cap.* 8. ſcribit: *Omnes, qui a ſanguinis ſputo per tuſſim purulenta reddiderunt, tabidos ſeu phthiſicos obiiſſe*. Plurimam quoque bilem ſine febre ex pulmonibus tuſſi rejectam, exitialis affectus nobis eſſe indicio, ſcriptum reliquit. Tres ibi narrat fuiſſe, qui quum plurimum flavæ bilis exſpuere tuſſi cœperint, quin tabidi morirentur, nullo modo effugere potuerunt. Omnium humorum atrabilis (quod maxime naturæ humanæ ſit inimica, difficillimaque, & tardiſſima, ut concoquatur, & ſuperetur) morbos exitiales parit. Hujus ſucci copia, ſi ad benignum vel reduci debeat, vel conſumi, vel excerni, prævalida facultate eſt opus. Qua debili exiſtente, caſus eſt pernicialis; quod nobis Hippocrat. *in ſect.* 4. *Aph.* 23. expreſſit, dicens: *Quibuſcumque, ex morbis acutis aut diuturnis, vel ex vulneribus, ſive quovis alio modo extenuatis, nigra bilis, ſive uti ſanguis niger, exierit, poſtridie moriuntur*. Pituitoſos quoque crudos humores difficillimos concitare morbos quotidie praxin facientes obſervant. Cujuſmodi ſunt tenebricoſæ vertigines, epilepſiæ, paralyſes, apoplexiæ, convulſiones, & alii hujuſmodi. Malignam etiam humorum putredinem pernicioſos morbos facere, Galen. *in libro quarto Aphoriſ.* 47. ſcriptum reliquit: etenim humores excellenter putrefacti qualitatem pravam acquirunt, quæ noſtris corporibus eſſet venenum. Quod Gal. in peſte infectis, & in quibusdam etiam mulieribus ex corrupto ſemine morbis, ac ſymptomatis pernicioſis vexatis, ſe vidiſſe & cognoviſſe in libro ſexto *de loc. affect.* ſcribit: De his Hippocrat. *in primo Epidemior. lib. com.* 2. *ſect.* 2. *text.* 54. *pag.* 948. dixit: *Phreniticis convulſiones, & virulenta vomunt, & ex his quidem ſubito moriuntur*

A morbi vehementia.

Ex humorum defectu.

Ex humoribus particularibus.

Ex atrabile.

Ex pituitoſis crudis.

Ex maligna humorum putredine.

nonnulli. Et *in lib. tert. pag.* 1100. *Ægrot.* 4. *Phreniticus primo die vomuit virulenta, & multa & tenuia*. Et Galen. in Comment. *Nam ſi phreniticus primo die vomuit virulenta, quod febribus adurentibus fere eſt conſequens*. Itaque ut veneno epoto letali quidam poſtridie vel tertio die moriuntur, qualitate ejus, non copia mortem afferente. His addimus, humores habentes aptitudinem ad vehementer putreſcendum, ex Galeno *in* 3. *Epidem. exitiales morbos, peſtemque concitare*. Qualibus corpora in quarta conſtitutione peſtilenti, quam in libro tertio *Epidem.* Hippoc. deſcripſit, ſcatuiſſe Galen. meminit. Humores itidem aut ſuapte natura, aut ob inſignem putredinem tenuiſſimi, atque ad motum præcipites redditi, ſæpius nobile aliquod viſcus occupantes morbos letales faciunt. Quo Hippoc. continuo, ne ſcilicet præcipites ad aliquod viſcus ferantur, purgandos in Aphoriſmis præcepit. In libro quoque *de natura humana pag.* 229. *lin.* 15. *& ſeq.* dixit, parte aliqua principe noſtri corporis laborante totum corpus ægrotare morboſque fieri graviſſimos. Et Gal. *in lib. de conſtit. art. Medicæ, cap.* 18. ſcribit: *Pravos humores in morbis acutis, ſi in principem partem ferantur, extremum periculum ægrotis facere*. Ex quo optimum eſt in morbis humores a viſceribus ad exteriora converti, peſſimum ab exterioribus & ignobilibus ad viſcera. Qua ratione Hippoc. *in ſect.* 6. *Aph.* 25. dixit: *Eryſipelas ab exterioribus verti ad interiora, non eſt bonum*. Hinc conſtat morbos, cerebrum, ſtomachum, jecur, cor, pulmones, diaphragma, atque alias internas partes præcipuas conflictantes eſſe graviſſimos atque difficillimos. A mutatione etiam morborum, idem comprehendimus; quippe in pejores quæ fit, in ipſis magnitudinem & periculum argumentatur, uti quum febres intermittentes in continuas mutantur, atque hæ in malignas ac peſtilentes. Simplices etiam fieri compoſitas, phlegmonemque adjungi, malum eſt. Ardentibus item febribus hecticas ſuccedere maraſmodes, phreniticis veternum, convulſiones; paralyſi, & epylepſiæ apoplexiam; tonſillarum inflammationi anginam; pleuritidi peripneumoniam, empyema, phthiſin; hepatis, & lienis tumoribus hydropem, & alia hujuſmodi in pejus facta mutatio: atque hæc ſunt, quæ morbos magnos naturaque potentiores nobis præmonſtrabunt, atque hic noſtræ methodi, qua quum naturam viribus morbo potentiorem, & debiliorem, tum morbum natura ipſa potentiorem, & debiliorem cognoſcimus, finis eſto.

A parte aliqua principe corporis laborante.

CAP. XII.

De futuri morborum ſtatus ſeu vigoris cognitione ad prædicendi rationem.

Status futuri cognitionis neceſſitas.

DIximus neceſſariam eſſe futuri ſtatus præcognitionem ad naturæ & morbi victoriam nobis innoteſcendam. De qua Gal. *in lib.* 3. *de Criſibus, cap.* 5. ita habet: *Et quidem ſine horum trium exacta dignotione, nihil de ſalute inveſtigari contingit, non magis quam hoc, numquid aliquis portando oneri ſufficiat, ſciri poteſt, hominis robore, oneris magnitudine & viæ longitu-*

gitu-

gitudine antea non perſpecta. Nam ægri vires portanti onus, morbus vero oneri, tempus autem, quod uſque ad ſtatum extenditur, longitudini viæ reſpondet. Quo pacto igitur de ægrotante ſciri poteſt, numquid ſufficiat, ſi nulla ſtatus præcognitio habeatur? Ex omnibus itaque ratio cogit, nil tam ſtudioſe eſſe diſcendum, quam futuri ſtatus præcognitionem. Quandoquidem natura morboque æque viribus conſtantibus, ubi cito ſtatum ſeu vigorem morbi futurum conjecerimus, naturæ victoriam, & ſalutem ægrotis prædicemus. Contra, morbo longius, ad ſtatum ut veniat, retardaturo, morbi victoriam, atque exitium plerumque futurum nobis præmonſtrabitur. Itaque de hoc morbi tempore, quod neceſſario ad prognoſtici notitiam concurrit, nunc agemus, nonnullis de morborum temporibus in memoriam primum revocatis, & num ægrotantes ſanaturi omnia, aut quædam tantum morbi tempora tranſeant, neque minus morituri, quo morbi tempore intereant. Morborum autem tempora nihil aliud eſſe Medici dicunt, quam mutationes, quæ in toto morbi tempore, quippe a principio ad finem uſque obſervantur. Haſque ætates etiam morborum appellant, quæ, perinde ac ætates animalium vitam, ita etiam totius morbi tempus in tempora ſeu in partes dividunt. Quæ quatuor exiſtunt, prout tot mutationes in toto morbi tempore a principio ſcilicet ad finem uſque ſpectantur, quippe principium, augmentum, ſtatus atque declinatio. Quæ omnia quatuor tempora quilibet ſalutaris morbus habet, ut Gal. *in 3. de Criſibus, & in libro de totius morbi temporibus* docuit. *Morbi exitiales ſæpe prius ægros perdunt, ſive interimunt, quam nedum omnia at duo tantum prima tempora abſolvunt, quando eorum, qui moriuntur, quidam in principio, quidam in augmento, quidam in ipſo ſtatu ſeu vigore decedant*. Quandoque enim morbi uſque adeo ſunt vehementes ac pernicioſi, ut ſtatim in principio vel tardius in augmento homines interimant, de quibus Hippoc. *in 1. Epidem. com. 3. text. 10. pag. 963. lin. 5.* ait: *ſtatim enim continua eſt, quibus incipiens floreſcit & viget*. Et *in 1. Aphoriſm. 7. Ubi quidem peracutus eſt morbus, ſtatim extremos habet labores*. Hac eadem ratione natura aliquando uſque adeo eſt debilis, ut nedum totum morbum concoquere queat, ſed quinimmo vix incepta concoctione morbo ſuccumbat. Habent itaque ſalutares morbi quatuor tempora, & letales unum aut duo aut tria, quando ægroti, ut poſtea accuratius oſtendemus, aut in principio, aut in augmento, aut in ſtatu moriuntur. Hæc vero tempora, ex Galeno *in lib. de totius morbi temporibus cap. 3.* a nullo alio deprehenduntur, ac cognoſcuntur, quam a cruditatis & coctionis ſignis in excrementis conſpectis ac obſervatis. Non defuere tamen Medici alioquin doctiſſimi, qui præter hæc tempora a coctione ſeu tranſmutatione materiæ cognita, alia ab eſſentia morbi, aliaque a ſymptomatibus depromta faciant. Etenim inflammationis cutis partem occupantis principium faciunt, quod humor ad partem inflammatam confluit, & decumbit, eoque partim fluxo, partim fluente, augmentum ſeu aſcenſum, totoque humore affluxo quoad coquatur, ſtatum ſeu vigorem, atque demum ipſo concocto, quum etiam reſolvitur, declinationem. Ex quo ſymptomatum, & materiæ tranſmutandæ tempora a temporibus morbi maxime differre atque diſtingui affirmant.

Morborum temporum differentia.

Morborum tempora unde perquirenda.

mant. Veluti in pectoris, pulmonumque inflammationibus tempora morbi, & ſymptomatum ſimul procedere, minimeque cum iis temporibus, quæ a coctione, & cruditate excrementorum attenduntur, obſervamus. Vigere enim ſæpius illa dicunt, nulla in humoribus coctione apparente. Quod tempus principium ex materiæ tranſmutatione eſſe ſtatuunt. Quod morbus tunc erit in vigore ſeu ſtatu, & natura ſeu materia ipſa, ut concoquatur, in principio, hoc confirmant ex Gal. *in* 1. *de vict. rat. in acutis*, ſcribente; Hippocrat. dicentem: (*lib. de Vict. rat. in acut. p.* 386. *lin.* 3. *& ſeq. Si dolor fuerit aſſiduus, qui fomentis minime cedat, & ſputum etiam non procedat, ſed lenteſcat citra coctionem, & ptiſana offeratur, interficitur ægrotus*,) ſtatum intelligere voluiſſe inflammationis, in quo non debeamus ægrotos nutrire, vigentiſque inflammationis, ſigna eſſe dolorem aſſiduum, qui fomentis minime cedit, atque ubi ægri quicquam non exſpuunt, quum tamen hoc tempore ad materiæ coctionem comparatum principium ſit. Amplius ubi morbus & ſymptomata vigent, coctionis principium eſſe dicunt, atque ipſis declinare incipientibus augmentum eſſe. Quod vel ipſis fuit perſuaſum, primum ex Galeno, qui *in libro* 3. *de vict. rat. in acut. com.* 62. dixit; *Morbi vigorem interdum cum ipſa coctione exſiſtere*: ex quo plerumque morbi vigorem abſque coctione obſervari colligunt: Et poſtea *com.* 59. quum ſcripſerit: *Nam ſæpius affectio ipſa, qua laborant, mitior quidem exſiſtit, ſed ſymptomata augentur*. Et in *ſecundo lib. aphoriſmorum*: *Diſpoſitio ſiquidem, ex qua hæc generantur, quam & morbum nominamus, non omnino dum morbus conſiſtit, eſt fortior*. Quod etiam confirmant ii dicentes in vigore coctionis morbum aliquantulum declinaſſe, quum humores concocti ac ſuperati minus naturæ moleſti, quam antea ſint. Non ſemper igitur a coctione ſola tempora morborum perquirenda diſcimus, at a ſymptomatibus & a morbi etiam, ut aliis viſum eſt, eſſentia. Quam rem Gal. meminiſſe viſus eſt *in* 1. *lib. de Criſib. cap.* 29. quum de cognoſcendis morborum temporibus ex acceſſionibus ſymptomatiſque locutus, dixerit: *Ipſorum augmentum judicari non modo ex acceſſionibus ſolitum tempus anticipantibus longioribus & gravioribus, verum etiam a propriis morborum ſymptomatis, quæ ideam morborum notant, atque a ſupervenientibus non minus, multis aſſiduis, validis ac malignis*. Hæc vero ita habet: *Ex ſupervenientibus vero ſymptomatibus; ſi multa, ſi diuturna & valida, atque maligna exſtiterint*. Quæ ſymptomata multa, diuturna, valida, atque maligna ſæpius in morbis exitialibus obſervantur citra ullam humorum coctionem. A quibus tempora morbi differre a temporibus naturæ concoquentis (quam Medici tempora materiæ vocant) cuique liquido conſtabit. Itaque dividimus tempora morborum, quibus utemur ad prognoſin, in ea, quæ ad morborum ſymptomata, & in ea, quæ ad naturam concoquentem, ſeu ad coctionem & cruditatem, (quæ ob id tempora naturæ concoquentis appellavimus) referentur. Morbi ſalutares omnia quum morbi tum naturæ tempora fere pertranſeunt. Quod in exitioſis non fit. Horum namque nullus eſt, qui ſtatum percurrat, & ad declinationem perveniat. Horum alii (ut dictum eſt) in principio, alii in augmento, ac alii in vigore ſeu ſtatu moriuntur.

Morborum temporum diviſio.

tur. Differunt vero augmenti ſtatuſque tempora in ſanandis, & moribundis obſervata. Illorum enim *augmentum*, ut docet Galen. in *primo libro de Criſibus cap.* 8. *Incipiente humorum coctione fit, & ſtatus ſeu vigor perfecta apparente, letalium vero morborum augmentum & ſtatus ſignis cruditatis ac letalibus innoteſcit*. Quod Galen. *in lib. de totius morbi temporibus cap.* 6. ita expreſſit, dicens: *Siquidem initium ſimiliter in morbi generatione conſtituitur, aſcenſus non in coquendo, ſicut in iis, qui ſuperſtites futuri ſunt, ſed in cruditate, letalibuſque ſignis conſiſtit*. Itaque ſæpe contingit multa ob id tempora diverſa in ægrotis eodem tempore obſervemus, quorum alia principium, alia ſummum vigorem, atque alia declinationem demonſtrant. Uti pleuritici, qui nihil exſpuentes, ſeu quicquam quum exſpuere nondum cœperint, moriuntur, quod ad morbum & ſymptomata ipſum conſequentia pertinet, in augmento aut vigore exſiſtunt, atque ad naturam nihil concoquentem, ſive ad materiam, quæ omnino eſt cruda, in principio. Verum Medici diſtinguere debebunt, quod non illa tempora a ſolius ſimplicis morbi vel multorum ſimul complicatorum ratione fiant. Quod Galen. *in eod. lib. cap.* 3. ita meminit: *Nam uno eodemque tempore duobus tribuſve morbis homo infeſtari poteſt, quorum alius jam declinat, alius principii tempus adhuc vel augmenti primordia occupat*. Itaque morbi principium ex ſymptomatum ratione, tempus eſt, in quo ægroti parum ab iis conflictantur, & ex natura concoquente, in quo nulla in humoribus apparet concoctio, & dum acceſſiones, ſymptomataque anticipant, augentur, & diutius ægrotos affligunt, augmentum ſignificatur. Idemque, quod ad naturæ tempora ſpectat, augmentum dicetur, quum humores concoqui manifeſte cœperint. Sicuti illis perfecte concoctis morbum in vigore eſſe dicimus, atque etiam in quo acceſſiones ſymptomataque conſiſtunt. Quibus quidem aliquo modo declinantibus, atque humoribus, & concoctis, & aliqua ex parte reſolutis, morbum declinare ſcimus. Sed quæ de vigore ſeu ſtatu morbi, diximus, forte dubia videbuntur, quum Hippoc. & Galenus, qui de hoc ipſo tempore locuti ſibi ipſis omnino conſtare non videantur. Etenim modo dicunt, vigorem ſeu ſtatum eſſe partem totius morbi vehementiſſimam. Et *in* 1. *Aphoriſm. ſect.* 3. Gal. dixit: *Vigorem nihil aliud eſſe, quam morbi, quantum ad caſus attinet, maximum*. Et *in* 2. *lib. de criſibus cap.* 8. ut nuperrime diximus: *Circa ſtatum omnia eſſe fortiora*. Et *in lib. de tot. morb. temporib. cap.* 3. docet: *Statum ſive vigorem inflammationis eſſe, & dici, quando pars inflammata maximis doloribus cruciatur, febriſque vehementius ſolito affligit*. Ex oppoſito alii negant vigorem eſſe moleſtum ac turbantem, at potius tunc temporis ægrotos melius quieſcere, neque febrem, neque ſymptomata, neque acceſſiones auctas videri, ſed hæc omnia æqualia eſſe & conſiſtere; quo ægroti minus, quam cum augmento turbantur & conflictantur. Neque immerito, quum Hippoc. *in ſect.* 2. *Aphor.* 47. dixerit: *Dum pus fit, dolores ac febres accidunt magis, quam jam confecto*. Nemo tamen negat in vigore ipſum pus factum eſſe; veluti in febribus humores plane concoctos in ſtatu apparere, obſervamus. Quod forte etiam Galen. *in* 2. *Aphor. com.* 29. intellexit, quum hæc ſcripſerit: *Diſpoſitio ſiquidem, ex qua*

Morbi principii quodnam

Augmentum.

Status.

Declinatio.

morbi

morbi generantur, quam & morbum nominamus, non omnino dum morbus conſiſtit, eſt fortior: verum in his, qui ſalvari debent, multo melior quam in morbi principio. Et in 3. *lib. cap.* 5. *Sicuti ipſas diſpoſitiones, in quibus hæc fiunt, ubi morbi conſiſtunt, neceſſe eſt, eſſe meliores in his, qui debent ſanitati reſtitui.* Nemo etiam non fatetur, criſin bonam fieri in ſtatu, veluti Gal. *in lib.* 3. *de Criſib.* affirmavit. Antequam vero ipſa fiat, neceſſe eſt vehementes turbationes, & agitationes fieri, non minuſque gravia ſymptomata, critica vocata, criſin illam prænuntiantia; uti ſunt vigiliæ, dolor, deliria, inquietudines, & alia. Tunc enim natura, dum concoquit humores atque eos ad excretionem parat, concitat in corpore magnam turbationem. Quod Galen. quum *in* 3. *de Criſib. cap.* 5. tum *in* 2. *Aphoriſm. com.* 19. docet. Quare morbi ſtatus non ſic in ægrotis fortior moleſtiorque videtur. Quid igitur his auditis erit reſolvendum? An non ipſum ſtatum eſſe fortiorem, vel potius debiliorem ac quietiorem. Utrumque, ſi accuratius ſtatus tempus obſervabimus, verum erit. Etenim morborum tempus quodlibet habet ſuam latitudinem, ex qua quodlibet ipſorum tria tempora percurrit, ut puta principium, medium, & finem; ſtatus itaque principium eſt moleſtiſſimum, quia in eo tota pugna atque turbatio fit, quum natura maxime concoquat vel expellat, atque hoc eſt, quod dixerat Hippoc. *in ſect.* 2. *Aphor.* 47. *Quum pus fit, dolores & febres augentur magis quam illo confecto.* Quod fit in principio ſtatus, atque in fine eſt confectum. Quo fit, ut ægroti ſummos labores ac turbationes patiantur in primo ſtatus tempore, quoniam natura valide totam materiam humorum agitat, atque alterat. Qua ſane concocta ſeu alterata, quod circa finem factum eſt, melius ægroti ſe habent. Quo tempore morbus omnino coctus ſeu ſuperatus a natura eſt. Unde ipſam minus turbari & offendi, non eſt mirum. Dicimus itaque in ægrotis, qui incolumes futuri ſunt, totum ſtatus ſeu vigoris tempus cum perfecta humorum coctione non eſſe, ſed ipſius tantummodo partem ultimam ſeu finem, quam ex ſymptomatum ratione declinationem aliquo modo nominari liceret. In morituris vero ſtatus ſeu vigor nulla omnino coctione obſervatur, ob idque peſſimum eſt in morbis vigorem abſque ulla coctione obſervari, quod ſane ſignificat morbum eſſe fortiſſimum, qui uſque ad ultimum cum natura venerit, ſummas ipſius vires oppugnando, atque naturam ita debilem, ut quicquam contra morbum toto illo tempore facere non potuerit, nihilque humorum concoxerit, & ſuperarit. Quæ ſi hactenus facere non potuit, multo minus poſt faciet, ipſo morbo viribus ſupra ipſam plurimum aucto, ipſaque debiliori reddita. Sed tempus eſt, ut ad prædictionem ex ſtatus obſervatione deſcendamus.

Morborum cujuslibet temporis diviſio.

CAP.

CAP. XIII.

De ſalutis ac exitii prognoſtico ex morborum futuri ſtatus cognitione.

Morborum ſtatus cognitio ad horum prognoſticum plurimum facit.

EUm morborum ſtatum, ſeu vigorem, qui humorum coctione perfecta indicatur, ad morborum prognoſticum, plurimum facere, non ignoramus, circaque ejus rationem propterea accuratius verſari nunc ſit propoſitum. De altero tam non ex naturæ, ſed morbi potius ratione, ut nuper oſtendimus, qui ſymptomatum auctorum conſiſtentia atque vigore cognoſcitur, non minus agendum duximus, licet multis ipſum ſtatum ſeu vigorem appellari non libeat, at potius augmentum, quod niſi ægroti a vehementiori morbo, quem debilis ipſorum natura ferre non poteſt, tunc temporis interimerentur, morbus procul dubio ac ſymptomata multo plus augerentur. Salutis vero ac exitii præſagium nobis primo ab illius ſtatus celeritate, tarditateque innoteſcit, atque etiam quod vel ſolus vel ſimul cum naturæ ſeu coctionis ſtatu in ægrotis obſervatur. Cito autem morborum ſtatus ſeu vigores apparentes, neque valde vehementes, optimi in omnibus ægrotis cenſentur. Siquidem natura melius morbi inſultibus reſiſtet, ſi brevi tempore ſit dimicatura. Non latet etiam nos omnia morborum tempora, ut Gal. docuit, inter ſe proportione temporis convenire; etenim breve principium breve tum augmentum, tum ſtatus, tum declinatio ſequitur, quodlibetque ipſorum æqualis temporis proportione movetur, a brevi propterea obſervato principio brevi tempore augmentum atque ſtatum, uti dictum eſt, expectare debebimus. Contra tarde ad ſtatum morbum venturum ſperabimus, prioribus duobus temporibus, principio ſcilicet ac augmento, tarde ad ipſum ſtatum properantibus. Hippoc. *in ſect. 1. Aph. 7. Ubi morbus peracutus eſt, ſtatim extremos habet labores.* Facilius igitur natura morbi vehementiam cito advenientem, & cito deſinentem, feret. Attamen ſæpe uſque adeo morbi ſunt graves, aut a maligna humorum qualitate, aut ab ipſorum multitudine, aut a principe parte corporis læſa, aut ab iis omnibus ſimul, ut ſtatim in principio ægrotos interimant; uti quum ex venenoſo humore, corde inſigniter læſo, ſyncope oborta ſtatim moriuntur, & cerebro læſo phrenitici: veluti phrenitico, de quo Hippoc. *in 3. Epidem. com. 3. Ægr. 4. pag.* 1100. meminit, contigit, qui quarta die obiit. Idem in anginoſis, pulmoniis non raro obſervatur, quod ii copia humorum paucis diebus ſuffocati pereant. Quare quovismodo principibus membris, aut partibus ipſis immediate ſervientibus, graviter læſis, ut gula, pulmonibus, inteſtinis, renibus, veſica; aut ab aliqua inflammatione, aut humore craſſo & lento obſtructis, continuo homines pereunt, etſi etiam brevi tempore ſit morbus ad ſtatum feſtinet. In morbis vero partem vel non principem, vel ipſam leviter offendentibus, vires non niſi longo tempore reſolvuntur, in hiſque quanto citius ad ſtatum ægroti veniunt, eo citius liberantur. Qui ſi longo tempore ac tardiſſime ad vigorem ſeu

Morborum tempora inter ſe convenientia.

Morbi graves unde ſæpe oriuntur.

ſtatum

Salus vel exitium in morbis quomodo ex ſtatu tum naturæ tum morbi prænoſcitur.

ſtatum veniant, ni ægroti prærobuſtiſſima natura valeant, morientur. Ex ſtatus igitur tardius futuri præcognitione, ſalutis ſpes dubia redditur: in prælanguidioribuſque corporibus bonum non eſt, peſſimumque, ſi morbus valde vehemens fuerit. Quod Hippoc. forte intellexit, quum dixit: *In 4. Aphor. 37. & in Prognoſt. p. 38. lin. 21. Sudores frigidi in morbis acutis ac vehementibus, mortem: atque in mitioribus, longitudinem prænuntiant*: quando, ut *Gal.* meminit *in Commento*, natura corporum ægrotantium a vehementi morbo longiori tempore conflictata, priuſquam ipſum, qui non niſi longiori tempore ſuperatur, concoquat, exſtinguitur. Celeritati quoque ac tarditati ſtatus morborum, ſi conjunxerimus ſtatum naturæ, judicium magis certum aſſequemur. Namque hoc ſemper erit veriſſimum ac fideliſſimum, ſi æque tum morbus, tum natura, quod ad ſua tempora ſpectat, ſimul moveantur, cito quidem, ſi ex aliis temporibus antegreſſis ſtatum, ſeu vigorem morbi & naturæ, ſeu coctionis ſeu materiæ, quo modo alii hunc ſtatum vocant, ſimul futurum conjiciemus, morbum ſanatum iri, atque omnino ſalutarem prædicemus. Eodem itidem modo, ubi etiam una tarde morbi atque naturæ vigor ſperabitur, ſalutem futuram pollicemur. Siquidem æque totum offenſæ, quod corpori ægroto morbus intulit, natura eo tempore corrigere atque emendare poterit. Et merito ſane, etenim quum duo ſint, quæ invicem pugnant, morbus quippe ac natura, ſi æque ambo robuſta fuerint, æque ſimul a principio ad finem uſque ſe habebunt, morbus quidem oppugnando, & natura defendendo, totumque illud, quod a morbo in corpore concitatur, natura æquali robore prædita eo tempore corriget. Nihil itaque in ægrotis melius creditur, quam tempora omnia tum morbi, tum naturæ a principio ad finem una æque procedere. Ubi vero morbus celeriori motu quam natura ipſa moveatur, malum ſignificat; non obſcurum enim eſt imbecillitatis naturæ indicium, atque quo magis naturæ tempora a morbi temporibus diſtant, eo pejus ad prædictionem eſſe creditur, & quo minus, eo minus malum. Quando enim morbus ſummum exercet vigorem, & natura adhuc etiam eſt in principio, utpote quod nondum morbum alterare, & concoquere cœperit, quid ſpei ad ſalutem erit? Ni natura ſit prærobuſta & morbus mitis, certum exitium

Naturæ ſtatus cognitio quid ad præſagium in morbis.

præmonſtrabitur. Sed his de ſtatu morbi præmiſſis, nunc ad naturæ ſtatum redeamus, qui ſi cito ſit futurus, facultate valida exiſtente, brevi ſalutem certo oſtendet. Nam morbos habere celerem ſtatum, nihil quidem aliud, quam brevitatem, & ſecuritatem, teſte Hippocrate, ſignificat. Itaque in iis humorum concoctio cito incipit, & cito abſolvitur, & quo citius incipit, eo citius perficitur. Optimumque eſt in omnibus morbis Medicos ſigna coctionis obſervare, hæc enim numquam, ut Galeno placuit, male apparent, at perpetuo ſalutem ſignificant, atque eo citius futuram, quo citius ſigna illa coctionis nobis illuxerint. De his Hippocrat. *in 1. Epidemior. ſect. 2. p. 948.* ait: *Coctiones celeritatem portendunt judicii, ſecuritatemque ſalubrem.* Et Galen. *in lib. tertio de Criſibus cap. 8. Neminem vidiſſe intereuntem, qui præcedentibus coctionis ſignis criſin habuiſſet*, meminit. Quo citius itaque hæc apparuerint, eo ſecuriorem morbum præmonſtrabunt. Contra,

tra, quo tardius ſcilicet illa illuxerint, eo ſtatum tardiorem, ac morbum difficiliorem, oſtendunt; in morbo ſiquidem graviori, ipſo crudo exiſtente, tardiſſime ex longo antegreſſo principio ad ſtatum veniente, periculum eſt, ne, priuſquam morbus concoquatur, natura exſtinguatur. Quare colligamus ex iis ſtatum morbi ad prædictionem æſtimari brevi tempore fore minus malum, quam qui longiori tempore futurus eſt, ni morbus ſit admodum vehemens ac ſymptomatis naturam proſternens. Majus malum quoque eſt, ſi ſine ſtatu naturæ appareat, & quanto magis tempora naturæ a temporibus morbi diſtabunt, eo periculoſiorem morbum præmonſtrabunt. Bonum itaque erit, ipſum morbi ſtatum cito futurum prænoſci, & eo melius, una cum ipſo ſtatum naturæ: Optimumque in morbis ad prognoſin eſſe judicabitur, ſi perpetuo ambo hi ſtatus quippe morbi & naturæ ſimul procedent, ac una moveri obſervabuntur. Atque hæc de ægrotantium prædicenda ſalute ac morte, a naturæ morbique viribus, atque a futuri ſtatus præcognitione, a nobis dicta ſint. Quibus addamus ea, quibus alii Medici Empirico quaſi modo morbos ſalutares atque exitiales dignoſcunt.

CAP. XIV.

Ex quibus morbos ſalutares ac exitiales nonnulli cognoſcant.

Morbi Salutares atque exitiales quomodo cognoſcuntur Empirico quaſi modo.

ETſi præter noſtrum inſtitutum videatur, non velle omnia, quæ alii Medici ad cognoſcendos morbos parvos ſalutares, ac magnos exitiales Empirico quaſi quodam modo cognoverunt, proſequi; quum nobis ſatis ad illud aſſequendum ea ſufficere poſſint, quæ nos dogmatice ex Hippocrate, & Galeno hactenus ſumus proſecuti: verumtamen ne aliquid omittamus, quod poſſit hanc noſtram prædicendi Methodum illuſtrare ac ampliare, ea quoque omnia, quibus ſcio quoſdam morborum vires adverſus naturam dimetiri & cognoſcere, atque morbos exinde ſalutares & pernicioſos animadvertere, accuratius quoque cognoſcenda & illuſtranda duximus.

Morbus fortis & perniciosus unde conjicitur.

Dicunt itaque hujuſce prædicendi modi auctores, illum morbum fortem, ac pernicioſum conjici poſſe, a virtute ſive natura profligata, a maximo dolore, calore immodico, inquietudine, morbi difficili tolerantia, mentis alienatione, ſiti immodica, vigiliis aſſiduis, magnis inflammationibus membrorum nobilium vitæ neceſſariorum, ex medicamentis non juvantibus, copia humorum, turgentia atque ex aliis ſignis cauſiſque pravis. Et a contrariis debiles facileque naturæ cedentes æſtimantur. In his quidem virtutem ſeu facultatem ajunt prævalidam cognoſci, ipſoſque vel omnino doloribus vacare, vel ſaltem leviſſimis, vel non aſſiduis conflictari, neque ſi febricitent, vehementem calorem ſentire, quietoſque eſſe, ac facile morbum perferre, mente recte conſtare, immodica ſiti non ardere, neque plane eos vigilare, neque ſomno veternoſo teneri: atque ſi aliqua vexentur inflammatione, ea non ſit magna, neque membrum nobile occupet,

Morbi debiles unde æſtimantur.

cupet, ſed aut a viſceribus remotas, aut ignobiles, neque principibus immediate ſervientes. Qui morbi neque ingenti humorum multitudine neque turgentia, ut illi dicunt, foveantur. Atque demum, ſi ex medicamentorum uſu quicquam fuiſſe juvatos obſervemus. Hæcque ſigna ſalutaria ſtatuunt, a quibus ſalutares morbos ipſi prænoſcunt. An vero ex horum tantummodo accurata obſervatione in ægrotantibus ſalutem ac exitium præſcire recte quis queat? In morbis acutis iſtud poſſe conſequi non dubitamus: ſiquidem omnem morbum acutum, ſeu febris ſit, ſeu inflammatio, vel aliud tale genus morbi, cum virtute, ut ii dicunt, proſtrata ſeu exſoluta exitialem eſſe, quis ignorat? Etenim, ut nuper dictum eſt, virtus prælanguida, naturam cum morbo pugnantem, non modo in pugna defecturam, ſed jam defeciſſe ac occubuiſſe, ſignificat.

Morbi exitioſi dignoſcendi a virtute debili.

At per virtutem omnes facultates intelligunt, quippe vitalem, quam Medici præcipue obſervant, animalem, atque naturalem. De quibus alias abunde a nobis dictum eſt. Itaque ea, ſi omnes profligatæ obſerventur a morbo, natura devicta præmonſtratur. Reliqua vero ſigna, quæ obſervant, ſcilicet calorem, doloremque immodicum, inquietudinem, difficilem tolerantiam, ægrotos non dormire, morbum principem partem tenere, a multitudineque humorum aut turgentia eſſe concitatum, vehementem quinetiam eſſe inflammationem, aut febrem, nihilque adhibita medicamenta juverint, omnino eſſe exitioſa ſigna, putant. Quæ ſi una cum malis vacuationibus ſpontaneis obſerventur, morbum plane letalem eſſe affirmant, omniumque certiſſime, uti nuper dictum eſt, viribus prælanguentibus, quando ab iis morbis non niſi robuſtiſſimi evadere ſoleant. At ne hæc nos ſigna ad judicandum fallant, ſingula a nobis quoque ſunt illuſtranda, ac diſtincte magis cognoſcenda. Namque per virtutem proſtratam, ſeu defectam, vitalem facultatem præſertim cum iis maxime debilem prælangueſcentemque intelligimus. Pernicioſi enim ac maligni morbi continuo ſolent vires proſternere. Sed præter vitalem animalis non minus atque naturalis ſedulo erunt attendendæ. Quæ quanto debiliores evaſerint, tanto morbum pernicioſiorem ſignificant. Dolor, calor, inquietudo, & reliqua ſymptomata, ſi poſtea in morbo appareant, malum morem denotabunt, & quo plura vehementioraque fuerint, eo majorem atque maligniorem quoque morbum præmonſtrant. Sed nunc de his ſingulis nos accuratius.

Morbi fortes vel debiles cognoſcendi. A doloribus.

Dolores vehementes, aſſidue morbi fortiſſimi ſunt ſymptomata, omniumque maxime viſcera nobilia obſidentes, ſeu vexantes. Ex quo merito Hippoc. *in ſect.* 4. *Aphor.* 66. dixit: *Viſcerum fortes dolores, malum ſignificare.* Dolor etiam eſt ex iis, quæ maxime vires reſolvunt. Quare magni dolores in omnibus morbis, tum ut ſignum, tum ut cauſam malum prænuntiant, iis exceptis, qui critice aliquando in aliqua partium ignobilium, & remotarum a viſceribus excitantur.

Dolentes namque pedes, vigentibus morbis, quo tempore non raro dolores ægrotos invadunt, vel etiam ab ignaris mulierculis laudari ſolent, morbum in pedes nimirum decumbere putantibus. *Qui etiam dolores non ſentiunt* (ut Hippocrates *in ſect.* 2. *Aphor.* 6. docet) *peſſimo morbo vexantur*;

tur, ii enim, *aut delirant*, *vel in ipſis facultas exſtinguitur*. De calore itidem vehementi magni morbi explicantur, ſed quandoque a prævalida natura fit, ideo accurate diſtinguendum erit, an ex morbo, an ex natura, ut dictum eſt, forti fiat, & an in toto vel in parte aliqua corporis ſit, rurſumque an internam vel externam occupet partem, atque an in extremis quidem partibus, aut in viſceribus ſentiatur. De his Hippoc. *p. 39. lin. 30. in Prognoſt. text.* 4. ita habet: *Si vero caput, manus, ac pedes frigida ſint, ubi & venter & latera calida ſunt, malum eſt*. Et *in ſect.* 4. *Aphor.* 48. *In febribus non intermittentibus, ſi partes exteriores frigidæ, interiores urantur, & ſitim habeant, letale*. Internarum partium inſignem caliditatem a magna inflammatione viſcus aliquod, vel aliquam ex internis partibus occupante, concitari Gal. docet. Quæ vero vel etiam eſt vehementiſſima caliditas, occupans externas partes, atque a viſceribus remotas, magni ſane vehementiſque morbi eſt indicium; non tamen exitialis. Quinimmo in febribus continuis, ſi in parte exteriore ac longinqua a viſceribus, veluti ſunt crura, brachia, & pedes, vehemens caliditas concitetur, optimum erit ſignum. In toto vero corpore vehemens, aſſidua, diuque durans caliditas corpus colliquat. Sæpe vero Medici decipiuntur a putridarum febrium miti ac leni calore in cute obſervato. Etenim quum natura opprimitur ac fere humorum multitudine ſuffocatur, quo calor nativus alioquin ardens ſeſe exinde intus contineat, nec foras moveatur, partes corporis exteriores parum calent. Has febres aliqui fumantes magis, quam ſuffocantes appellant, quod in ipſis non flamma, ſeu ardor calorve, foras per cutis meatus moveatur, ſed fumida potius neque ita urens exhalatio, ſeu fumus, uti in igne lignorum viridium vel temere congeſtorum copia obruto & ſuffocato pro flamma fumum excitari obſervamus, aut ubi ita natura deficit, ut niſi ex putrefactis ſuccis calor accenſus non multus ſit; neque ad cutim copioſe perveniat. De quo ſcribit Galen. *in 3. Epid. com.* 1. *text.* 10. Hermocratis caſum commentans: *Quem vide in 3. Epidem. ſect.* 1. *Ægr.* 2. *Neque enim ſeptimo decimo accidit nativi caloris ratione, ſed ſola putredine ſuccenſis febriliter humoribus, aut venenoſæ putredinis cauſa, aut ob inſignem viſceris inflammationem intus cum ſanguine nativo calore recurrente, ſive retracto, aut a morbi vehementia, vel malignitate, in externis partibus corporis & remotis reſoluta externa partes parum calent*. Quod in moribundis obſervatur. *Inquieti vero & anxii ſunt ægroti, qui loco ſtare nequeunt, quique decubitum, ut ait Galen. in* 1. *de humorib. text.* 17. *ferre poſſunt, ſed formas mutant, jactantur aſſidue, inæqualiter moventur, agitantur atque æſtuant*. Quod illis contingit, vel ſtomachi vitio, quum præſertim os ventris, ut docet Gal. *in* 2. *Prorrh.* 24. a pravis mordetur humoribus, vel quibus in ore ventriculi propria quædam moleſti humoris qualitas continetur, qui humor neque multus ſit, neque in ventriculi ſpatio innatet, ſed in ejus tunicis ſit immerſus, atque etiam a longa inedia, ventre ichoribus (Galeno auctore *in* 7. *Aphor.* 56.) repleto: vel a cibo intempeſtivo gravante, vel a corpore virtutem gravante, aut a febre ſtabili & æſtuoſa & maligna, vel ab acrio-

A calore.

Ab inquietudine.

ribus virulentiſque humoribus æſtu turgentibus, ferventibuſque circa præcordia, vel ab inſigni alicujus viſceris inflammatione, vel eryſipelate, aut denique ab infirmitate virium. Quare quandoque ægroti inquieti evadunt, quo tempore humor aliquis calidus vel aeris ad excretionem movetur, quod in iis obſervamus, quos criſis aliqua judicare debet. De quibus Gal. *in* 2. *Prorrhet.* 44. hæc habet: *Nam ſi judicatorius rigor ex inquietatione fiat, morbum ſolvit ſupervenientibus ſudoribus, vel vomitibus commodis, vel alvo ſubducta.* Itaque hæ inquietudines, quæ ſtomacho ex aliquo humore læſo fiunt, morbum minime pernicioſum denotant: peſſimæque ſunt, ab æſtuoſa febre ſtabili & peſtilenti, ab inſigni viſceris inflammatione, & ab humoribus virulentis æſtu turgentibus ac circa præcordia ferveſcentibus obortæ, atque omnium maxime, quæ propter languorem virium excitantur, hæ ſumme pernicioſos morbos præmonſtrant. De his Auctor Coacarum *in* 1. *lib. text.* 2. ait: *Quæ cum refrigeratione anxietates incidunt, peſſimæ.* Addamus diu etiam perſeverantes, nulla poſtea illuceſcente evacuatione. Idem forte de morbi difficili tolerantia videtur dicendum; nam morbum non facile tolerari, inquietudinem ſignificat. *Unde in loco ex Coacis paullo ante citato δυσφορίαι legitur, quod vocabulum ab Auctore noſtro tamquam* Anxietates *expoſitum, ſtricte tamen* difficilem tolerantiam *ſignificat*, quam vel a vehementi diuque perſeverante febre vel maligna, vel a virulentis ſuccis, vel inſigni inflammatione interna vel denique virium infirmitate fieri jam diximus. Ægris igitur morbum non facile ferentibus, hoc unum ſpeciatim nobis indicari videtur, quippe naturam morbo imparem viribus eſſe. Quod Hippocrat. *in Prognoſticis text.* 56. *p.* 41. *lin.* 47. *ad finem uſque* de ſuppuratis ad exitium tendentibus expreſſit, quum dixerit *hos non facile morbum ferre, & facile eos, qui ſani futuri ſunt*. Somno etiam ægrotos bono carere per multos dies, nobis fortiſſimi morbi & pernicioſi erit indicium, omniumque maxime perpetuæ vigiliæ, quod hæ vires reſolvant, cruditatem in humoribus augeant, in deſipientiam, & phrenitidem non raro ægrotos deducant, atque non minus in exitiales tremores ac convulſiones. Somnus perpetuo magni momenti erit ad ſalutem prænoſcendam, ſi bonus naturaliſque ſit. Nam pauciſſimi aut nulli ſunt, qui morbo vexentur pernicioſo, & probe, ideſt naturaliter ſeu ſecundum conſuetudinem, dormiant, At dormientibus etiam non omnino fidere debebimus, quum ex iis non pauci ſint, qui etſi ſint moribundi, recte dormire videantur. Sed hic, quod una cum virium languore prodeat, a bono diſtinguetur, atque etiam, quod nedum non juvat, ſed quinimmo etiam lædit. Quod fit tanta affectione cerebrum occupante, quam neque ſomnus digerere, & conſumere queat. Hinc Hippoc. *in* 2. *lib. Aphoriſm.* 1. dixit: *Quibus in morbis ſomnus laborem facit, mortale. Si vero juvat, non mortale*. Alii vero gravioribus ſomnis & longioribus utuntur, qui non inter ſomnos, ſed ſoporiferos potius affectus ſunt adnumerandi. At de his in ſequentibus libris accurate ſcribemus. Magnas inflamationes appellamus, quum ex ipſarum vehementia, tum ſi fiant in membris principibus, eæ omnes multum ſunt merito timendæ; veluti parvæ, atque in ignobili membro, parum aut nihil. Quid læſæ partis varietas

A Morbi tolerantia.

A ſomno.

A parte affecta.

ad

ad prognoſticum faciat, alias dictum eſt. Cui hoc unum addimus, partem affectam vel principem, vel non principem tanti momenti eſſe Galenum docuiſſe, ut in acutis morbis humores malignos in principem partem recurrentes, exitium; & in non principem ac ignobilem, ſalutem ægrotis inferant. Graviſſimos itidem morbos eſſe ab humorum multitudine concitatos, omnes medici ſtatuunt, præcipueque ſi multitudo humorum ſit eorum, qui naturæ maxime adverſantur, quos ipſa propterea difficillime ac tardiſſime concoquit, corrigit, aut a partibus affectis expellit, quales ſunt bilis æruginoſa, uſta, atra vocata, ſumme putridi ac virulenti humores. Non tamen ob id, qui ab humoribus quantitate paucioribus excitantur, omnes periculo vacant. Sæpe enim valde exitiales obſervamus morbos a pauco, ſed tamen virulento humore. Cujuſmodi fuit phrenitis, qua ille, de quo Hippoc. ſcripſit *in tertio libro Epidem. ſect. 3. Ægr. 4. p.* 1100. quatuor diebus interiit. Hoc Galenus *in libro ſexto de locis affectis*, exemplo quum ictus ſcorpionis ſeu veneni, perquam quantitate exigui, tum ſeminis corrupti, quibus ſæviſſimi morbi & ſymptomata concitari ſolent, verum eſſe demonſtravit. Ex turgentibus etiam humoribus non minus graves, & periculoſi morbi concitantur. Quando hi, præterquam quod turgentes periculum invehunt, ne in partem corporis principem irruentes, morbum graviſſimum faciant, id etiam habent, ut ipſorum mala qualitate morbis vim pernicialem addant. Medicamenta etiam, quicquam utilitatis ſeu juvamenti non afferentia, morbum uſque adeo pernicioſum, quem natura neque arte adjuta ſuperare queat, præmonſtrant. De quibus Hippoc. *in 3. Epidem. com. 3. text. 65. p.* 1086. *lin.* 13. *Et oblata ægre admittebant, nam purgationes multos offendebant*. Facta quidem tempore debito in acuto morbo ſanguinis vacuatione, aut per venæ ſectionem, aut per malleolorum ſcarificationem, aut alio modo, aut medicamentis vel lenientibus, vel purgantibus vomitoriis, aut dejectoriis, purgatione, ſi ægroti nihil juventur, judicium redditur difficile. Pravorum ſiquidem humorum crudorum, naturæ minime cedentium, multitudinem ſignificant, unaque naturam morbo longe debiliorem redditam eſſe, quæ, priuſquam morbum concoquere queat, ſuccumbit. Hujuſmodi vacuationis Hippoc. meminit in *lib. 4. Aphoriſm.* 56. dicens: *Febricitanti ſudor ſuperveniens, febre non deficiente, malum*. Et *in* 1. *Prorrheticorum text. 7. Qui in hypochondrio febri refrigerata ardores relinquuntur, tum alias tum in ſudoribus, mali ſunt*. Et *in lib.* 1. *text.* 35. *tum & in Coac. præſag. text.* 53. *Inquietatio cum ſudore, eſt mala*, &c. *Prorrheticorum libro primo text.* 67. *Flammans quoque cum ſudore facies in his mala*. De ſputis *lib. Prognoſticorum pag.* 41. *lin.* 33. *Omnes autem excretiones mala ſunt, quæ non ſedant dolorem*. Quæ itaque juvare deberent, cujuſmodi ſunt medicamenta omnia, & non juvant, aut exitii aut ſaltem difficilis judicii ſunt indicia. Quod Gal. *in libr. 3. Prorrh. text.* 35. expreſſit, hunc in modum ſcribens: *Sanguinis eruptio non judicans, vel mortalis, vel judicatu difficilis, ita ſudor vel copia, tum urinarum, tum dejectionum, tum vomitum, vel quæ per hæmorrhoidas, vel uterum excernuntur, & parotides & ceteri abſceſſus*. Et paullo poſt: *Quæ namque ex judicatoriis nihil juvant,*

Ab humorum multitudine.

Quantitate.

Turgescentia.

Ex medicamentorum utilitate.

ſunt judicatu difficilia: Quæ non etiam in contrarium repunt, ſunt letalia: Alibi dixit letalia eſſe, quæ cum ſignis letalibus, & judicatu difficilia, quæ non cum ſignis letalibus, apparent. Itaque hoc eodem modo remedia ægrotis nihil juvamenti afferentia, difficilis erunt judicii, & quæ nedum juvabunt, ſed quinimmo etiam ægrotos lædent, ſeu ab ipſis ægrotis in deterius mutantur, atque abeunt, exitium præmonſtrabunt, quod Hippocrat. *in ſect. 2. Aph. 2.* de ſomno expreſſit, quum dixerit: *Quibus in morbis ſomnus laborem facit, mortale: ſi vero juvet, non mortale.* Quo ex medicis præſidiis, quæ juvant ægrotos, ſalutarem ſane morbum ſignificant. Idem ex omnibus naturæ excretionibus juvantibus, (quas criſes Medici vocant) judicari ſolet, quæ enim juvant, ſalutare itidem; & quæ non juvant, difficile judicium reddunt; atque quæ lædunt in acutis morbis exitium prænuntiant: omniumque certiſſimum, ubi aliqua ſigna prava illuxerint, cujuſmodi ſunt, in ardentiſſimis febribus tremores, convulſiones, refrigerationes extremorum cum ardentiſſima ſiti, deliria, atque alia multa, quæ alias accurate recenſuimus, atque poſterius de ſingulis accuratius agemus. Atque hæc de ægrotantium morte ac ſalute a naturæ morbique viribus, atque a futuri ſtatus cognitione præſagienda dicta ſint, & quod hactenus de iis univerſaliter ſcriptum eſt, nunc in ſequentibus libris ſpeciatim; de ſingulis ſymptomatis, quibus natura, tum robuſta, tum debilis, adverſus morbum dignoſcitur, agendum erit, atque his noſtra prædicendi methodus abſolvetur.

FINIS LIBRI PRIMI.

PRO-

PROSPERI ALPINI MAROSTICENSIS, DE PRÆSAGIENDA VITA & MORTE ÆGROTANTIUM.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

De quibus in toto opere ſit agendum.

QUUM in primo libro de Ægrotantium ſalute, ac exitio Prognoſticum a naturæ morbique cognitione pendere dixerimus, atque etiam ex quibus vires utriuſque tum prævalidæ, tum debiles innoteſcerent, plane fuerit demonſtratum, ſupereſt modo, ut de earumdem virium fortitudine, atque debilitate ſpeciatim agamus. Ex his ſiquidem totum prædicendi artificium nobis innoteſcit, in ipſorumque accurata obſervatione conſiſtit. De hoc vero agentes, ab iis, quæ naturam morbo vel imparem viribus, vel firmiorem denotant, exordiemur. Itaque de his (quæ facultatum actiones firmas, vitiatas, diminutas, ac omnino exſtinctas ſignificare alias dictum eſt) ſermonem primo faciemus, & poſtea de illis agemus, quæ tum morbos fortes, exitioſos, tum debiles, ſalutares denotant, a quibus ad particularium morborum, illorum inquam, quæ hominibus exitium inferre poſſunt varios eventus judicandos, deſcendemus. In his vero ſingulis tradendis, ut ordine non careamus, (quando nos ad dignoſcendum prognoſticum, ſingularum facultatum actionibus, uti inſtrumentis ſeu mediis, utamur) in primis circa eas actiones, vel ſanas, vel vitiatas, vel diminutas, vel plane ſublatas, quæ ab animali facultate, & ſecundo a vitali, atque demum, a naturali proficiſcuntur, verſabimur. Sed rem aggrediamur, ab internis ſenſibus principium facientes, quorum cognitio, quantum ad ipſorum morborum exitus prædicendos Medicis conducat, ab iis, quæ poſterius ſcribemus, liquido cuique noſtrum conſtabit.

Prædicendi artificium in quibus conſiſtit.

CAP. II.

Quid mente conſtare in morbis ſignificat.

Animalis facultatis actiones quanam, harumq; robur & debilitas quid ad præſagiũ in morbis.

AD indagandum morborum prognoſticum exordiemur, ut nuper propoſuimus ab actionibus animalis facultatis, quæ imaginatione, ratione, ac memoria perficitur; atque ab iis primo, quæ mentis ſeu virtutis ratiocinatricis, robur & debilitatem ſignificant. Hæ ſi fortes, firmæ, ac perfectæ, vires iſtius facultatis prævalidas; ſi vitiatæ, diminutæ, ac omnino ſublatæ, prælanguidas denotant. Itaque multum intereſt, in omnibus morbis actiones, quæ vim hanc animalem fortem ſeu firmam ſignificant, atque prælanguidam, ſedulo cognoſcere. Hæ namque in cerebri malis, exitium, illæ ſalutem futuram prænuntiant. Quæ nos haud fallent, ſi cum ipſis facultatum aliarum actiones æque reſponderint; fit enim aliquando, quum recte tum vitales, tum naturales vires valuerint, ut mens in ægrotis turbetur, quæ non raro ſalutaris criſis fit indicium. Ea quamquam Hippoc. *in Sect.* 2. *Aphoriſm.* 33. dixerit; *In quovis morbo mente conſtare; & bene ſe habere ad illa, quæ offeruntur, bonum:* Nihilominus in multis morbis mentis conſtantia licet ex bonis ſignis ſit, nullo modo ſalutem prædicit, quandoquidem multi ex pleuriticis, peripneumonicis, anginoſis, hepatis, lieniſque, ac aliarum partium inflammationibus atque ex febricitantibus ſine ulla mentis vacillatione moriantur. In ſepti vero tranſverſi, renum uteri, cerebri, ſpinalis medullæ, nervorum, partiumque nervoſarum juxta cerebrum poſitarum, aut quibus cerebrum maxime conſentit, inflammationibus ægrotos ſanos mente eſſe, non obſcurum recuperandæ ſalutis indicium exiſtimatur. Nullus etenim, aliqua ſupradictarum partium ex præcipuis, vel multis ſimul inflammatis, prudens ac ſapiens moritur. Ex quo in talibus morbis ægrotos mente conſtare optimum eſt, præſertimque ſi id cum aliis ſignis bonis appareat: ſcitu vero dignum cenſet ad hoc, ut diſtinguantur mente recte valentes ab iis, qui modo aliquo vacillant, ut eos qui mente conſtant intelligamus, ſæpe enim fit, ut medici hac in re plurimum decipiantur, atque errent, putantes quosdam viros prudentes & ſapientes eſſe, qui vere delirant, & aliquos vacillantes, qui recte ſapiunt. Mente vero hi conſtare dicuntur, in quibus omnes voluntariæ actiones plane firmæ, ſeu illæſæ ſpectantur, ac in ipſis obeundis partium ſolitum decorum ad unguem ſervatur, nec non ubi interni ſenſus recte atque ſecundum conſuetudinem valent, ſuaque munera obeunt. Vel mente denique conſtare eos dicimus, ut Galeno quoque placuit, qui loquuntur, aguntque ſingula rationi conſentanea. Sed de his nunc ſatis, in ſequenti enim capite iſtud nos accuratius ſcribemus.

Mentis conſtantia in quibus morbis ſalutem non prædicit.

Mente conſtare in quibus morbis optimum.

Mente conſtare quinam dicuntur.

CAP. III.

Quid ſit mente non conſtare, qualibuſque ſignis, quum præſens de mentis incoſtantia, tum futura prænoſcatur, & de deliriorum differentiis atque cauſis.

QUemadmodum ægrotos in omnibus morbis mente conſtare, ſeu quod ad rectricis facultatis actiones pertinet, recte ac ſecundum conſuetudinem ſe habere, bonum eſſe affirmavimus; ſic illos quovis modo delirare, ſeu vacillare, ſeu non recte ſecundum conſuetudinem ſapere, malum fore ad ſalutis prognoſticum ſignum, dicimus. Quo ſigno in acutis morbis ſæpe exitium prædicimus. Ceterum ad illuſtrandam prædicendi rationem, primo quid per mentis inconſtantiam, & ſecundo qualibus ſignis præſens inconſtantia nobis innoteſcat, & futura prænoſcatur, explicandum; atque tertio de amentiarum ſeu deliriorum differentiis atque cauſis, non minus accurate agendum, duximus. Quod itaque ad primum attinet, mente non conſtantes ſeu deliros Galen. appellat, qui loquuntur, aguntque nihil rationi conſentaneum, qui tamen, non recte omnes deliros, ſeu mente aberrantes expreſſiſſe viſus eſt: quando nedum eos, qui nihil agunt vel loquuntur rationi conſentaneum, at omnes, qui quippiam tantum agunt, aut loquuntur præter conſuetudinem, etſi in multis ſapientes videantur, amentes, ſeu mente aberrantes, ſeu delirantes vocari oportere patet: dux etiam primus Hippocrates, ex altera tantum rectricis facultatis actione læſa, delirium ſæpe cognoſcit, ut *in libro ſecundo Aphoriſ. Text. 6.* ex dolore quem non ſentiunt ægri, dixit enim: *Quicumque dolentes parte aliqua corporis, omnino dolorem non ſentiunt, iis mens ægrotat.* Et in *Prognoſt. 1. text. 55. Pag. 37. lin. 48.* ex ſolo decubitu: *In ventrem autem cubare, qui in ſanitate non eſt ſolitus ita dormire, quo tempore ſanus fuit, malum eſt, delirium enim, aut dolor circa ventris ſedes ſignificatur.* Galenuſque etiam in 1. *Prorrhet. 6.* a ſola ſputatione delirium dignoſci tradidit. Et *in primo Prognoſt. Pag. 38. lin. 1.* ex manuum indecora geſticulatione, quum ægri feſtucas colligunt, fruſtraque venantur muſcas: ac non minus ex ſermone, & reſponſione ægri; Auctor enim 1. *Prorrhet. 44. Et in Coac. 51.* ait: *Ferocem reſponſionem in homine modeſto, atque in feroci modeſtiam, delirium ſignificare, & garrulitatem in taciturno, ac ſilentium in garrulo.* Hæc & quam plura alia exſtant exempla, quibus homines ex una tantum læſa actione deliri reputantur. Quare dicamus nos illos mente aberrantes fore profecto dicendos, in quibus alia ex voluntariis actionibus præter rationem vel exſuperans, vel deficiens obſervatur, & in ipſa ſolidum decorum non ſervatur, veluti ſi manus indecore moveatur, feſtucas fruſtra colligendo, aut muſcas venando, vel aliquod præter conſuetudinem, atque ſine cauſa; ut etiam qui præter conſuetudinem, parum, vel multum, vel indecore obſcæna turpiaque loquuntur, verbaque incompoſita, & non conſtantia; & qui tardius, quam neceſſitas

Mente non conſtantes quinam dicuntur.

Signa quibus deliranteſ cognoſcuntur.

expoſtulat, reſpirant; aut pudenda coram aſtantibus denudant; vel eos deliros dicimus, in quibus ſenſuum defectus in animo obſervatur, in animo inquam, non advertente ſenſibilium ſpecies, quæ iis objiciuntur, vel fruſtra eas, quæ non ipſius ſenſibus objiciuntur, ſentiant. Ex quibus ii profecto delirant, qui ſolitis ſenſibus, ſine cauſa defecerunt, vel iis præter conſuetudinem utuntur, aut quum ægri aliqua ex voluntariis actionibus careant, vel abutantur. Quæ notæ, ac delirantium conditiones in Coacis præſagiis 2. *coac. præſag. ſec.* 1. *text.* 10. *Coac.* 47. perbelle hiſce verbis exprimi videntur: *Facere quid præter conſuetudinem, velut inſtituere, velleque ea, quæ prius non conſueverat, aut contrarium iis, quæ fuerunt conſueta, malum, & proximum dementiæ.* Quævis igitur mutatio, in moribus, in geſtu corporis, in voce, ſermone, in ſenſuum judicio, hominem delirum, atque alium a ſeipſo factum denotant. Sed nunc ad particularia magis inconſtantis mentis ſigna accedamus, (quod eſt caput ſecundum a nobis propoſitum) illa in memoriam revocantes, quæ variis locis tum Hippoc. 1. *Prorr.* 44. *text.* 6. cum Gal. memoriæ prodiderunt. Quæ hæc erunt: *Ferocem reſponſionem in homine compoſito & modeſto, atque in feroci & incompoſito modeſtiam, delirium ſignificare.* Ex *lib.* 1. *Prorrhet.* 49. *&* *Coac.* 213. ut nuperrime meminimus, & aſpectum audacem, atque ferocem eſſe phreniticum. Idem quoque ſignificari ab ægrotis dolorem non ſentientibus, atque lingua exuſtis nihil ſitientibus, vel exiguum potum expoſcentibus. Nec non pulſu hypochondriorum cum frequenti oculorum obtuitu. Quod & oculos ſublimes, atque inſtabiles denotare Gal. *in* 1. *Prognoſt. Hipp. Prognoſt. p.* 38. *Lin.* 57. *&* *Coac.* 227. *&* 228. tradidit. Eodem quoque modo ex decubitu in ventrem præter conſuetudinem Hippoc. *in eodem lib.* 1. *Prognoſt. text.* 23. 24. *Prognoſt. pag.* 37. *lin.* 48. delirium notari dixit. Et Gal. *in Comment.* idem teſtari ſupini cubantis crura admodum reducta, diſtractaque & inſolitum dentium ſtridorem, quod ibidem *lin.* 52. Hippoc. docet, nec non in ſummo morbi vigore ægrotos velle reſidere, atque nuper commemoratas manuum geſticulationes, quippe ad os manus ferri, aut fruſtra ægrotos muſcas venari, feſtucaſque colligere, aut de veſte pilos evellere, aut de pariete ſtipulas carpere, uti in Dealcis uxore, quæ in Leio decumbebat, Hippocrat. *Epidem. l.* 111. *Sect.* 3. *Ægr.* 15. *p.* 1114. *Conſer. & lib. Progn. p.* 38. *lin.* 1. *lib.* 1. *Prorrhet. text.* 34. *&* *Coac.* 76. obſervavit. Delirantis etiam non obſcurum ſignum erit, modeſtos ægrotos, omniumque maxime mulieres, aſſidentibus devorato pudore pudenda ſine cauſa nudare. Quod & reſpirationem magnam ex intervallis editam ſignificare tum Hippoc. in Prognoſtic. *p.* 38. *lin.* 8. tum Gal. *in* 2. *de reſpirat. cap.* 5. tum *in* 3. *Epidem. ſect.* 3. *Ægr.* 15. *&* 16. *p.* 1114. *& ſeq. text.* 3. 19. docuerunt. Idem notat palpitatio hypochondriorum, non minuſque ægrotos non agnoſcere familiares, ex Coacis præſagiis *text.* 282. 298. 300. 308. *&c.* delirium teſtatur. Atque *in* 1. *Coac. præſ. ſec.* 1. linguas *Coac.* 233. & 1. *Prorrh.* 19. *&* 20. voceſque *Coac.* 99. *&* 1. *Prorrh.* 15. obtremiſcentes, frequentem *Coac.* 244. *&* 1. *Prorrh.* 6. ſpuitionem, urinaſque *Coac.* 596. *&* 1. *Prorrh.* 29. mingi in non recordantibus, mictas *Coac.* 198. *&* 1. *Prorrh.* 32. prærubras

Mentis inconſtantis particularia ſigna.

bras eſſe cum ſublimi. Vocem item *Coac.* 99. & 1. *Prorrhet.* 19. clangoloſam, linguas *Coac.* 234. &c. *Prorrhet.* 3. denſas, vomitus *Coac.* 169. & 1. *Prorrhet.* 10. æruginoſos cum ſurditate, tinnitus *Coac.* 131. & 1. *Prorrhet.* 18. aurium in acutis febribus, dolores *Coac.* 309. & 1. *Prorrhet.* 36. circa umbilicum palpitantes, atque 1. *Prorrhet.* 22. laterum raros & 1. *Prorrh.* 37. coxæ occultatos, cum urinis ſuſpenſionem elatam habentibus, ipſasque *Coac.* 582. & 1. *Prorrhet.* 4. urinas aquoſas, albas, cum ſuſpenſo, elato, rotundo, & capitis dolore in turbulentis, vigilibuſque mentis aberrationem indicare, quemquam in Hippoc. & Galen. ſcriptis verſatum, non latet. Auctor *Prorrh.* 1. *Prorrhet.* 17. addit: *Ex vomitu faſtidioſo, vox clangoſa, oculique concretum pluviſculoſum habentes, inſaniam oſtendunt, ut Hermozygi uxori, quæ vehementi inſania acute correpta, muta obiit.* Et in ſequenti textu: *Si in ardente febre aurium ſonitus cum caligine fuerit, proveneritque in naribus gravitas, mente ex melancholia aberrant.* Gal. etiam *in* 5. *de loc. affec.* ſcribit: phreniticis delirium non ſubito, ſed paullatim fieri, neque affatim quieſcere, ipſumque præcedere ſolent interim vigiliæ, interim ſomni turbulenti, cum manifeſtis imaginibus, a quibus clamant nonnulli, & exſiliunt; aliquando oblivio irrationalis accedit, ita ut aliqui, quum vas ad mingendum tenuerint, mingere non recordentur, aliqui cum tumultu inſolito ac temeritate, ut nuper dictum eſt, reſpondeant, quum antea fuerint manſueti, ac mites; parvo item potu utuntur, reſpirationemque habent magnam atque raram, atque dolet iis nonnumquam occiput, pulſus parvi ſunt & duri. Quum vero propius ad phrenitim accedunt, oculi apparent vehementer ſqualidi, lacryma in altero oculorum acris, lippitudo, venæque oculorum ſanguinis plenæ cernuntur. Item ſanguinis ſtillicidium e naribus fit, quo tempore nihil prudenter reſpondent, floccos evellunt, feſtucas carpunt, febris aridior, æqualior, ſine magnis mutationibus uniformis, lingua ſalebroſa, & aliquando ſurdaſtri, aliquando mæſti, & vix quicquam reſpondentes, dolorificumque non ſentientes. Atque hæc ſigna ad dignoſcendos mente non conſtantes ſeu deliros, nobis ſufficiant. Ex quibus multa deliraturos ægros, ſeu mente caſuros decernent, uti vigilia, quæ ſæpe delirium antecedit: ut *in* 2. *Prognoſticorum pag.* 39. *lin.* 52. Hippoc. meminit: Utrumque enim quippe tum illam, tum delirium excalfacto aut exſiccato cerebro, excitari Gal. *in lib.* 4. *de præſag. ex pulſibus* prodidit. Somni etiamnum turbati, atque tumultuoſi, conſpicuique, a quibus ægri clamant, exſiliunt, futuri delirii ſunt præſagia: de quibus in Coacis præſagiis *text.* 83. *Turbulentæ, ferociſque excitationes e ſomno delirium adferunt.* Aurium quoque tinnitum, & ſonitum inſaniam ſæpe præcedere Auctor Prorrheticorum *lib.* 1. 18. meminit, non minus, & ſurditatem, *ibid.* 32. ſi præſertim cum urinis appareat habentibus ſuſpenſionem elatam ac ſublimem. Oblivionem quoque ſæpe ante phrenitim manifeſtari, Galenus *in quinto de loc. affectis*, ut nuper etiam meminimus, prodidit. Dolor item capitis vehemens, & aſſiduus in acutis febribus delirium portendit, præſertimque in auribus qui obſervatur, ex Hippocrate *in* 3. *Prognoſticorum pag.* 44. *lin.* 45. Nec non ſi dolor cum præcordiis revulſis appareat, de quo *in Coacis præſagiis*

Deliria futura ex quibus ſignis præſentiuntur & portenduntur.

giis sect. 1. text. 119. Capitis dolori in acuto morbo, præcordia revulsa, siquidem sanguis non effluet, in phrenitim procedit. Non minus & vigilia cum aurium sonitu vel tinnitu, vel surditate, ni hæmorrhagiam indicaverint: Et *in 1. Prorrheticorum* 38. hæc quoque una observata delirium prænuntiare, ita legitur: *Quibus alvus liquida, lassitudo, capitis dolor, sitis, vigilia, obscuritas & impotentia fuerit, ut hi mente moveantur, spes est.* Dolorem capitis assiduum ad prænuntiandam desipientiam maxime facere, testatur Auctor *libri septimi Epidemiorum tex.* 120. & 121. Item dolor hypochondrii non raro fit delirii nuntius. Quod in muliere *Epidem. lib. 1. Ægr. 13. pag.* 990. trimestri fetu observatum, idemque significat palpitatio, nec non qui circa umbilicum continuant in morbo acuto dolores, *ex tertio Epidemiorum Ægrot. 3. p.* 1067. *conf. 1. Prorrhet. 36.* Idem dolores in ignobili parte exorti, qui occultantur fere continuo; *ex primo Prorrheticorum* sparsim: in eodem libro *Text. 22.* scribitur: *Rari in his laterum dolores delirium ostendunt:* & *in 1. Prorrhet. 37. Si quippiam in urina sublime petierit, occultato coxæ dolore, delirium portendit, & quæ circa aurium sonitus talia exsistunt*, quod Hippoc. *Epidem. lib. 111. Ægr. 5. p.* 1101. Lariſſæ calvo vidit accidisse, cui occultato femoris dextri dolore statim delirium accidit.. *1. Prorrhet. 97.* Lateris quoque dolor in pleuriticis, si absque ratione evanuerit, portendit delirium. Non raro & sputa rotunda, ex Prorrheticis *Lib. 1. 6. & Epid. Lib. 6. sect. 3. text. 27. & sect. 6. 21. pag.* 1176. & 1190. frequensque sputatio sine causa idem notant, & Hippocrates *in 5. Aphoris. 40.* ait: *Quibuscumque mulieribus ad mammas sanguis colligitur, furorem significat.* Et *in quarto libro Aphorism. 72.* Galenus urinas albas lucidas, idem portendere tradidit, quod & turbidæ in acutis morbis minantur, maximeque in turbulentis, & vigilibus, habentes, ut alias dictum est suspensionem elatam, *ex lib. 1. 4. Prorrheticorum & Coac.* 582. Pulsus item in alis atque in Hypochondriis, magnaque & rara respiratio *ex primo Prognosticorum pag. 38. lin. 8. & 34.* Et *in Prorrheticis lib. 1. 11. & Coac. 275.* hæc de his quoque habentur: *In acutis morbis dolorosa in faucibus gracilia, pusilla, strangulantia, atque quum ager hiaverit, non facile os tum cogere tum claudere, mentis alienationem portendunt.* Vomitus *1. Prorrhet. 10. & Coac. 169.* etiam æruginosi, seu virulenti cum capitis doloribus assiduis, vigiliis, surditateque, certa delirii futuri, tum singula ipsorum per se sola, tum multo magis omnia, & ipsorum etiam quædam simul in febre acuta conspecta, sunt indicia. Atque ex his futura deliria præsentiri, ac portendi, dictum quum sit, nunc deliria in suas species atque differentias distincta spectemus, non minusque ipsorum causas. Quibus quidem neglectis impossibile profecto videtur, nos delirantium Prognosin recte assequi posse. Nomine autem non constantis mentis (ut hæc aggrediamur) nos mentis aberrationem, vacillationem, alucinationem, amentiam, insaniam, desipientiam, delirium, atque phrenitidem comprehendimus, non constanteque mente ægrotos hisce nominibus intelligimus. Quæ affectio symptoma maxime est ratiocinatricis imaginatricisque potentiæ. Hæc enim potentia, ut docet Gal. *in lib. de differ. symptom. cap. 3.* vel est deficiens, ejusque motus est imbecillus, uti

Mentis inconstantia quænam affectio & unde.

in

in Coma, & Lethargo; vel eſt reſoluta, ut in catalepſi, *caron* vocato; vel denique eſt vitiata, ubi ejus motus pravus erransque exſiſtit, uti in delirio & phrenitide. Eodem modo de ratiocinatrice, nam vel ipſa quoque eſt deficiens ſeu diminuta, ſeu aliqua in parte reſoluta, quæ *moroſis* & fatuitas dicitur; vel omnino reſoluta ſublataque, quæ amentia vocatur: vel denique vitiata, ubi ejus motus depravatus erransque exſiſtit, quod ſymptoma delirium quoque appellatur. Accedit etiam haud raro, cum his duabus læſis potentiis, memoria iisdem vitii differentiis læſa. Aliquando in mente aberrantibus ſola imaginatio læditur, aliis illæſis, ut Galen. *lib. de ſymp. diff. cap.* 3. in Theophilo obſervavit. Et aliquando ratio ſola, illæſa tum imaginatione, tum memoria, quod phrenitico contigiſſe in libro nuper allegato Galen. memoriæ prodidit. Plerumque vero utraque tum imaginatio tum ratio vitiata ſimul deprehenduntur, ut in iis, qui quum delirant, imaginantur ea, vel quæ non ſunt, vel ea profecto, quæ ſunt, non imaginantur, obſervatur; loquunturque ac agunt nihil rationi ac imaginationi conſentaneum. Dividuntur vero omnes mente non conſtantes in eam, quam proprie amentiam, inſaniam, ecſtaſin, deſipientiam, mentis aberrationem, vacillationem, alienationem vocamus, & in eam, quam Græci *paraphreneſin* & noſtri delirium dicunt, atque tandem in phrenitidem. Quam Gal. cum Hippocrate ab aliis deſipientiis, quod cum febre fiat, diſtinxit: De qua *in ſecunda de ſympt. cauſis cap.* 7. Nominantur autem ex his, quæ quidem cum febre ſunt, phrenitides, quæ ſine febre ſunt, inſaniæ, Græce *maniæ*. Quæ a deliriis perpetuitate delirationis diſtinguuntur, nam etſi deliria ſeu paraphreneſes cum febre fiant, non tamen ſunt perpetua, veluti de phrenitide dicitur. Gal. quidem multis locis affirmavit Hippocratem vocare eos phreniticos, qui perpetuo delirant, uti paraphreneſes vocat deliria, quæ tantum vel in acutiſſimarum febrium ſummo vigore apparent, ipſiſque declinantibus declinare obſervantur; quare continuitate delirii, atque ipſo etiam delirio ſenſim ac ſenſim prodeunte, phrenitici a diliriis deſtinguuntur, iis exceptis, qui ſepto tranſverſo inflammato mente moventur, hujuſmodi ſiquidem deliria non facile a phrenitide diſtinguuntur, quod & ipſa cum febre fiant perpetueque exſiſtant, ex qua difficultate antiqui putarunt ſepto tranſverſo iuflammato homines phreniticos evadere, atque ob eam ſuſpicionem *phrenas* illi appellarunt, tamquam φρονῦν, ideſt, ſapienti parti conferat quippiam. Diſtinguit vero ab his phreniticos Gal. quia phrenitici magnam edunt reſpirationem, atque ex longis intervallis, quum quæ in delirio ex ſepto tranſverſo obſervatur, inæqualis ſit ita, ut modo exigua appareat, atque frequens, modo magna & anguſta, quæ reſpiratio in phrenitide non fit, niſi pars aliqua reſpirationi ſervientium ſimul, vel inflammatione laboret, vel aliquo dolore vexetur, quam Galen. *in 2. lib. de reſpir.* accuratius docuit. Præterea in delirio ex ſepto tranſverſo ſtatim hypochondria tenduntur, quod in phrenitide poſterius fit, eaque ſtatim a principio revelli, proprium eſt illiuſce delirii. Demum ex omnibus accidentibus, quæ phrenitidem ſequuntur, uti ſunt, oculi rubentes ac inflammati, facieſque tota calore æſtuans, & reliqua alias a nobis accuratius expoſita, vel nulla, vel pauca, & levia in his apparent. Accedit quod delirium

Delirio-rum diviſio & differentia.

Phrenitides quomodo a delirio differant.

Paraphrenitides quid.

Quomodo a Phrenitide diſtinguuntur.

iſtud

Phrenitidis variæ differentiæ.

iſtud veluti repente fit, & in phreneticis delirium paullatim incipit. Phrenſtidis etiam aliæ multæ differentiæ obſervantur, una ſiquidem eſt, quæ μανιώδης dicitur, in qua ægri calcitrant, pedibus feriunt, mordicus impetunt, excandeſcunt, eos, qui ingrediuntur, hoſtes habentes; quod ubi feroces eſſe incipiunt, ingentiaque mala perpetrant, vehemens dicitur, hancque Greci θηριώδη appellant, & noſtri ferinam ac melancholicam. De qua Auctor Prorrheticorum *Text. 26. & 123. Quæ pauco tempore feroces fiunt deſipientiæ, ferinum eſt.* Altera obſcura, mitis, in qua ægri obſcure blandeque delirant, uti vix tales dignoſcantur: Hi *in Coacis preſagiis Text. 65. ubi mentis emotiones cum taciturnitate in eo, qui voce defectus non eſt, pernicioſa dicuntur* (*Vid. & 1. Prorrhet. 54.*)moti mente cum ſilentio vocantur, de quibus *in Prorrheticis Lib. 1. 34. Tremulæ, obſcuræ, contrectabiles deſipientiæ, valde phrenitica.* Græci has (ut alias dictum eſt) ἀσαφώδεις vocant, & noſtri obſcuras, quæ nedum ab idiotis, verum etiam a doctis Medicis non raro ignorantur. Tales enim ut Gal. *in 1. Prorrh. 33.* ſentit, nedum tumultuoſe non exclamant, non exſiliunt, ſed quieti quinimmo jacent, neque prorſus loquuntur, neque figuram decubitus permutant, ſæpiuſque, qui ita affecti ſunt, familiaribus opinionem præbent, quod mox ſint, ſi quod fiat ſilentium, dormituri. Clauſis itaque feneſtris conquieſcunt cuſtodes, tempus in his interdum longum conterunt, dormire ægrum, quod neque loquatur, neque moveatur, arbitrati, ægro ipſo non dormiente, & manus quiete movente, non ſecus quam qui per levem contrectationem aliquid vel tangere, vel invenire volunt. Horumque alii clauſis palpebris hæc agunt, & interrogati de aliquo, neque prorſus oculos aperiunt, alii, poſtquam aperuerunt, aut paullo poſt claudunt, aut immoti obſervant affectionem a Gal. hecticam appellatam. Sed videtur hæc deſipientia ſignis profecto cum ea, quæ ex Comate & Lethargo fit, convenire. Quamobrem mutatio, diſtinctioque quælibet ipſarum erit dignoſcenda. Etenim quæ cum Comate, vel Lethargo, (quem Græcorum aliqui ut Gal. ait. *Typhomaniam* vocarunt) fit in principio morbi, perſeveratque diu: aſaphodis, ſeu obſcura, ſeu ut Gal. placuit, hectica dicta, numquam in morbi principio, ſed morbi progreſſu, poſt vehementem aliquam inſaniam. Etſi veternoſa comatoſaque etiam a frigido humore, atque etiam a multo ſanguine, poſt morbi principium ſæpe concitetur; quæ aliquando vel bonam vel malam criſin antecedit & apparet, in qua languidos pulſus, duros, anguſtos atque parvos obſervamus, quales in illa deſipientia non obſervantur. Sed jam de ipſarum cauſis agamus. Deliria omnia a calidis mordentibuſque ſuccis concitari Gal. *in lib. 2. de ſympt. cauſ.* tradidit, præcipueque a flava bile, atque ſæpe ex calidiori cerebri intemperie. Omnia vero deliriorum genera, vel inſaniæ, vel phrenitides, vel paraphrenitides a cerebri læſione oriuntur. Speciatimque deliria, quæ duplicia exſiſtunt, ea inquam, quæ tantum in ſummo febrium acutarum vigore excitantur, quæque a calidis mordentibuſque vaporibus ſurſum in caput ſublatis, ortum habent. Alia vero deliria, quæ ſine febre manias, ſeu inſanias, Medici appellant, quas cum febre phrenitides Gal. vocat, quum tamen veræ non ſint, niſi phlegmonem in cerebro, aut ejus membranis, ſanguis biliosus ex Gal. *in 2. ſympt.*

Aſaphodes quid.

Typhomania quid & quo morbi tempore fit.

Deliriorum omnium cauſæ.

cauſis

cauſis cap. 7. efficiat. Hæc vero raro fit, uti frequentius phrenitica *illa* deſipientia, quæ a calidis humoribus in cerebro, vel ejus involucris delatis ſine phlegmone concitatur. Quales Hippoc. *in* 1. *Epidem. comm.* 2. *Sect.* 2. *tex.* 73. *pag.* 954. obſervavit. Hæcque fiunt tum a ſanguine, tum a bile, cerebri locum, in quo princeps animæ pars reſidet, prehendente, ut Gal. 2. *de ſympt. cauſ. c. ult.* meminit: vel a flava tantum bile, quæ etiam febris exurentis incendio exuſta, atque in nigram verſa, vehementem illam deſipientiam, Græcis *Maniodin*, *Thiriodin*, ac noſtris (ut alias dictum eſt) ferocem, furioſam, ferinam, melancholicamque, appellatam efficit, quæ fit ab exuſta bile cerebro, membraniſque immodice reſiccatis, cum qua ægri ſæpe in tremorem incurrunt, atque convelluntur: In hæc ſane ſymptomata non niſi vehementiſſimas ac exitioſiſſimas phrenitides illabi Gal. tradidit. Eæ vero deſipientiæ cum febre, phreniticæ quoque vocatæ, fiunt nedum ab humoribus calidis, verum etiam ut Gal. *in* 3. *Epid.* docuit, a frigidis, nempe pituitoſis in cerebro putreſcentibus, qui putredine calorem acrimoniamque, quibus in cerebro eiuſque membranis læſis delirium concitatur, acquirunt. At hæc deliria, ab iis, quæ calidi humores concitant, ſomno, atque etiam ſopore diſtinguuntur, quatenus qui ex frigido humore delirant etiam ſimul dormiant, vel veternoſum affectum ſimul habeant; & a calidis humoribus deſipientes vigiliis quoque ſimul infeſtentur. Fit etiam non raro, ut tum calidi, tum frigidi ſimul, humores permiſti miſtam deſipientiam ex delirio & lethargo, ut Gal. *in* 1. *Prorrhet.* meminit, pariant. Hique ambo contrarii affectus a principio ad finem uſque quum continuent, ægri tum vigilant, tum ad ſomnum inclinationem habent, interimque magis phrenetici obſervantur prout bilis pituitæ prævalet, & interim plus lethargici, ſeu Comatoſi, prout pituitoſus humor bilioſo ſit copioſior. Hæque ſunt omnes phreniticarum deſipientiarum cauſæ, a quibus quoque vera phrenitis, quæ eſt ab illis ſuccis in cerebro ejuſque membranis orta inflammatio, ortum habet, quæ a pallida bile mitior eſt, a flavaque vehementior, & omnium maxima ab eodem humore incendio febrilis caloris peraſſato. Ea vero deſipientia obſcura, aſaphodis Græcis dicta, quæ cum ſilentio fit, pro cauſis prælanguentem facultatem animalem, atque hecticam quamdam, ut Gal. *in Prorrheticis* docet, temperiem habet. Quum enim vel inflammatio, vel flava bilis cerebrum occupat, initio quidem nondum per totum cerebri corpus permiſcetur, ſed in eo fervens ſpiritus alterat & agitat: unde clamant ægroti, exſiliuntque; poſtquam vero imbibita eſt, atque hecticam cerebrum quamdam intemperiem acquiſivit, ægroti ſilent, quietique manent, ut vix etiam deliri a Medicis dignoſcantur: hanc ſuperius diximus multis a veternoſa diſtingui, ſed præcipue prælanguidis pulſibus parvis duriſque. Quæ vero cum ſopore prodit, vel a ſanguine fit, ſanguineque ac bile permiſtis cerebrum invadentibus, vel a pituita bileque ſimul miſtis, aut ab humore crudo pituitoſo, putrefacto, caloremque, & acrimoniam exinde adepto, vel demum a caloris nativi exſtinctione.

CAP.

CAP. IV.

De ſalute a deliriis prædicenda.

Deliria quanam minus mala.

EX deliriis ea minus mala exſiſtunt, quæ non perpetuo ægrotos tenent, ſed parvo tempore, atque cum ſignis bonis, vel non letalibus, prodeuntia. Quibus vires quoque debent æque reſpondere, quippe, ut ſint validæ, quando deliria quoque prævalidas vires expoſtulent, quæ cum prælanguidis natura ægerrime vincit. Nullum vero ex deliriis, ut docuit Gal. 6. *Aphor.* 53. ſecurum reputatur: *Minus vero periculoſa, quæ cum riſu fiunt: ſicut temeraria omnium ſunt periculoſiſſima. In medio autem amborum deſipientiarum ſunt, quæ cum ſtudio fiunt.* Nullum tamen delirium, etſi unum ex maximis malis exſiſtat, per ſe ſolum certum exitii indicium eſſe poterit, veluti neque mentis quoque conſtantiam ſolam in ægrotis ſalutem indicare alias meminimus. Simul vero cum bonis ſignis delirium concitatum minus eſt timendum, præcipueque ſi, præterquam quod non eſt perpetuum, neque vehemens, feroxque exſiſtat, ſed quinimmo magis leve, & parvum, utpote quando ægroti in paucis mente aberrant; magnum ſiquidem delirium Gal. *in lib. de diff. ſympt. cap.* 4. etiam vocat, ubi variæ deliriorum ſpecies in ægroto ſimul obſervantur. Parva itaque levia in paucioribuſque actionibus deliria obſervata minime omnium ſunt timenda, maximeque ſi tantum per acceſſiones fiant. Verum neque ſatis ad mitem benignamque deliriorum naturam denotandum, ut delirium non ſit perpetuum, ſed etiam eſt opus, ut omni ferocitate careat, quando auctor *Prorrh.* 1. *text.* 26. dicat: *Quæ parvo tempore feroces fiunt deſipientiæ, ferinum.* De quibus Gal. dixit: *Quum videris quempiam cum ferocitate deſipientem, etſi paullo poſt ſedetur, cognoſce mentem ejus non febris ratione læſam eſſe, ſed phreniticam ſubali affectionem, quæ poſt adaucta ferina tibi videtur.* Itaque delirium intermittens, non vehemens, ſed leve, ſcil. mite, parvumque, quod præſertim fiat per acceſſiones, numquam erit exitiale. Sed cavendum, ne parvum miteque falſo creditum nos quandoque fallat; etenim multi exitio proximi ſic delirare non raro dignoſcuntur, quibus *in Prorrhet.* 1. *text.* 34. *num.* 13. *Tremulæ, obſcuræ, & contractabiles deſipientiæ, valde phrenitica.* Quod facile ex prælanguidis viribus, ac aliis exitioſis ſimul obſervatis ſignis, perpetuitateque ab iis diſtinguitur. In eo namque vires prævalidæ, non perpetuumque eſt, atque ſine exitioſis ſignis obſervatur, quale in *Milidia* vidit Hippoc. *lib.* 1. *Epid. p.* 991. *Ægr.* 14. In hoc pulſus ſunt languidi, delirium perpetuum, cum ſignis exitioſis: quæ ſane omnia, inquam, ſigna, tum cum delirio orta, tum quæ poſt ipſum illuxerunt, maximopere ſunt obſervanda. Hæc enim non raro ſalutarem criſin antecedunt. Quæ Galeno *in* 1. *lib. ad Glauc. cap.* 15. docente, fiunt ſanguine, vel bilioſo humore, ad caput critice recurrente. Apparent vero iſthæc deliria, criſin portendentia, aliquando cum capitis dolore, gravitate, ſurditate, convulſione, atque aliis hujuſmo-

Delirium mite & benignum quomodo ab parvo falſo creditio & exitiali dignoſcitur.

Deliria criſin portendentia.

di

di multis. De his Gal. *in* 1. *Epidem.* (*Vide Hippocr. Epidem. lib.* 3. *pag.* 1066. *Ægr.* 3.) quum in Dealcis horto decumbentis hiſtoriam commentatur, ſcribit: *Nam quæ deliraverit in nona, & dextro oculo ſtrabo fuerit, res ſunt, quæ ſolent in judiciis evenire.* Et in Abderæ virgine *Epidem. lib.* 3. *pag.* 1103. *Ægr.* 7. delirium cum ſurditate judicium, quod tum pedum doloribus, tum ſanguinis e naribus eruptione, eſt ſecutum, præceſſit. Atque multo clarius id in muliere moroſa viſum eſt, de qua Hippoc. *in* 3. *Epidemiorum p.* 1108. *Ægr.* 11. *Tertio convulſiones conquieverunt, coma, & in ſomnum inclinatio, rurſuſque vigilia excitaverunt eam, continere ſe non potuit, multum deliravit, febris acuta, ſub hanc noctem ſudor multus toto corpore & calidus prærupit, libera febre dormivit, plana mente conſtitit.* Item delirium, ſexta die in virgine Lariſſæ *lib.* 3. *Epidem. p.* 1110. *Ægr.* 12. obſervatum, largam ſanguinis eruptionem indicabat, quod etiam in Herophyto Abderæ *ibid. p.* 1106. *Ægr.* 9. viſum eſt. Cum dolore itaque, gravitate capitis, vigilia, comate, ſurditate, convulſione, oculorum caligatione, ſplendore, lacrymis involuntariis, aurium tinnitu, ignorantia, oblivione, tremore, anxietate, inquietudine, clamore, ſurrectione, ſpirandi difficultate, urinæ ſuppreſſione, rigore vehementi, æſtu multo, ſitique intolerabili, repente obortis, delirium ſæpe judicium futurum prædicit, vel profluvium ſanguinis, de quo in 5. *Coac. præſag. text.* 184. ſcribitur: *In quibus morbis ab anxietate delirium derepente fit, profluvium ſanguinis ſignificat*; vel urinæ, de qua Hippoc. *in* 6. *Epidem. p.* 1191. *ſect.* 6. *text.* 22. *Urina multam ſubſidentiam habens, ſolvit deliria, qualis fuit Deuxippi*: vel per ſudorem, de quo Gal. *in* 3. *de criſibus* ait: *Judicat autem phrenitidem ſudor bonus, & præcipue ſi ex capite multus & calidus fluxerit, ſudante ſimul reliquo corpore.* Et paullo poſt: *contingit autem aliquando, quod etiam per ſanguinem e naribus erumpentem phrenitis judicatur.* In Coacis vero prædictionibus *text.* 483. per ſudorem atque ſomnum ſolvi delirium docetur. Et *in* 7. *Aphor.* 5. Hippoc. ſcribit: *A furore difficultas inteſtinorum, vel aqua inter cutem, bonum.* Delirium itaque, quod bona aliqua vacuatio ſubſecutura ſit, ſalutem prænuntiat, ac quoddam ſignum decretorium exſiſtit. Veluti peſſimum erit, poſt quod mala ſequetur evacuatio; quale eſt e naribus ſanguinis ſtillicidium, ſudores capitis frigidi, & aliæ hujuſmodi vacuationes, de quibus poſterius nos accurate agemus. Ideo diſtinguendum, num eæ bonæ malæve ſint vacuationes, quod ſane ex multis ſignis innoteſcit, quippe ab exeuntium quantitate, qualitate, loco, per quem fit, tempore morborum, diebus in quibus apparent, atque morbi allevatione. Bonæ ſiquidem ſunt, ſi in ea copia, quæ multitudini humorum peccantium reſpondet, obſervantur, atque ubi, qualia deſiderantur, evacuantur, perque loca convenientia, & congruo tempore, quippe in ſtatu, atque in aliquo dierum decretoriorum, fiant, a quibuſque morborum, ſymptomatumque vel ſequitur allevatio, vel iiſdem plane ægri liberantnr. Sed ad tria præcipue in omni prædictione, (quæ magni perpetuo momenti exſiſtunt) animum adhibere oportet, quippe, ad arteriarum pulſationes, reſpirationem, ac ciborum appetentiam, quæ omnia profecto ſi inculpata, & firma,

Vacuationes bonæ & malæ quomodo cognoſcuntur.

firma, etiamſi cum exitioſo aliquo ſigno ſint, maxime ad prædicendam ſalutem valent. Quod Galen. *in tertio Epidemiorum com. 3. p. 1106. Ægr. 9. text. 89.* de Herophyti agens hiſtoria, meminit: *Cum delirio namque pulſus vehementes cum inculpata tum reſpiratione, tum appetentia, non incerta erunt indicia, quod ipſis natura prævalida oſtendatur, quæ morbum ſine dubio recte feret.* Ex his itaque, quæ ſimul cum deliriis per modum judicii apparent, quomodo ſalus interim præſentiatur, hactenus vidimus. Nunc ab iis, quæ poſtea illucent, quæque ipſorum deliriorum veluti morem ſignificant, etiam perquiramus. Bonæ igitur poſt deliria factæ vacuationes, de quibus nuper ſatis a nobis dictum eſt, quales ſunt largæ eruptiones ſanguinis e naribus, de quibus egit Gal. *in 3. lib. de Criſib. cap.* 8. Menſtruæ item purgationes cum delirio, & poſt ipſum conſpectæ, quales obſervavit Hippoc. in virgine Lariſſæ *lib. 3. Epidem. p. 1110. Ægr. 12.* & in moroſa muliere *ibid. 1108. Ægr. 11.* (Galeno docente) ſimul cum copioſo ſudore apparuerunt, ex quibus, ut Hippoc. meminit, febre libera dormivit, ac plane mente conſtitit. Hæmorrhoides quoque delirium ſecutæ, ſalutem prænuntiant, quas in *6. Aphor. 21.* Hippocr. meminit, hiſce verbis: *Ex melancholia inſanientibus ſi varices, aut hæmorrhoides, ſupervenerint, inſaniæ fit ſolutio.* Idem notant dolores vehementes, aſſiduique in coxis, cruribus, pedibus atque manibus, qui ſentiuntur, quique humoribus ad partes ignobiles, principibus relictis, decurrentibus concitantur, eſtque judicium, quod natura per humorum transfluxionem molitur. De quibus Hippoc. de Herophonte ſcribens, ait *lib. 1. Epidem. p. 974. Ægr. 3. Octavo febricitabat, lien reſidebat, omnia intelligebat, doluit & inguen primum, ſecundum lienem, deinde in utramque tibiam demigrarunt.* Qui ſane dolores etiam in uxore Epicratis *ibid. p. 979. Ægr. 5.* non minimam partem judicationis habuerunt. Et in eo, qui in Dealcis horto decumbebat *lib. 3. Epidem. p. 1066. Æg. 3.* die decimoquarto plane deliro, quintodecimo genu atque tibiæ doluerunt, ac decimoſeptimo poſtea toto corpore ſudavit, ad mentemque rediit: & die vigeſimo pedum dolores in virgine Abderæ *ibid p. 1103. Ægr. 7.* delirium ſurditatemque deleverunt. Somnus in ægrotis delirantibus perpetuo magni erit momenti, maximeque ſi ipſe delirium ſequatur, ipſumque vel reſolvat, vel ſaltem minuat, de quo *in ſecundo Aphor. 2. Ubi ſomnus delirium ſedat, bonum.* Idque merito fit, quandoquidem cum delirio ſemper vigilia adſit, ab una eademque cauſſa uterque fiat, ſi itaque a delirio ſomnus fit, ſignum eſt, cauſſam delirii ſuperatam eſſe: ac accuratius ſomnus a delatione in ſomnum, ſeu coma, ſeu cataphora, ſeu lethargo eſt diſtinguendus; nam quemadmodum ſomnus bonum ſignum cenſetur, ita quodlibet prædictorum ſoporiferorum affectuum, malum, excepto veternoſo affectu, qui ſanguine in cerebrum judicii futuri cauſſa irruente concitatur. Dormire itaque ægrotos a delirio ſemper bonum, præcipueque ſi quiete dormiant, ut in Herophonte (*Vide ſub lit. a*) uxore Epicratis, (*Vide ſub lit. b*) in Metone, *lib. 1. Epidem. p. 983. Ægr. 7.* in quo a ſomno delirium reſolutum eſſe, Hippoc. obſervavit. Ex quo delirium a ſomno ſedari ſemper bonum, uti contrarium malum,

Vacuationes deliriorum morem ſignificantes.

nam

nam ſomnus laborem faciens, ut in Aphoriſmis *ſect.* 2. *Aphor.* 1. habetur; mortalis. Si inſomnia quoque delirantibus conſpicua apparent, bonum ad judicandam ſalutem ſignum eſſe in Coac. præſagiis *text.* 90. legitur, præſertimque in phreniticis, quod tamen, (quamquam in Prorrheticis *lib.* 1. 5. ſcriptum ſit, inſomnia conſpicua phrenitidem oſtendere) veriſſimum eſt, neque error a nobis committetur, ſi ita diſtinxerimus, inſomnia conſpicua, non turbulenta, ſed quieta, bonum in Coacis ſignificare, quod non niſi ſedata in cerebro inflammatione, calore febrili, & motu humorum a vaporibus, ipſa conſpicua claraque obſerventur, ex quo bonum ſemper creditur ſignum. Turbulenta vero conſpicua, in quibus ægroti expaveſcunt, exſiliunt, præter id quod ex ſiccitate fiant, etiam inflammationem, febrilem calorem, & ſpirituum motum, atque agitationem denotant, ex quo in mente motis ab his phrenitis portenditur. Sed num perpetuo deliriis ſedatis, vel plane reſolutis, bonum ſit? illis quidem omnibus, quæ vel a ſomno, vel a quapiam humorum transfluxione, ad crura, pedes, aliaſque ignobilium partium, vel critica evacuatione ſedantur, vel reſolvuntur, nobis, ad futuram ſalutem eamque prædicendam fidendum erit. At nunc ad deliria, quæ exitium portendunt, tranſeamus.

CAP. V.

De morte a deliriis prædicenda.

DEliria, quæ exitium ægrotis minantur, ex ipſorum differentiis, tempore, in quo apparent, virtute prælanguida, atque aliis ſignis exitioſis, vel una cum deliriis, vel poſtea apparentibus, dignoſcemus. Phrenitica omnia deliria letalia plerumque exſiſtunt, etſi omnes phrenitici non moriantur. Phrenitides vero omnes deſipientias eſſe diximus, quas Græci μανιώδεις, θηριώδεις, atque ἀσαφώδεις, & noſtri feroces, tumultuoſas, furioſas, ferinas, melancholicas, atque obſcuras, ſeu blandas appellant. Hæ aſaphodes ſeu obſcuræ dictæ, vel in morbi principio, vel poſt feroces deſipientias, obſervantur, & illæ, quum fiant, ut ſuperius dictum eſt, vel a ſanguine, vel a bile, vel a bile pituitaque permiſtis, vel a pituita putri reddita, ceteris minus exitioſæ creduntur, veluti omnium ſunt exitioſiſſimæ, quæ virium aut languore, aut hectica cerebri temperie concitantur. Ex quo auctor *Prorrhet.* 1. *text.* 34. has valde phreniticas deſipientias vocavit, etſi dixerit blandas, obſcuras, contrectabileſque videri. Harum proprium videtur, ut cum ſilentio fiant. De quibus in 2. *coac. præſag. text.* 65. *In febribus inſaniæ vehementes ſilente ægro, ſed non etiam privato voce, letale.* Cum his vero triplex ſilentium obſervatur, unum quod a depravata mente fit, in quo æger loqui poteſt, & non loquitur, vel ſaltem parum; ſecundum cum veternoſo affectu, vel exſtinctione caloris nativi; & demum cum aphonia, ideſt vocis, ſeu ſermonis privatione, facultate animali oppreſſa, vel emoriente, aut vocalibus inſtrumentis convulſis, aut interceptione vocis materiæ: deſipientia cum ſilentio, voce integra, levi motitatione manuum, pulſu languido,

Deliria, quibus exitium ægrotis minatur, unde dignoſcuntur.

Silentiũ in phreniticis deſipientiis triplex.

do, oculis ut dormientibus modo clauſis, modo leviter apertis, a languore facultatis concitatur. De quibus nedum in Prorrheticis, ut nuper meminimus, ſed etiam in 3. *coac. præſag. text.* 76. legitur: *Tremulæ, palpantes, deſipientiæ, phreniticæ.* Et *coac. præſ.* 486. *moti mente cum ſilentio non quieſcentes, contentis oculis, vehementer ſpiritum foras evocantes, perniciosæ.* Ac Gal. de his *in Prorrheticis* dixit: *Atque ob id affectio humorum, ut febrium hecticarum; prava eſt, quas quidem, quum incipiunt conſtitui, vix ſolvi poſſe, exquiſite vero conſtitutas, abſolutaſque, ſolvi non amplius poſſe, demonſtravimus.* Præſertim ubi in ipſis affectus veternoſi calidiſſimum ſæviſſimumque ſequantur morbum, in veternumque, refrigerato poſt inflammationem cerebro, ægros delabi, ſane eſt letaliſſimum: nam ut *in* 3. *Prorrhet.* docetur, inſanabilia ea frigora cenſentur, quæ calidis morbis contingunt. In vehementi vero ſeu ferino delirio, tum propter humoris malignitatem, tum propter immoderatam ſiccitatem non ſolum ſilent, at etiam ἄφωνοι, ideſt, muti evadunt, ut Hermozygi uxori, quæ vehementer furens, & muta obiit, contigiſſe auctor Prorrhet. *lib.* 1. 17. tradidit. Quod etiam Hippoc. phrenitico *lib.* 3. *Epidem. p.* 1100. *Ægr.* 4. & uxori Dealcis, quæ in Læio decumbebat, *lib.* 3. *Epidem. p.* 1114. *Ægr.* 15. contigiſſe, meminit, & Gal. *in* 2. *Prorrhet. Si in febre aphoniæ, quæ convulſivo modo fiunt, deſinant in eam, quæ cum ſilentio fit, ecſtaſim, perniciosum.* Quædam vero ſymptomata creduntur propria vehementiſſimarum deſipientiarum, ſcilicet tremores, convulſiones, ſanguinis e naribus ſtillicidia, urinæ aquoſæ lucidæ, manuum geſticulationes, & alia hujuſmodi. Tremores ac convulſiones non omnes phreniticas deſipientias, ſed tantum vehementiſſimas, utpote ferinas, ſequuntur, uti Gal. *in* 1. *Prorrhet. text.* 9. meminit, exitioſaſque emotiones ſequi ſolent. Phrenitici vero prius tremuli ac poſtea convulſi moriuntur. De tremore ſcribit *auctor Prorrh. lib.* 1. 9. *Phreniticæ vehementer affectiones tremulæ deſinunt.* Tremorque, ut Gal. ait, ſolum vehementiſſimas phrenitiades ſequitur, nempe nervorum infirmitates, propter affectionis ſiccitatem, phreniticis diutiſſime inſunt. Exſoluta autem virtute, tum vigiliis, tum motionibus multis, ſimul vero, & nervis ſupra modum arefactis, tremores fiunt; indicant enim vehementer ab aſſata bile cerebro irrigato ſiccatos nervos, atque ob id letaliter ſe habere. De quibus in 1. *Prorrhet. text.* 14. *Mente ob melancholiam aberrantibus tremores ſupervenientes maligni.* Et paullo poſt *text.* 16. *Phrenitici modico utentes potu, ſtrepitum tentantes, tremorem incurrunt.* Atque etiam *text.* 19. quum dicit: *Vacillationes mentis cum voce clangoſa, linguæque convulſiones cum tremore, & voces obtremiſcentes, mentis indicant alienationem, duritieſque his perniciosa*, & Gal. *in text.* 20. linguas obtremiſcentes in his ob facultatis debilitatem apparere, mentemque ex phrenitide vacillantem ſignificare, tradidit. Ex quo tremulas vocavit phrenitides in Prorrheticis, quæ exſtincta fere facultate oriuntur, quæque cum ſilentio obſervantur. Vi enim phrenitidis ingraveſcentis tria ſupervenire ſolent, ſilentium in ecſtaſi, tremor in vehementiſſima phrenitide, & convulſio imminente morte. At tremores letales ſuperveniunt febribus ardentibus, vel vehementibus ab aſſata

Deſipientiarum vehementiſſimarum propria quidem ſymptomata, Tremores.

Tremores letales.

bile

bile inſaniis, quas ferinas & melancholicas appellari nuper docuimus, quo fit, ut tremores, qui vel ante deliria, vel cum ipſis ſimul apparent, quandoque (etſi ipſorum nulli, exceptis decretoriis, boni exiſtant) exitium non prædicant, at quinimmo ſæpe, perinde ac convulſiones, ſupervenientibus febribus ſolvantur. Quare tremores letales tantum obſervantur, qui deliriis, ſive deſipientiis, ſuperveniunt. Non paucique in morborum principiis trementes obſervantur, qui tamen non moriuntur. Ut Pythioni contigiſſe Hippoc. *in 3. Epidem. 1. p. 1059. Ægr. 1.* ſcripſit: Neque omnibus etiam deliriis, at ſolum vehementibus, ſupervenientes exitium portendent. Perbelleque hoc in *3. coac. præſag. text. 93.* ſic ſcribitur: *In vehementi phrenitide tremores mortiferi.* Meritoque Galenum *in 1. Prorrheticorum* dixiſſe dicimus, non omnes phreniticos in tremorem finiri, quum ſolas phrenitides vehementiſſimas tremor conſequatur. Non tamen, uti convulſiones, phreniticorum proprii exiſtunt, quum multis ipſorum non ſuperveniant, ſed tantum vehementiſſimis, ac ferociſſimis, in quibus tum vigiliis, tum motionibus multis, vires exſolvuntur, nervique ſupra modum ſiccantur, atque areſcunt. Quo fit, ut hi raro obſerventur, quando raro etiam phrenitides eæ feroces fiant. Omnes vero phrenitici ante exitium convelluntur. Convulſioneſque omnes deſipientiis ſupervenientes, atque arefactis nervoſis partibus concitatæ, letales exiſtunt. Vereque phreniticos omnes exitioſos deſinere in convulſionem, affirmamus, uti in tremorem eaſdem finiri (quod *in 1. Prorrhetic. text. 9.* aſſirmatur) Gal. *1. Epidem. com. 2. text. 52.* ut falſum reprehendit. Quod in multis phreniticis Hippoc. *3. Epidem. text. 3.* obſervavit, præſertimque in uxore Philini *lib. 1. Epidem. p. 976. Ægr. 4.* atque in phrenitico, *lib. 3. Epidem. p. 1100. Ægr. 4.* de quo ait: *Secundo die mane ſine voce, febris acuta, ſudavit, non intermiſit, palpitationes per totum corpus, nocte convulſiones. Tertio exacerbata ſunt omnia. Quarto obiit*, & de muliere Cyzici *ibid. p. 1114. Ægr. 14. Decimoquarto convulſiones multæ, extremitates frigidæ, nihil amplius mentis compos, urinæ defecerunt, obiit.* Gal. quoque *in lib. 13. method med. cap. 8.* de iiſdem dixit: *Succedit maxime exitiali phrenitidi, nec ſanatum quempiam ita convulſorum, aut ipſe vidi, aut alium narrantem audivi.* Et *in libr. quinto Epidem. p. 1160.* Hippoc. tributo legitur Cononidem famulam phreniticam, quæ obiit die quadrageſimo, decem dies ante exitum aphonam, & convulſam fuiſſe. Eſt & quæpiam palpitatio convulſionis cognata, quam aliqui convulſivum tremorem, alii convulſionem non veram, alii ſublationem dicunt, in qua partes quidem ad manum ſubſultant, ſeu ſubſiliunt, non ſecus quam fiat in vellicatis a mordicante aut humore, aut vapore, nervis ſeſe a mordicatione retrahentibus, ſeu auferentibus. Sic palpitant in arido piſces. Hæque palpitationes, etiam ſubſequentes vehementes deſipientias, letales exiſtunt, non ſecus quam tremores atque convulſiones ſunt. Sed tamen diſtinguendum erit, quoniam tum convulſiones, tum hæ palpitationes, ſi a mordentibus aut ſuccis, aut halitibus fiant, perpetuo non eſſent letales, quare in iis alia ſigna ſimul, vel poſtea, conſpecta conſulenda erunt, ut conſultius ab ipſis præſagiamus. Addimus quoque virulentas vomitiones, in quibus bilis aſſata, ærugi-

Cuinam Phrenitidi ſuperveniant.

Convulſiones Phreniticorum.

Palpitationes.

Vomitiones virulentæ.

æruginoſa, vel nigra evomitur, ut Hippoc. meminit *in primo Epidem. p.* 948. *ſub fin. com.* 1. *text.* 84. quum dixit: *Phreniticis convulſiones, ſed & virulenta vomunt, & ex iis quidam ſubito moriuntur*, ut in Philiſta *lib.* 5. *Epidem. p.* 1076. *Ægr.* 4. phrenitico fuit obſervatum. Exitiali quoque deſipientiæ accidunt manuum geſticulationes, quas Hippocrat. in 2. *Prognoſt. p.* 38. *lin.* 1. *& ſeq.* ſic docuit: *De geſticulatione manuum hæc cognoſcere oportet, qui in febri acuta, aut phrenitide, aut pulmonia, aut capitis dolore, manus ob os fert, aut fruſtra venatur muſcas, aut colligit feſtucas, aut de veſte evellit pilos, aut de pariete ſtipulas carpit, id omne malum, exitialeque eſt*, quod ſymptoma in uxore Dealcis *lib.* 3. *Epidem. p.* 1114. *Ægr.* 15. in Læio decumbente conſpectum eſt. Stillicidium quoque e naribus exitioſis phreniticis ſupervenit. Nam Galen. *in* 3. *Prorrhet. text.* 49. nedum, ut dicebat eorum librorum auctor, ſtillicidium e naribus cum ſurditate, aut ignavia, ſignum eſt malum; ſed cum omnibus aliis deſipientiis, plane letale judicandum; in *primo Prorrhet. text.* 8. merito putat. Aquoſa item urina, alba, lucidaque item, & fæces albæ, ſunt in iis perniciosiſſima ſigna: de his Hippoc. *in libr.* 4. *Aphoriſmor.* 72. *Quibus urinæ lucidæ ſunt, & albæ, malæ: maxime vero in phreniticis.* Quo in loco Gal. dixit: *Nullum ſiquidem vidi, in quo talis apparuiſſet urina, ſalvatum.* Et in primo Prorrheticorum *text.* 29. *Urinæ excretio in non admonitis pernicioſa.* Et in primo Prorrheticorum *text.* 13. *Alba dejectio, malum.* Proprium quoque videtur peſſimarum phrenitidum, etſi lingua ſit torrefacta, ægrotos vel nihil ſitire, vel ſaltem eos uti pauciſſimo potu, quo *in* 1. *Prorrhet. text.* 16. ita expreſſo utitur: *Phreniticos exiguo uti potu, malum; ſed nihil ſitire, perniciosum.* Sed inter deliria letalia comprehenduntur etiam, quæ circa actiones vitæ neceſſarias obſervantur, quod Auctor 3. *Coac. præſag. text.* 98. ſic tradidit: *Deliria circa neceſſaria, peſſima; quæ ex his exacerbantur, letalia ſunt.* Tales vero ſunt ex deliris, qui cibum abhorrent, potumque, quum tamen linguam habent incendio caloris exſuctam, ac prætorrefactam. Letalia quoque deliria exſiſtunt, in quibus ægroti crebras inſigneſque habent permutationes, *in* 12. *Prorrh. text.* 12. *In phreniticis in principio clementer habere, ſed crebro permutari, malum eſt.* Duplex vero eſt permutatio, una ex bono ad malum ſtatum, atque altera ex uno malo ſymptomate in aliud malum; de hoc in 3. *coac. præſag. text.* 101. *Ubi varii caſus ſubinde incidunt phreniticis, pravum, & convulſionem denuntiant.* Quod ſane aut turgere humores denotat, aut cerebrum multiplici vexari affectu, uti quando aliqui diu mæſti, ſilentes, ac quieti jaceant, & poſt continuo garruli, ridentes, inquietique evadant, quod Hippoc. in uxore Dealcis, quæ in Leio decumbebat, obſervavit, de qua *in* 3. *Epidem. com.* 3. *p.* 1114. *Ægr.* 15. *text.* 86. dixit: *Ab initio cooperiebatur, & perpetuo tacita ſemper, villos ſtraguli captabat, vellebatque, & ſcalpebat, plorabat, moxque ridebat, non dormiebat*: ac in fine hiſtoriæ: *Perpetuo cooperiebatur, aut verba multa, aut perpetuo tacita.* Deſipientiæ etiam omnes præ debilitate contingentes ſic, Galeno auctore, exitioſæ viſæ ſunt, ut nullum ex his ſanari poſſe *in primo prorrhetic.* teſtatum reliquerit. Phreniticæ namque

Manuum geſticulationes.

Stillicidium e naribus.

Urina aquoſa alba lucida, faces albæ.

ſitis læſa.

Permutationes crebræ.

que

quæ desipientiæ omnes virtutem robustam expostulant, quæ, si languida sit, morbum ferre non poterit. Quod in *3. coac. præsag. text.* 100. sic innuit: *Qui jam fractis viribus delirant, pessime habent*. In principio etiam morbi, quæ apparent, pessima deliria creduntur, vereque phrenitidis suspecta. Quæ enim ex his sine signis coctionis apparent, (quod ad principium attinere dicitur,) Galenò in 1. *lib. de Crisibus* docente, pessimarum dispositionum sunt indicia. Sed prosequamur judicium prognostici a signis, vel una cum deliriis concitatis, vel ipsa subsequentibus. Mala enim signa simul cum ipsis deliriis apparentia, mortem minari videntur; & letalia, certum proximumque exitium. Somnus, ut præcipua mala symptomata narrem, plane sublatus, & qui delirium concitat, aut auget, vel nihil allevat, signum cum delirio forte timendum ex Hippoc. Galenoque colligitur, veluti hianti ore deliri homines si dormiant, pernicioſum est Hipp. *in* 1. *Progn. pag.* 37. *lin.* 46. Sopor item, seu ad somnum summa inclinatio, atque delatio veternosa, post vigilias assiduas, ex cerebri refrigeratione, atque ex virium languore, letale est; de quo loquitur Hippoc. *in* 3. *Epid. p.* 1085. *G. H. text.* 20. quum ait: *Nullus autem phreniticorum vehementer insanivit, ut in aliis, sed alia quidam veternosa in somnum delatione capite gravati moriebantur*. Interdum vero, ut posterius docebimus, tales affectus judicatorie apparent, crisin aliquam significantes, qui signis propriis decretoriorum signorum cognoscuntur. Delirium etiam cum notabili oblivione, ignavia, stupiditateque apparens exitii est indicium, de quo Galen. *in* 2. *Prorrhet. text.* 30. Quod enim non cognoscant familiares, neque factorum recordentur, ex cerebri refrigeratione enasci id constat; cerebri vero refrigerationem sequi calidam affectionem, ex qua ægroti delirant, semper esse pernicioſum, superius meminimus. Si vero cum his rigeant ægri, vel frigescant, inevitabile fatum significatur ex Galen. *in* 2. *libr. Prorrhet.* Idem denotat stupiditas, etenim, ut docet Gal. 1. *Progn. text.* 13. phrenitici etiam sunt, quicumque, comatosi quum sint, non sapiunt, sed deliria loquuntur, atque a præsentibus expergefacti stupefactis similes videntur. Summe etiam exitioſum est, si desipientes non videant, ipsis profecto haud longe aberit exitium: oculi etiam lucem effugientes, involuntarieque lacrymantes, aut perversi, aut altero major alter fuerit, aut candidum rubeum habuerit, aut pleni sint sanguine, uti *in primo Prognost. text.* 14. & 33. *p.* 37. *lin.* 15. *& seq.* Hippocrat. docet. Facies quoque flammans, vel qua boni videatur coloris cum mæstitia tamen, *ex prorrhet. lib.* 1. 49. 67. idem significat. Capitis viscerumque dolores vehementes atque assiduos, exitium prænuntiare *ex* 4. *libro Aphorism.* 66. colligitur. Non minus quoque verendam esse totius corporis, vel manuum pedumque, gravitatem, item frigiditatem, atque lividitatem, Hippoc. *in* 2. *Prognost. p.* 39. *lin.* 30. *& seq. text.* 7. 8. *&* 9. meminit. Necnon aphoniam, ægrosque taciturnos, vocem clangloſam, linguam exustam & præaridam sine siti, stridorem dentium insolitum, convulsionem, palpitationem, singultum, horrorem, rigorem, tremorem, frigiditatem extremorum, crebrasque in his partibus permutationes, exitium significare exinde constat. Idemque facit inquietudo,

Signa mala simul cum ipsis deliriis apparentia.

anxietas, ſpiritus difficultas, cibos omnes abhorrere, nullumque potum ſuſtinere, vomitus virulenti, ſudores frigidi, cervicis, colli, ſcapularum, atque aſſidui in toto corpore, quas deſudationes Medici appellant. Item ſtillicidium ſanguinis, urinæ aquoſæ, albæ, lucidæ, fęceſque albæ, ut nuper diximus, alvuſque turbata multis crudis pituitoſis, vel etiam bilioſis dejectionibus, nihil delirium levantibus. Item abſceſſus intro recurrentes, non minus quam exanthemata, aliæque cutis puſtulæ, atque efflorescentiæ præter rationem evaneſcentes. Dolores etiam in ignobili parte oborti, ſtatim deſinentes. Cum his igitur vel multis vel paucis una apparens delirium, letale eſt, maximeque phreniticum. Non minuſque, etiam ſi iſtorum aliqua vel multa ipſum conſequantur delirium, exitium ſignificatur, omniumque maxime, ut nos alias meminimus, ſi deliria in tremores, convulſiones, ſingultus, vel aphonias deſierint, cum urinis, ut dictum eſt, albis, claris, lucidiſque, quales quinta die *Silenus lib. 1. Epid. p. 969. Ægr. 2.* minxerat; omnium vero maxime pulſus prælanguidi, reſpiratio mala, ciborumque appetentia exſtincta, ita ut quoſcumque abhorreant cibos, nullam ſitim ſentiant, etiamſi lingua præarida & multo calore aduſta ſit, poſt ipſum delirium obſervata, exitium denotant. Hæc ſiquidem tria poſtremo poſita (pulſus ſcilicet prælanguidi, cibos potuſque abhorrere, ac mala reſpiratio) magni momenti ſunt in quocumque morbo ad mortem prænotandam; maximeque, ſi quum ex prænarratis ſignis, ſimul quæpiam illuxerint, & quo plura, & principaliora erunt, eo certius citiuſque exitium fiet. At ex iis omnibus, tria tantum nuperrime dicta ſigna, inter multa ambigua ex bonis judicata, ad exitium prædicendum maxime valent. Quemadmodum his oppoſita, pulſus quippe vehementes, bona reſpiratio, probaque tum cibi tum potus appetentia, inter pernicioſa multa ſigna maxime ad ſanitatem prædicendam valere, Galen. in Herophyti hiſtoria ſatis demonſtravit. Atque hæc ſunt, cum quibus, ſi deliria apparuerint, vel ipſa quoque ſequantur deliria, exitium præcognoſcemus. De quibus hic brevis quidem ſermo eſt habitus, quum de iisdem ipſis accuratius uberiuſque ſuis locis ſit a nobis agendum.

Signa mala deliria ſubſequentia.

CAP. VI.

Quid fatuitas & oblivio in morbis ſignificet.

Fatuitas & oblivio quid, unde.

FAtuitatem & oblivionem principis facultatis, in cerebro ſedem habentis, rationis ſcilicet atque memoriæ, ſymptomata eſſe, ab una eademque cauſſa proficiſci, Galen. *in 1. de ſymptom. cauſſis Cap. 7.* memoriæ prodidit. Quæ ſymptomata plerumque ſimul apparent, & aliquando ſola fatuitas vel oblivio, prout una cerebri pars aut altera læditur, in quibus ſpeciatim hæ duæ reſident potentiæ, atque exercentur. Stultitiam vocat Gal. *3. de locis affect. c. 18.* ubi ſimul fatuitas & oblivio apparet, quæ nota eſt magni in cerebro temperamenti receſſus, in homine præſertim ingenii perſpicacioris, atque firmæ memoriæ, quando hæc cerebrum refrigeratum de-

Stultitia quid, et unde.

notant

notant, quum ab ipſius frigida intemperie fiant, ut *in Prorr.* hiſce verbis exprimit: *Quod enim non cognoſcant familiares, neque factorum recordentur, ex cerebri refrigeratione id naſci conſtat.* Cerebri ſiquidem facta refrigeratio, uti Gal. 3. *loc. affect.* 5. docet, animales actiones torpidas efficit, atque tum ad morandum, tum ad ratiocinandum ineptas. Ex quo quum rerum ſpecies ægre ad imaginationem, & rationem ferantur, mirum non eſt, ægrotos factorum non recordari, atque exinde, ſpiritibus animalibus frigore torpidis effectis, fatuos ſtultoſque evadere. Accedit non raro ad horum generationem, ut *in libro* 2. *de ſympt. cauſſis cap.* 7. nuperrime citato Gal. meminit, humor frigidus pituitoſus. Quod etiam affirmare videtur *in libro artis medicinalis*, quum dixerit, optimam memoriam firmam cerebri ſubſtantiam, & oblivionem fluidam indicare. Fiunt quoque fatui atque oblivioſi cerebro una refrigerato & exſiccato; aliquibus enim ob laborem in ſtudiis & ob aſſiduas vigilias, non minus quam nonnullis ob labores, etiam agricolis, cum læſa ratione oblivionem acceſſiſſe, Gal. *in* 3. *de loc. aff. Cap.* 5. tradidit. Verum ſiccato cerebro ex laboribus cum oblivione delirium, non tamen fatuitas, concitatur, hæc enim ab humiditate magis quam a ſiccitate, hacque homines potius ingenii perſpicacioris fiunt, ut in melancholicis obſervamus, & auctor *Prorrh. lib.* 1. 5. in phreniticis (quod in ipſis cerebrum ſiccius fiat) inſomnia conſpicua obſervari, tradidit. Fatuitas igitur atque oblivio in homine quoque non ægrotante eſt timenda, tamquam futuri morbi graviſſimi prænuntia; præſertimque ſi ambo hæc ſymptomata ſimul prodeant. In morbis vero acutis ſapientes alioquin viros ſtultos videri, vel illorum, quos recte valentes plurimum amabant, non recordari, ſumme eſt pernicioſum, ſi modo id non ex delirio, ſed deperdita tum ratione, tum memoria, ſeu exſtincta facultate fit. Quod ſane tum ex prælanguidis viribus, tum & ſignis aliis exitioſis comprehenditur. De quibus in 1. *prorr.* 64. *Ignorantia cum rigore mala, mala quoque & oblivio.* Et Gal. in comment. *nam cum rigore ignorantia & oblivio victum calorem nativum ab ea, quæ ſymptomatica eſt, refrigeratione indicant.* Et de oblivione Hipp. *in Epidemiis lib.* 3 *p.* 1085. *lit. E. oblivio ſub acceſſione, languor, vociſque defectus*: quæ ſane ex exitialibus ſignis eſſe etiam Gal. in comment. 3. *prorr. text.* 37. ſtatuit. In acutis vero morbis, quæ poſt æſtuantem calorem refrigerato cerebro fit, ſemper eſt pernicioſa, victumque, ut nuper dictum eſt, calorem nativum ſignificat. Non minus quam ea, quæ a principio morbi uſque ad finem perſeverat, cum malis ſignis exitium denotat, maximeque in phreniticis, de qua mentionem Apollonii faciens, Hipp. *in* 3. *epid. p.* 1111. *Ægr.* 13. ait: *Extremæ partes undique ſubfrigidæ, aliquantum delirabat, omnium obliviſcebatur, quæ locutus eſſet.* Verum ex delirio videntur nonnumquam ægroti oblivioſi, quod ſane minus periculi habet, modo delirium, cum quo una oblivio apparet, non ſit letale: quod quomodo dignoſcatur, ſuperius docuimus. Hi quidem quum minime ſint oblivioſi, tamen ex delirio videntur factorum non recordari, quod etiam in nonnullis aliarum facultatum actionibus obſervatur; veluti quum aliqui putant ſe videre muſcas obverſari oculis, feſtucas adeſſe multas, vel alia, quæ colligere manibus ſtudent, vel reſpirare quum deſi-

Fatuitas & oblivio unde.

In morbis quid ſignificant.

pientes obliviſcantur & bibere, quamquam multum ſitiant: necnon etiam mingere vel alia operari hujuſmodi. Sæpe etiam repente vel fatui vel oblivioſi fiunt, ſanguine in caput decretorie decurrente, quæ ſymptomata criſin tunc temporis futuram indicant: quod judicii nobis ex aliis decretoriis ſignis innoteſcit, vel demum oblivio fit aliquando collecto in cerebro pituitoſo humore, veluti in comatoſis & lethargicis. Sunt alii, a graviſſimo morbo ſanati, quibus oblivio ſupervenit, quod multis, qui a peſte ſuperſtites remanſerunt, accidiſſe, Thucydides hiſtoricus mortalium memoriæ commendavit.

CAP. VII.

De prædictione ab externis ſenſibus.

Animalis facultatis robur & infirmitas quo modo ab externis ſenſibus dignoſcatur.

QUomodo ab internis ſenſibus animalis facultatis quum infirmitas, tum robur, dignoſci queat, atque ab ipſis quomodo ſit præſagiendum de ægrotantium ſalute ac morte, hactenus ſatis compertum eſt. Nunc vero idem ab externorum quinque ſenſuum ratione proſequimur. Horum enim (qui ſunt viſus, auditus, odoratus, guſtus, & tactus) cognitio, atque accurata obſervatio, apprime nobis ad morborum exitus prænoſcendos conducet; quandoquidem in acuto morbo hi recte valentes magni momenti ad prædicendam ſalutem eſſe ſoleant: neque immerito; quum ab ipſis, recte ac ſecundum conſuetudinem editis, proba cerebri atque partium aliarum ſanitas indicetur, & nobis firma vis animalis exinde innoteſcat. Cerebro quidem atque animali facultate læſa, ſenſus vel omnes, vel plures, vel aliquis ſaltem immunis a vitio eſſe non poteſt; neceſſe enim eſt, ut æger tunc vel non recte ac ſecundum conſuetudinem videat, vel non audiat, vel cum vitio odoret, guſtet, aut tactum læſum habeat. Non eſt tamen neceſſarium, ut, ſenſibus omnibus recte valentibus, ſemper ſalus ſit futura, quando in multis acutis morbis a cerebro illæſo, etſi alia viſcera patiantur, actiones nedum externorum ſenſuum, at quinimmo etiam internorum recte obeantur. Sed hæ omnes in perniciosis morbis, ad exitium inclinantibus, perpetuo, morbi tempore, firmæ, ac illæſæ non obſervantur. Viſcere enim aliquo præcipuo pernicioſe ægrotante, cerebro quoque læſio neceſſario communicatur, & in ipſis ante mortem ſenſuum aliqua vitia apparent. Plane enim ſingulis ſenſibus recte valentibus, homo quidem mori poſſe non videtur. His tamen actiones diminutas vel deperditas, vel cum aliquo vitio edentibus, cerebro ipſo læſo, aut facultate vitiata (exceptis actionibus ſenſuum, ex futuræ alicujus criſis turbatione vitiatis, quæ quum ſigna decretoria ſint, criſin ſalutarem prænuntiant, bonæque ob id exiſtunt, de quibus poſterius ſpeciatim agemus) peſſimum eſt; veluti non ita timendum erit, quum id ratione inſtrumentorum ſenſuum, neque cerebro læſo, neque facultate vitiata contingat, ut quando, craſſo humore occluſis opticorum nervorum meatibus, ægroti non vident, & meatibus auditoriis non audiunt. Ubi vero ſenſus non recte ex cerebro, ſeu facultatis vitio ſecundum conſuetudinem obeuntur, in morbis acutis exitium prænuntiant, & procul dubio ſi actiones plane ſublatæ

vide-

videantur, vel cum virium languore si apparuerint; tunc enim de salute plane erit desperandum. Sed de his nunc sigillatim etiam agamus, ut ab ipsis sensibus particularibus accuratius prædictionem perscrutari possimus.

CAP. VIII.

Qui in morbis ægrotos non videre, tenebricosam visionem, visus obscuritatem habere, splendoresque oculis apparere, atque oculos lucem ferre non posse significet.

Visus læsus, quid in morbis significet, & unde.

Visus læditur a critica causa.

AEgrotos non recte, ac secundum consuetudinem videre, semper est malum, etsi aliquando exinde nihil certi sciri queat, quum ægroti visu aliquando propter instrumentorum vitium deficiant, seu vitiose videant, visoriis scilicet nervis aut obstructis, aut in oculis orta suffusione, visu vel impedito vel vitiato: quin visus aliquando tollitur iisdem instrumentis a causa critica læsis, vel quando crisi ægroti perturbati vel non vident, vel tenebricosam habent visionem, aut caligo, seu obscuritas, seu obtenebratio, aut splendor insolitus oculis obversatur, quo interim expavescunt, vel lucem ferre non possunt. De his in 1. *Coac. præsag. text.* 195. *Quibus surditas cum capitis gravitate & hypochondrii tensione, & splendore oculi, profluvium sanguinis significatur.* Et Galen. *in* 3. *de Crisibus sect.* 1. *tex.* 18. erupturi e naribus sanguinis, motum fulgoris oculis apparentem cum visus obscuritate, signum constituit; cum his vero sæpe, ut Gal. voluit, involuntarie lacrymantur, præcordia tenduntur sine dolore, difficulterque respirant. De quibus *in* 3. *Prognost. p.* 46. *lin.* 16. *& seq. text.* 35. *quibus per talem febrem dolet caput, & pro tenebris ob oculos effusis hebetudines subeunt oculorum, ac splendor obvertitur, & pro ventriculi dolore circa ilia, aut læva parte, aut dextra aliquid contenditur, neque cum dolore, neque cum inflammatione, sanguinem de naribus in his fluere pro vomitione exspectandum est; magis tamen in adolescentibus sanguinis fluorem exspectare oportet.* At paullo post *lib.* 1. *Prorrhet.* 137. oculos rubros addidit, quum ait: *Cervicis dolores impensi, oculi rubri, sanguinis eruptiones ostendunt.* Ex quibus signis Galen. ut *in lib. de præsag. ad Posthumum cap.* 13. testatur, erupturum sanguinem in juvene coram multis Medicis prædixit: *De quo, dum Medicis hæc admiranda videntur, ager e lecto se sustulit, tamquam prosiliturus, interrogatusque, cur exsilire voluisset, quum nihil adesset, ob quod id facere debuisset, rubri coloris serpentem per laquearia repentem a se visum expavisse respondit.* Addidit Gal. ruborem in dextra nasi parte usque ad malam conspexisse. Oculus enim rubeus per se cum capitis dolore sanguinis e naribus eruptionem, ut *in Coacis prædict. text.* 166. scribitur, prænuntiat. Vertigines vero obortæ cum iis, quæ objiciuntur oculis tenebricosis, & cum agitatione labri inferioris, & multa saliva, orisque ventriculi morsu, atque capitis dolore vomitum futurum (Galeno docente) indicant. Quæ *in* 3. *Prog. p.* 45. *lin.* 54. Hippoc. ita habet: *In febre non exitiosa tenebricosum aliquod ob oculos obversari, vomitum biliosum indicat.* De quibus Gal.

Ubi sanguis e naribus eruptu-rus.

Ubi vomitus futurus.

in

in 3. de Criſib. Et tenebroſa quædam oculis obverſantur, & alucinantur, & vertiginem patiuntur, & caput dolet, vaporante re aliqua ex humore bilioſo, & præterea facta ex nervis compaſſione. Sed hæc viſus ſymptomata cum coctionis ſignis, atque cum virium robore, ſi ad ſalutem criſis inclinaverit, apparent. Sine quibus vel non fit criſis, vel ſi fit, eſt pernicioſa. Summe vero pernicioſum obſervatur, poſt criſin aliquam ægrotum non videre, vel tenebricoſam habere viſionem, aut caliginem ſeu obſcuritatem, ſeu obtenebrationem oculis obverſari, aut offundi ſplendores aliquos, aut illos lucem ferre non poſſe, præſertimque ubi mala evacuatio ſubſequatur, uti eſt ſanguinis e naribus ſtillicidium, ſudor frontis, temporum, colli, frigidus, aſſiduus etiam ex toto corpore, vomitus virulenti, atque aliæ hujuſmodi vacuationes, non minus quam ſi poſt aures, vel in aliis corporis partibus ignobilioribus humores aut exanthemata ſtatim intro recurrant, vel crurum dolores incepti, continuo deſierint. Quod ſi vires etiam prælanguidæ, & præſertim vitales, quæ maxime pulſibus prælanguidis comprehenduntur, fuerint, non longe aberit exitium: de his in Coacis præſagiis *text.* 105. *Tumores juxta aures in morbis longis, parvi, ſi inde fluor ſanguinis e naribus, & tenebræ oculis offuſæ moveantur, letale.* Non vident ægroti ante exitium, exſtincta animali facultate, quod ceterarum facultatum actiones fere deperditæ denotant; omnium maxime pulſus prælanguidi, mala reſpiratio, atque appetentia tum ciborum tum potus deperdita, quomodo ſi ægri non videant, cito morituri ſunt, Hippoc. *in 4. libro Aphoriſm.* 49. tradidit, quod etiam *in 2. coac. præſag. text.* 72. ſic ſcriptum eſt: *Jam labeſcentibus viribus, ſiquidem æger non videat, aut non audiat, vel a labro, oculo, nare, diſtorqueatur, letale.* Sed jam ad auditum deſcendamus.

Viſus læſus quando ſumme pernicioſus obſervatur.

CAP. IX.

De ſurditate in morbis acutis.

Surditas quid notat in morbis acutis,

EX auditus actionibus mutatis ſurditas, atque in auribus ſonus ſeu tinnitus obſervatus ad prodendum ægrotantium prognoſticum magni momenti eſſe ſolent; maximeque ſurditas, quæ etſi per ſeipſam numquam bona cenſeatur, quando caput læſum, ut Gal. *in primo Prorrh.* docuit, perpetuo denotat; vel quod pejus eſt, exſtinctam nonnumquam ſenſitivam facultatem. Fit vero ſurditas (Gal. *in 1. Prorrh.* 32. ſcribente) & ob humorem quemdam in auditoriis meatibus impactum infarctumque, nihil quod malignum ſit habens, & interdum ob exſtinctam facultatem, quam in acutis turbulentisque morbis contingere cernimus. Verum tametſi occluſis meatibus auditoriis ſurditatem obortam dicat Gal. nihil habere malignitatis, nihilominus in acutis morbis ſemper mala, illa excepta, quæ ex critica perturbatione excitatur: nam hæc non ſecus, quam deliria, convulſiones, comata, vigiliæ, anxietas, dolores, & alia hujuſmodi ſymptomata, per ſe perpetuo mala, aliquando facta in corpore critica perturbatione, optimam aliquam evacuationem præmonſtrant; ſoletque aliquando criſis eſſe indicium. De qua *in Prorrh.*

Unde

Critica

rh. lib. 1. text. 147. Hypochondrii tenſio cum capitis gravitate, & ſurditate, quæ conſequenter fatigant, ſanguinis denuntiant profuſionem. Sed certius ſurditas ſit indicatoria, ſi aſſidua cum aliis ſignis judicatoriis fuerit, qualis in *virgine Abderæ lib. 3. Epidem. p. 1103. Ægr. 7.* fuit obſervata, quæ ab octavo die uſque ad decimumſeptimum, in quo multum ſanguinis e naribus fluxit, protracta eſt, neque plane etiam ſoluta adhuc perſeverans, priorem criſin imperfectam denotabat, aliamque pro morbo reſolvendo futuram prænuntiabat, quæ reiterata ſanguinis eruptione, ſudore, atque ad pedes noxio humore decumbente, poſtea die vigeſimo eſt ſubſecuta. Quibus vacuationibus neque etiam penitus illius febris cauſſis ſublatis, die vigeſimoquarto rediit ſurditas cum aliis ſymptomatis, quæ criſis abſolutiſſimę die vigeſimoſeptimo futuræ fuit prænuntia. Sed non erit inutile hiſtoriam iſtius ægrotę hic ſubjungere, quam Hippoc. *epid. 3. text. 78.* (*Vide locum modo citatum*) ita ſcripſit: *Octavo ſurditas, febris acuta, in ſomnis faſtidioſa, horrebatque, mentis erat compos, urinæ ſimiles, nono nihil eſt mutatum, nec proximis diebus, manſit item ſurditas, quartodecimo mens perturbata fuit, febris remiſſior, ſeptimodecimo multum fluxit ex naribus, ſurditas eſt nonnihil immìnuta. Sequentibus diebus eam faſtidium ſurditaſque tenebant, eratque delira, vigeſimo ei pedes dolebant, ſurditas & delirium eam deſeruerunt, aliquantum e naribus erupit, ſudavit, febre fuit liberata. Quarto & vigeſimo repetiit ſurditas, pedes aſſidue dolebant, mente excidit. Vigeſimoſeptimo multum ſudavit, febre caruit, ſurditas eam reliquit.* Aliquando poſt aures abſceſſus futuros aures obſurdeſcere ſignificat, maximeque ubi morbus ex craſſo frigidoque humore foveatur, ex quo recte quidem Auctor *Prorrh. lib. 1. text. 159.* dixit: *Surdis manſuetæ parotides fiunt, tum alias, tum ſi faſtidioſi quippiam ſupervenerit, & comatoſis magis. Ibid. Text. 168. In capitis dolore coma & ſurditas abſceſſum aliquem poſt aures eructant.* Sed diſtinguere debemus ſurditatem hanc criticam bonam a ſymptomatica & mala, per ſigna concoctionis, & cruditatis. Cum hac quidem nullum apparet coctionis ſignum: cum illa coctio in excrementis obſervatur, quod Gal. *in virginis Abderæ hiſtoria* meminit, optima eſt omnis ſurditas, quæ decretorie reſolvitur, optima evacuatione ſubſecuta, de qua Hippoc. *in 4. Aph. 60.* meminit: *Quibus per febres aures obſurduerint, iis ſanguis e naribus profluens, aut perturbata alvus, ſolvit morbum, vel alvi biliosa dejectione evacuatur,* ut *in eodem libr. Aph. 28.* hiſce quoque verbis docuerat: *Quibus dejectiones ſunt biliosæ, ſuperveniente ſurditate ceſſant; & contra, quibus ſurditas adeſt, biliosorum dejectione finitur*: aut etiam ſi humor ad ignobiles quaſdam partes demandetur atque propellatur, in quibus decubuiſſe dolores oborti ſignificant, quique propterea boni ſunt, decretoriique appellantur: cum his certo tolli ſurditatem obortam ſemper bonum erit; uti in virgine, *loco præced. pag. citato*, *Abderæ* fuit obſervatum. Atque hæc de illis ſurditatibus, quæ ſalutem prædicunt, dicta ſint. Mala vero, ut jam dixi, per ſe ſemper eſt ſurditas, quando, ut Gal. docet, cerebrum læſum denotat; letalis vero, quæ fit exſtincta facultate, de qua Hippoc. *Aph. ſect. 4. 49.* meminit, quum inquit: *In febre continua, ſi non videat vel non audiat, jam debili exſiſtente*

Abſceſſus futuros poſt aures aliquando ſignificat.

Surditas critica quomodo a ſymptomatica diſtinguitur.

Surditas mala.

Letalis quæ-nam.

ſtente corpore, mors proxima eſt. Hæc quidem cognoſcitur primo ab aliarum facultatum languore, atque etiam quod neceſſario una cum ſurditate hujuſmodi aliquod letale ſignum illuxerit, quam ægrotis in acutis turbulentiſque morbis ſæpe contingere, auctor *Prorrheticorum in* 1. *Text.* 33. memoriæ tradidit. Eſt illa quoque ſurditas letalis, quæ a criticis malis vacuationibus apparet, & merito ſane, quum tales vacuationes ſint ex ſignis judicatoriis non judicantibus letalibus; namque ex vacuationibus, quæ juvare deberent, nedum non juvant, ſed etiam lædunt, letales exſiſtunt, ut Gal. *in Prorrhet.* 3. *text.* 35. docuit. Quum itaque ægroti ab evacuationibus nedum non juventur, ſed etiam lædantur, ita ut exinde vel cæci, vel ſurdi, vel vigiles, vel deliri tunc evadant, ſine dubio letaliter ſe habent. De his *in Prorrhetic. lib.* 1. *text.* 141. *Quæ ex naribus cum ſurditate & ignavitate parva eſt deſtillatio, difficile quippiam habet.* Sed Galen. in commento, ſtillationem illam cum ſurditate nedum difficilem, ſed exitioſam ita habere ſtatuit, ut propterea ſurditas ſit letalis cum evacuatione aliqua: itaque vel poſt evacuationem apparens ſurditas in acuta febre, plerumque eſt letalis, modo non ex humorum copia fiat, qualis fuit in Horophonte *lib.* 1. *Epidem. pag.* 974. *Ægr.* 3. qui tamen, ut quoque Galenus annotavit, ex aliis ſignis in principio moriturus conjiciebatur, qui etiam præter artis ſpem ſuperſtes evaſit. Eodem quoque modo, ut dictum eſt, ſi evacuatio ſubſequatur, qualem in Philiſta Hippoc. *in epid.* 3. *pag.* 1070. *Ægr.* 4. obſervavit, de quo ita ſcribit: *Primo die bilioſa, pauca vomuit, flava illa primo, ſed deinde virulenta, pluraque alvo ſtercora excrevit, noctem habuit moleſtam. Altero die ſurditas, acuta febris, dextrum hypochondrium eſt contentum, ac intro inclinabat, urina tenues, pellucidæ, & cetera; qui quinto obiit phreniticus.* Si vero ſurditas, præterquam quod ſequantur vacuationes, etiam una cum illa alia ſigna pernicioſa illuxerint, multo plus exitii judicium confirmabitur. De qua *in* 1. *coa. præſag. text.* 197. legitur: *Valde ſurdi, prehendendo tremuli, lingua reſoluti, torpidi, malum.* Quæ poſtea *Coac. præſ.* 176. clarius fere repetuntur ſic: *capite dolentes, ſurdaſtri, intremiſcentes manibus, dolentes a cervice, mejentes nigra condenſata, vomentes nigra, letaliter habent.*

Omnium maxime exitialis quænam.

Quæ ſurditas cum letalibus ſignis in *Philiſta loco præced. pag. allegato* moribundo, ut nuper dictum eſt, illuxit. Omnium vero maxime exitialis eſt, quæ fit cum prælanguidis viribus, de qua 5. *coac præſag. text.* 72. ſic ſcriptum eſt: *Jam labaſcentibus viribus, ſiquidem æger non videat, aut non audiat, letalis.* Sunt demum quædam ſurditates, quæ delirii ſeu phrenitica ſigna exſiſtunt, de quibus auctor *Prorr. in* 1. *Prorr.* 10. habet: *Qui in capitis doloribus æruginoſus vomitus habent, vigilantque cum ſurditate, cito vehementer inſaniunt.* Sed hæ ſurditates, quum exitioſæ phrenitidis, ut nos ſuperius docuimus, ſint præſagia, propterea ſunt exitiales. De his etiam *text.* 32. *Surditas, urinaque abſque reſidentia prærubræ, & ſublime petentia, mentis aberrationem portendunt.* Galen. quoque in eodem lib. in acutis turbulentiſque morbis ſurditatem inter ſigna phrenitica repoſuit; & auctor Coac. præſagiorum *text.* 197. ait: *in iisdem acutis febribus aures obſurdeſcere, eſſe furioſum.* Hæc itaque ſurditas delirii prænuntia eodem quidem

dem

dem modo judicatur, quo alias deliria fore judicanda prodidimus. Sed ad ſonitum aurium in iiſdem morbis obſervatum ſermonem convertamus.

CAP. X.

De tinnitu aurium in morbis acutis.

AUrium ſonitus in acutis morbis ſæpe apparet, atque aliquando ægroti falſo de aurium ſonitu conqueruntur, utpote eo modo delirantes ipſorum læſa imaginatione ſcilicet, quod imaginentur ſonos audire, etſi vere non audiant, hinc ipſorum aliqui tibicinas abigi contendunt. Sed de his nunc non agimus, quum ſatis in capite de prædictione ex delirio a nobis dictum ſit. Hos vero aurium veros ſonitus, pro varia editi ſoni forma ſeu figura, Medici quandoque appellant *bombos*, a ſono quem apes edunt; aliquando *tinnitus*, ab illiuſce ſoni curſu interrupto, aliquando *trismos*, ideſt, ſibilos, qui fiunt ex tenui flatu exiliter in aures delabente, ſibilorumque modo prodeunt; atque demum *ichos* ſeu ſtrepitus, prout cum ſtrepitu edi videntur. Galen. *in primo Prorrheticor.* docet, ex flatuoſo ſpiritu propter cerebri inflammationem, ex humiditate, quæ in capite redundat, aut ex aſſidua acuta febre in bilioſa materia, quæ per venas fertur, concitato, atque ſe in auditorios meatus inſinuante, tales in febribus tinnitus habere ortus putavit: a quibus cauſſis etſi fiant, non tamen ſemper, quando etiam ab humoribus tenuioribus in caput elatis, & etiam ad auditorios meatus motis, ita ut hic tinnitus ſymptoma ſit cerebri male affecti tenuiori humore, vel ſanguine vel bile, agitato ac commoto, exitum non habente, ex quo mirum non eſt, ſi ſanguinis e naribus eruptiones non raro aurium hi ſonitus, vel tinnitus, vel ſibili præcedant, qui a ſanguine exitum non reperiente agitato, ac ad auditorios meatus commoto fit, non autem ex flatu: quid enim ſonitus hi, ſi ex flatu fiant, ad profluvium ſanguinis, e naribus erumpendum? Hoc quoque Galenus videtur innuere, quum *in ſecundo Prorrheticorum* dixerit: *humorem ad caput aſcendentem facere tum deſipientiam, tum aurium ſonitus*. Hujuſmodi autem ſonitus in auribus in acute febricitantibus duo præcipue notare ſolet, delirium quippe ſæpe phreniticum, ubi præſertim ab humore in caput aſcendente fiant, qui ſane cum ſignis eruditatis, neque in die decretorio apparentes, cum viribus prælanguidioribus, letalem phrenitidem denuntiant. Atque hoc modo fortaſſe tales tinnitus auctor Coacorum præſag. intellexit, quum *in* 1. *Coac. præſag. text.* 193. dixerit. *Bombus in acutis & ſonitus aurium letalis*. Hujuſmodi vero judicium fit de tinnitu permanente, atque non de continuo ſilente, ſeu ceſſante, quod genus ſonituum in auribus in febribus hac ratione non fore timendum, Galen. *in tertio, de Compoſit. Medic. Cap.* 1. ſecundum loca prodidit. Aſſidui itaque ſunt timendi, utpote qui vel delirium denotant, vel ſanguinis e naribus futuram eruptionem. Delirium quidem denotant in morbi principio, atque etiam morbo prægreſſo plane

Aurium veri ſonitus quomodo a medicis quandoque vocentur.

Quid notant in morbis acutis.

Quinam ſunt timendi.

crudis

crudis exsistentibus humoribus, phreniticum, si cum signis phrenitidis, quæ superius prodidimus, atque gravitate aliqua in capite observata, præsertim in naribus, hoc enim humore repletum caput ii indicant, ex quo fit phrenitis, quæ plerumque, ut alias docuimus, est letalis. De his auctor Prorrheticorum *lib. 1. Text. 18. Si in ardente febre aurium sonitus cum caligine fuerit, proveneritque in naribus gravitas, mente ex melancholia aberrant*. In morbi tamen vigore, sæpe sonitus aurium sanguinis eruptionem significant, qui tunc temporis fit, sanguine in caput ascendente, qui ni excernantur a natura per nares, remanat in caput, inflammationemque ac delirium phreniticum parit. Vaporibus vero in caput ascendentibus tinnitus obortus simplex delirium tantum denotat, idipsumque *paraphrenesin* Grecis appellatum; quæ affectio non est continua, sed in accessionum declinationibus cessans. Decretorii vero aurium sonitus propriis signis cognoscuntur, quippe quod fiant in die aliquo decretorio, humoribusque, vel plane, vel magna ex parte concoctis, una cum viribus constantibus. Aliquando aurium sonitus indicant quum delirium tum sanguinem e naribus fluxurum, ut in *1. Coac. præsag. text. 194. Sonitus aurium cum hebetudine visus, & gravitate narium, mentem movet, & sanguinem e naribus brevi stillaturum esse significat*. Sed recte quoque postea auctor eorum librorum *Coac. præs. 131.* scripsit: *In ardentibus superveniens sonus aurium, cum alucinatione oculorum, & narium gravitate ex melancholia mente aberrant, nisi sanguis effluxerit*. Quod sane videtur esse verum, quando sanguine in caput ascendente, nisi foras excernatur, delirium cum inflammatione concitatur.

Sanguinis eruptionem quando significant.

Decretorii quomodo cognoscuntur.

Ab imaginatione læsa.

In morbis longis quod notant.

Demum sunt, qui desipientes læsa imaginatione tum sonitus in auribus, tum alios sonos se audire contendunt, hinc aliquos tibicinas abigi, ut Galenus observavit, jubere. Hi vero in numero delirantium reponuntur, ab ipsisque perinde, ac a deliriis judicium de futura salute fiet. In morbis vero longis, vel in iis qui adhuc non ægrotant, sonitus aurium plerumque gravem morbum minatur, magisque si cum capitis dolore, gravitate, aut vertigine, aut vocis tarditate, vel manuum torpore appareant, vel ab ipsis hæc fuerint subsecuta. Cum quibus auctor Coac. præsag. *text. 161.* sæpe apoplexiam, epilepsiam, vel oblivionem portendere tradidit, neque immerito, quum frigidorum crassorum in capite humorum multitudinem denotent; ex qua singula prædicta mala fieri posse, nemo in arte medendi exercitatus ignorat.

CAP. XI.

Quid fœtores in morbis, quidque cibos potusque graveolentes, insipidos, vel mali saporis ægrotis videri significet.

Fœtores in morbis quid.

IN morbis duobus modis fœtores observamus, in ægrotis scilicet, quod spectat ad assidentes, quorum odoratus offenditur, atque in oblatis quum cibis, tum potibus, tum pharmacis, quæ ægrotantium odoratus vitium detegunt.

tegunt. Aſſidentes vero ſentiunt odores ab ægrotantium corporibus, vel in excrementis, vel in reſpiratione, vel in ore, vel in naribus, vel in aliis partibus. In excrementis fœtores ſemper mali, ex Galen. *in tertio Epidemiorum*, qui fetida ſemper exitioſa eſſe affirmavit, & Hippocrates in *Prognoſticis pag.* 41. *lin.* 10. vomitiones omnes fœtidas maxime damnat: idque, quod, ut Galen. docet, graveolentia omnia putredinis ſint indicium, quam ſane cum nigro atque livido humoris colore exitium prædicere Hipp. *in ſecundo Progn. ibid.* tradidit; quoniam, ut meminit Gal. exſtinctionem caloris nativi indicat. At ſcitu dignum exiſtimo, prænoſcendos eſſe tum graveolentiæ gradus, tum humorum ſeu excretorum varietatem, quæ varium prædictionis judicium reddent. Nam etſi dicat Hippoc. in excretis per vomitum omnes putres graveolenteſque odores eſſe malos; attamen non omnes letales exſiſtunt, ſed qui impenſe graveolent, cujuſmodi ſunt alvi fluxus colliquativi vocati, quos in peſtilentibus febribus obſervamus. In morbi vero vigore, cum ſignis coctionis interim ſumme putres & graveolentes humores critice excernuntur. Reſpirationes autem graveolentes maxime exitiales obſervantur. Sed de his hæc obiter dicta ſufficiant, verum ſuis locis de his accuratius, ubi præſertim de graveolentia excrementorum ſermonem inſtituemus. Ægrotis vero omnes tum cibos tum potus, tum medicamenta oblata putrida atque graveolentia videri, malum, quod ſumme putridos humores intus in corporibus redundare denotet, quandoquidem odoratus non ſecus quam guſtus vaporibus a variis humoribus putridis ad linguam & nares, ſeu cerebrum exhalantibus, vitiatur, intuſque quod eſt vel odoris vel ſaporis, ut Philoſophi dicunt, prohibet extraneum, quod offertur odoris atque ſaporis, quin recipiatur & dignoſcatur. Ex qua re, tum naribus, tum lingua, vapore a ſumme putridis humoribus exhalante infectis, omnia, quæ tum odorantur, tum guſtantur, putrida videntur. Ægrotos quoque prorſus, ut etiam dictum eſt, deſtitui guſtu, etſi malum ſit, non tamen niſi exſtincta animali facultate id fiat, mortem præſagire poterit; quare hæc ex aliis ſignis, aut bonis aut malis, judicii capient certitudinem.

Cibos potus, medicamenta graveolentia videri, quid in morbis ſignificat

Eodem modo etiam, quum ægroti omnia ſibi oblata, amara, vel ſalſa, vel acria, eſſe putant; hæc enim non niſi redundantium humorum qualitates notant, nihil ad præſagium ipſorum obſervatione faciente. Sed jam ab actionum ſenſus tactus ſymptomatis Prognoſticum perſequamur.

CAP. XII.

Quid ſtupor, ſeu torpor, & ſenſus tactus deperditus ſignificent?

IN acutis morbis ſæpius partes corporis torpeſcunt, ſeu ſtupidæ redduntur; qui affectus duplex eſt, ſcilicet vel animi vel corporis; atque hic, vel aliquarum partium, vel totius corporis; eſtque ſenſus obſcurus, ſeu diminutus partis ſentientis, qui *ſtupor* appellatur. Etenim quæ partibus ſenſum adimunt, ſtupefacientia propterea vocamus, veluti motum diminutum *torporem* aliqui dicunt, etſi non pauci velint, confundentes utrumque, tam ſtu-

Torpor unde.

porem

porem, quam torporem, ſenſum motumque diminutum denotare, ut iis accidit, qui altero crurum compreſſo ſedentes illud ipſum paullo poſt ægerrime movent, & fere ſenſu deſtitutum ſentiunt. Fiunt vero, vel ut Gal. 2. *Prorrh.* 36. docuit, cerebro humefacto, vel refrigerato, vel ex humiditate atque frigiditate ipſo læſo, (quæ cerebri frigiditas duplex eſt, ſcilicet aut intemperies frigida ſimplex, vel cum materia frigida, aut exſtinctio caloris nativi;) vel quocumque modo intercepto ſpiritu, nec ad partem affluat, ut ſi nervi obſtruantur, ſi tamen verum ſit, eos pervios eſſe, vel ſi incraſſentur, aut comprimantur, veluti renibus inflammatis crura ſtupeſcunt compreſſis ab inflammatione nervis. Itaque ſi in principio pars aliqua obſtupeſcat, periculum eſt, ne vel paralyſis vel apoplexia oriatur, quod in 7. *Coac. præſ. text.* 476. ſic legitur: *Torpores & ſenſus privationes, præter conſuetudinem ortæ, futuras apoplexias denuntiant.* Quod ſane in acutis morbis maxime erit exitioſum, ni febris magna ſuccedat, quæ humidum tum abſumat, tum frigidum cerebrum calefaciat. Unde Hippocrates *in* 5. *Aph.* 5. dixit: *Si ebrius quiſpiam repente obmutuerit, convulſus moritur, niſi febre corripiatur.*

Stuporis & torporis differentia. Horum cauſæ.

Verum ut certe præſagias ex ſtupore in aliqua parte conſpecto, alia ſigna conſulito, quum a ſolo ſtupore nihil certi ad præſagium ſciri queat. Prægreſſo vero morbo, ſi a læſo nervorum principio ſtupor fiat, ſemper erit timendum, nam vel exſtinctum calorem nativum, vel noxium humorem ad cerebrum decubuiſſe, erit indicium. Ex quo in *lib.* 1. *Sect.* 1. *text.* 14. *Coac. præſag.* merito dictum eſt: *Torpores a multis rigoribus maligni*, quod hi fiant exſtinctione caloris nativi. A calidiſſimo morbo partes refrigerari, ſumme eſſe exitioſum Gal. *in* 3. *Epid.* docuit. Non minus pernicioſum forte eſt, noxios humores ad cerebrum nobile viſcus decumbere, ut Gal. *in lib. conſtit. art. Med. cap.* 18. ſcriptum reliquit. Cognoſcitur vero a cerebro læſo hoc malum fieri, quod præcipue capitis partes torpeant & ſtupidæ videantur. De quibus Gal. *in* 7. *Aph.* 14. ſcribit: *ſtupor vero eſt, quum neque loquuntur, neque agunt quicquam, ſed apertis oculis immoti manent, iis, qui metu & timore perculſi & attoniti ſunt, ſimiles.* Quem ſtuporem a vulnere aliquando fieri, atque malum quoque eſſe Hippoc. *Aphoriſm. ſect.* 7. 14. docuit. Mentis non minus ſtupor fit ab iisdem jam dictis cauſſis cerebro læſo, Galeno *in libro quinto Aphoriſmorum* docente. Ignaviaque eſt mentis ſtupor. Si partes vero infernæ, quibus nervi ex ſpinali medulla procedunt, ſtupore afficiantur, minus eſt malum, a quo nequaquam exitium, niſi una illuxerint alia letalia ſigna, timendum erit. Tamen interdum cerebro, ſanguinem ad ipſum per modum judicii aſcendente, læſo, partes aliquæ ſuperiorum ſtupent, ſanguinis eruptionem denotantes, & inferiorum aliquæ etiam, eodem modo natura critice noxios humores ad ipſos deponente, ſtupidæ effectæ, humoris metaſtaſin, ideſt, tranſmiſſionem criticam præmonſtrant. Diſtinguentur vero decretoriæ ab aliis, quæ exitioſæ ſunt, ſignis coctionis, virium robore, facili ægrorum tolerantia, atque morbi, ſymptomatumque allevatione.

Stupor quid in morbis ſignificet.

Stupor quando critice fit.

CA-

CAP. XIII.

De prædictione ex corporis caliditate.

QUoniam ad ſenſum tactus ſpectant caliditas, frigiditas, ſiccitas, humiditas, mollities, aſperitas atque colores, quæ omnia quum non minus quam alia nobis ad prædictionem faciant, optimum erit, de hiſce quoque nos agere, quod quidem nunc faciemus, a corporis ægrotantis caliditate exordientes ab ea enim tum ſalus, tum exitium, aliis non neglectis ſignis, præſentiri poteſt. Caliditas vero, quam nos ad Prognoſticum obſervamus, aut mitis tepidave, aut vehemens, & acuta exſiſtit, atque ipſa rurſum vel æqualiter in toto corpore, vel in quapiam tantum parte obſervatur. Mitis ac placida, perpetuo bona, ſi præſertim cum æquali totius corporis, (ut in Prognoſticis *p.* 39. *lin.* 32. Hippocrat. docuit) mollitie, aut quæ bene valentis calori ſit ſimilis. Alios ſiquidem recte valentes carnes ſubfrigidas, alios temperate calidas, atque alios intenſe calidas habere, obſervantur. Ex quo quidem ægrotantes, ſi calorem ſimilem recte valentium habuerint calori, bonum eſt. Hincque vehemens acutaque interdum caliditas, & aliquando moderata & ſubrigida in ægrotis laudari ſolet, ea inquam, quæ caliditati corporis antea benevalentis proxima videtur. Non ſecus quam urinæ, atque alia excrementa, ſi ſanorum excrementis ſimilia prodeant, bona exſiſtunt. Bonum igitur eſt ægrotantium corpora, quod ad calorem ſpectat, vel nihil vel parum alterata, aut mutata eſſe. Ex calore febrili, de quo fuſius poſterius loquemur, optimus eſt temperatus ſuavis, æqualis in omnibus corporis partibus, cum quodam humido, qui maxime nativo calori ſit ſimilis, quique ut Gal. *in* 2. *de natur. hum.* meminit, non modo temperate calidus, ſed etiam humidus exſiſtit, ad differentiam ignei acutique, qui a nativo maxime eſt differens. Ille itaque temperatus calor, optimus perpetuo erit, niſi nos morbi malignitas fallat. Nam ſunt ex malignis morbis plures, calorem blandum naturali apprime ſimilem habentes, intus nimirium concluſo calore, neque foras libere diffuſo; quamobrem bono illi calori corporis una totius æqualem mollitiem conjungi oportebit, de quibus Hippocrates *in Progn. ibid.* ait: *Optimum vero eſt, ſi corpus omne æque calidum, molleque eſt*; æqualis enim totius corporis mollities diſtinguit bonum calorem ab aliis, qui boni non ſunt. Poteſt enim caliditas in aliquo ægrotante temperata æqualisque videri, quum tamen a morbo malignisſimo proficiſcatur. Hanc vero denotabit corporis inæqualis mollities, quippe quod dura hypochondria plerumque obſerventur, minimeque etiam caliditas ea æqualiter in univerſo corpore eſt diffuſa: uti quum extremæ partes minus calidæ ſint, quam ventres, qui his ſunt calidiores. Itaque caliditas temperata æqualiter in toto corpore, cum æquali quoque mollitie, ſemper bonum ſignum erit, ſiquidem fieri non poteſt, quod corpus tali caliditate ac mollitie obſervatum exitioſe ægrotet, id enim viſcera phlegmone, obſtructionibus, intenſaque putredine carere, nobis certum erit indicium. Molle etiam æqualiter corpus obſervatum, diſtinguet a bona caliditate hecticam,

Caliditas, quæ ad Prognoſticum obſervatur, qualis eſt.

Calor in ægrotis quinam bonus.

Hecticorum caliditas quænam.

qua forte quod mitis placidaque ſentiatur, aliqui decepti ſæpe hecticos non dignoſcant. Hecticorum caliditati non mollities, ſed ſqualiditas potius ſolet conjungi. Hectica vero febris non iis ſolum cognoſcitur, at etiam ipſiuſmet caloris inæqualitate; quando ab aſſumto cibo Hecticæ febres, ut in 2. *Progn. text.* 60. Galen. meminit, exacerbentur. Optimus igitur erit calor temperatus, æqualiter per totum corpus diffuſus, cum æquali quoque mollitie. At nedum hic, ſed quin etiam intenſus vehemenſque calor per omnes corporis partes diffuſus in ardentibus febribus, quum proprium ardentium malignarum ſit (Galeno *in* 3. *Prorrhet. text.* 61. docente) ut eæ ſummas partes non calefaciant; vel non malignarum, ut totum corpus uſque ad ſummas partes æqualiter exurant: ſignificant enim hæ, ut Gal. ſcripſit *in* 7 *Aphoriſm.* viſcera vehementi carere inflammatione. Partes etiam quaſdam corporis plurimum in acutis morbis incaleſcere: ſæpe optimum eſt ad prænoſcendam ſalutem, maximeque cutaneas, ad quas ſæpe natura tum caloris æſtum, tum humores noxios deponit. Extremas corporis partes valde calidas, in talibus morbis ſentiri optimum non minus eſt, veluti oppoſitum ſi obſervatur in his, magnum malum: hinc peſſima eſt extremorum frigiditas in morbis acutis, itaque harum partium caliditas bona, ut ſignum exiſtit, quod denotet interna viſcera neque magno phlegmone, neque inflammatione, neque intenſa aliqua humorum putredine offendi, neque naturam multitudine crudorum humorum gravari, atque etiam ſignificet calorem febrilem viſcera reliquiſſe, parteſque longinquas invaſiſſe, vel noxios humores ad eaſdem detruſos fuiſſe; ad pedes enim caliditas deducta morbum declinaſſe in multis indicat: ex quo Hippoc. *lib. de rat. vict. in morb. acut. p.* 386. *lin.* 52. *& ſeq. & p.* 398. *lin.* 28. *& ſeq.* dixit, in declinatione febris, calore ad pedes deſcendente, ægrotis cibum eſſe offerendum. Extremarum partium caliditas quoque, cum rubore atque inflammatione, in acutis morbis, bonum. De qua Hippoc. *in* 3. *Progn. p.* 45. *lin.* 14. *Maxime vero juvantur, ſi cervix ac pectus traxerit ruborem, nec ſacer ignis intro recurrat.* Et paullo poſt *ibid. lin.* 20. *Securiſſimum vero eſt, ſi rubor quam maxime foras vertatur.* Sed jam, his præmiſſis, quomodo corporis caliditas exſiſtit, cum quo totum corpus liquatur, marceſcit, atque contabeſcit: qualis eſt hecticorum, quæ niſi, antequam ſolida corpora colliquaverit, corrigatur ac emendetur, plane ad exitium illos ducet. Hæc vero æqualis uniformiſque exſiſtit, acuta, non multum tactui ſenſuique manifeſta, ex quo multi propterea has febres in principio non cognoſcunt. Diximus vero ſuperius Galenum hujuſce caloris tale ſignum docuiſſe, quod in 2. *prog.* 60. ita habet. *Per febres hecticas partes ipſæ corporis ſolidiores ignitæ evadunt, ob id igitur aſſidue febris in ſeiſpa manet, calorem obtinens perinde ut calx, debilem contingentibus.* Itaque quoties eſitant ac bibunt, ſimile quiddam accidit, quod in calce evenit acqua perfuſa, quo fit, ut contingentes exterius ægrum multo calidiorem perſentiant. Hæc vero totius corporis uniformis caliditas, quæ cum aſſidua febre eſt tepida, vel ſubrigida apparens, ſuſpecta erit, quod indicet totum incendium intra viſcera contineri. Galen. ex Hippocrat. *in ſecundo de ratione victus in acutis, & in primo libro Prognoſticorum p.* 37. *lin.* 43. dixit: *Corpus*

Calor in ægrotis quinam optimus.

Caliditas quænam mala in ægrotis.

in

in acutis febribus non admodum pro ratione febris calere, membraque frigida vel tepida nudare, perinde ac si incendio conflagrarent, malignitatis esse signum. Hujusmodi tepida caliditas, etsi numquam bona, tamen per se sola nihil certi præsagit, veluti etiam vehemens facit caliditas, quæ etsi per se mala semper sit, non tamen certi quicquam ad exitium prædicendum habet, ac quinimmo non raro post rigorem corpus valde incalescere, crisis proximæ nobis est indicium, proinde ex aliis signis certitudinem capiet. Vehemens vero corporis totius, vel thoracis tantum, vel ventris caliditas, pernicioſa, si diu durat; resolvit enim vires, siccat, colliquatque, a qua quidem, si corpora convellantur, exitium prædicit, quando exinde ortæ convulsiones, quod fiant siccatis nervis, omnes sint letales, ex quo Hippocrat. *in septimo Aphor.* 13. dixit: *Ab æstibus fortibus convulsio, aut tetanus, malum.* Vehemens quoque caliditas tum in facie tum in hypochondriis, tum in thorace, pessima exsistit: hæc enim visceris alicujus, illa autem cerebri phlegmonem indicat, quamquam non semper flammans facies phlegmonis signum exsistat, & quinimmo sanguinis criticæ eruptionis indicium, cui signo signa alia deteriora respondere debebunt: si vero hæc signo aliquo apparuerit pernicioso, perniciem ostendet. De qua in *lib.* 1. *Prorrh.* 49. legitur: *Faciei color bonus, & mastitia multa, malum.* Etenim, ut ait Galenus, quum florida quidem facies apparuerit, ægerque valde tristis fuerit, quædam in cerebro valde calida affectio esse videtur, quæ sanguinem exurit. Cum sudore vero facies valde flammans, malignitatem Galen. indicare prodidit; & merito exitium præmonstrabit, quum ea cerebri magnum phlegmonem denotet, qui inter letales morbos recensetur, sicque sudor, qui nihil juvat, unum ex signis exitialibus est. De hac auctor Prorrheticorum *lib.* 1. 67. *Æstuosi rigores quadamtenus pernicioſi, flammans quoque cum sudore facies in his mala.* In ventre vero atque thorace æstus, seu intensa caliditas semper mala, nam ibi adesse testatur morbum sæpe magnum, ac letalem, ut quando ex visceris magno malignoque phlegmone procedit; quod si est, extremæ partes vel tepescunt, vel frigescunt, de quibus *in primo Prorrhetic. text.* 7. *Qui in hypochondrio refrigerata febre ardores relinquuntur, tum alias, tum in sudoribus; mali sunt.* Et Hipp. *in* 4. *Aph.* 48. *In febribus non intermittentibus, si partes exteriores frigidæ, interiores urantur, & sitim habeant, letale.* Circa ventriculum vero cum cordis morsu æstuosos calores pernicioſos esse, Hippoc. *quarto libro Aph.* 65. tradidit. Item æstus laterum cum dolore, atque rigore, damnat auctor Prorrh. *lib.* 1. 66. *Lateris siquidem æstus* (ait Galen.) *cum dolore signum est phlegmonis, quæ partem eam infestat, si vero & rigor ipsis supervenerit, suppuraturum exspecta phlegmonem.* Visceram autem phlegmonum suppuratorum rari sunt, qui sanentur: nulli, viribus jam prælanguidioribus factis. Corpora etiam quum ex aliqua prægressa evacuatione, si nedum calore febrili liberentur, at magis recalescant, malum esse tradidit auctor Prorrhet. *lib.* 1. 66. quum dixit: *Si ex perfrictione sudantes recalescant, malum. Ex his quoque æstus doloroſus, & rigor superveniens, malum.* Gal. enim in comm. ait: *Si in morbo quis, postquam sudaverit, frigidior quidem protinus, quam*

Quænam pernicioſa

naturæ conveniat, fiat, rursusque febricitet, non sine periculo afficitur. Sicut auctor Pror. paullo post *ib. 68. Si in sudoribus vigiles recalescant, malum.* Quod in 2. *coac. præsag. text.* 41. hisce verbis expressum est: *Exsudantes, vigiles, recalescentes, malum.* Sed de his nunc satis; addamus refrigerata corpora vix recalescere, summe in morbis acutis esse pernicioſum; exstincto enim nativo calore vel resoluto, vel suffocato, id fit: non minus etiam letale videtur, si in extimis summisque partibus observetur, quippe eas refrigeratas vix recalescere. Hinc *in primo Epidemiorum pag. 940. lin.* 5. Hippocr. ait: *Frigebant his multum extremitates, vix his calor revocari poterat.* Corpora quoque cito incalescere & frigefieri, malum itidem est signum. Significat enim, ut Galen. docet, morbum summe malignum, quod si non letalem, morbum saltem longum fore præsagit: in acuto vero morbo, qui cito vires resolvit, exitium portendit. Sed jam tempus est, ut ad prædictionem ex corporum frigiditate veniamus.

CAP. XIV.

Ex frigiditate corporum quid præsagiendum.

Frigiditas corporis quænam optima.

FRigiditas corporis, quæ potius sit moderata caliditas, post aliquam bonam evacuationem, pulsu reddito meliori ac vehementiori, apparens, optima est. Sublatam enim febrem esse critice denotat. Item refrigerata seu sedata febris caliditate, cum urinis coctionem denotantibus, vel sputis, vel alvi dejectionibus, (ubi morbus vel venosum genus, vel partes spirituosas, vel ventrem occuparit) pulsu ut jam dictum est meliori reddito, optimum est, tuto enim sanitatem rediisse significat. Frigiditas vero nonnumquam critica observatur, optimam crisin præcedens, de qua

Raro bona.

postea. Sed raro tamen contingit, ut quicquam boni corporis frigiditate præsagiamus. Hæc vel in toto corpore, vel in externis partibus observatur; plerumque continuis febribus est exitialis: attamen in quibusdam corporibus robustissimis non exitium, sed longitudinem præmonstrat. In præ-

Quando letalis.

languidis vero perpetuo letalis; si scilicet morbus præsertim magnus vehemensve fuerit: quæ vero sit exstincta facultate, exitium proximum præsagit. Sed ab hac causa fieri, signa alia exitiosa præmonstrabunt. Aqua inter cutem laborantes non pauci observantur, præsertim ascite & leucophlegmatia, qui corpus fere totum frigidum habent, & non minus in suppuratis, moribundis. Illi enim fere totum corpus algidum habent, quod iis contingit, plurimo innati caloris resoluto, vel uti illis ex frigido

In quibusdam ægrotis non verenda.

humore evenit. Verum in extremis partibus ea frigiditas nihil certi perpetuo prodit ad Prognosticum. In quibusdam enim ægrotis non acute ægrotantibus hujusmodi frigiditas non est admodum verenda. In morbis enim, ait Galen. qui sunt sine febre, & hieme, & in ætate senili partes extremas corporis, veluti nares, aures, pedes, manus frigefieri, nihil absurdum; quippe, ut ait Galen. 2. *Prognostic. text.* 4. quæ carne vacant ex natura, longeque sunt a visceribus positæ: non tamen in acutis, mediocre est malum; per illas enim calor nativus, præ debilitate nequaquam permeat ad extremas corporis partes; in morbis vero acutis, propter inflammationis

magni-

magnitudinem in viſceribus fatigantis, parum ſanguinis in omne permeat corpus. In his itaque morbis corpus algidum eſſe, & nedum ipſius extrema, ſed totum inquam peſſimum eſt, niſi ab acceſſione id fiat: ea enim vel exſtinctum, vel multitudine humorum fere ſuffocatum calorem naturalem nobis indicat, cum qua frigiditate multa alia ſimul letalia aderunt ſigna. Frigidi quidem multi ex moribundis apparent, cum deſudationibus, viriumque languore. Hi quidem vehementer tum frigidi, tum duri apparent, ſi ab exſtinctione caloris, ex quo auctor Prorrheticorum *lib.* 1. 77. dixit: *Refrigeratio cum duritie, malum*. Idem accuratius ab extremis corporis partibus frigeſcentibus rurſum nunc perſcrutemur.

CAP. XV.

De prædictione ex frigiditate extremarum partium corporis.

EXtremæ corporis partes, quas Hippoc. *in* 2. *Prognoſt. p.* 39. *lin.* 30. vocat *caput, manus & pedes*, & Gal. diſtinctius 7. *aphor.* 1. *nares, aures, pedes ac manus*, in acutis morbis frigeſcere ſolent, ex nativi caloris vel contractione, vel reſolutione, vel oppreſſione, ſeu ſuffocatione, aut demum exſtinctione. Contrahitur intus ad viſcera calor, extremaſque corporis partes relinquens, mediaſque quippe thoracem & ventrem calefaciens, vel ob inflammationis ac eryſipelatis magnitudinem in viſceribus fatigantis, ut Gal. meminit, caliditateque ſanguinem per modum curcurbitulæ ad affectam partem attrahentis, vel propter fortem dolorem in corde, in ventriculo, in colo, in tenuibus inteſtinis, in utero, in renibus, aut demum in acceſſione, ubi natura in internis partibus copiam humorum foras extrudendam aggreditur, ex quo aliquando ſalutem, & aliquando exitium præſcimus, prout prævalidam naturam, & prælanguidam tunc eſſe contingit. Reſolvitur vero a maximo calore, vel ab ingenti dolore, aut ex immodica evacuatione, vel a venefico ſucco aliquo cor atque os ventriculi lædente, vel ab immoderata lætitia continuo oborta. Opprimitur etiam nativus calor, vel ſuffocatur in viſceribus, ex quo ceteræ aliæ partes ab ipſis remotæ, ſolito calore carentes, refrigerantur, aut copia plurimi alimenti, ſeu ciborum ore ventriculi gravato, ſeu vehementer a mordentibus humoribus (Galeno *in ſecundo text.* 45. *de ratione victus in acutis* docente) commorſo, vel a multitudine vitioſorum ſeu crudorum humorum in viſceribus contentorum, calorem fere ſuffocantium, vel exinde inſigniter oppreſſo; non ſecus atque fit, ſi ſupra ignem viridium lignorum magnam copiam conjeceris, qua is nedum non augetur, ſed ſuffocatur atque diminuitur: eadem etiam copia humorum in viſceribus concluditur calor, quo minus ad extimas partes permeare queat, quippe venis, arteriiſque exinde obſtructis, per quas calor a viſceribus ad illas partes diffundebatur, febreſque hoc modo obortas *leipyrias*, alii *aſaphodes*, ideſt, obſcuras, & latentes, atque alii foris mites, intus conturbantes, appellant, quippe quum a multitudine putridorum humorum, vel a mul-

Extremarum corporis partium frigiditas unde.

tis frigidis, crudiſque, & craſſis, humoribus calorem ſuffocantibus, vel in viſceribus ab oborta phlegmone, vel ex venefica putredine fiant, omnes cum partium extremarum frigiditate, vel ſaltem ſubfrigidis, vel non calidis iiſdem partibus, apparent. Exſtinguitur quoque, ut jam diximus, nedum per ſtrangulationem, ſuffocationemve nativus calor, ſed non minus ab intenſa tum frigiditate, tum venefica qualitate nobis occulta, qua vita noſtra corrumpitur, quod devoratis venenis quum frigiditate, tum ex proprietate totius ſubſtantiæ interimente obſervatur. Demum calore naturali in ſolidis partibus qui ſedem, ut Galen. meminit, habet, a majori vel flammea caliditate humidorum, quo ipſe calor conſervatur ac vivit, abſumente, reſoluto ac diſſipato, ut in hecticis, vel a viſceris alicujus ingenti dolore calorem naturalem viſceris corrumpente ac reſolvente, de quo merito ſcripſit Hippoc. 7. *Aphor.* 60. *In forti dolore ventris, partium extremarum frigiditas, malum.* Vel denique a quapiam immodica corporis, aut arte procurata, aut ſponte facta vacuatione, ut in Syncope fit, homines refrigeratis extremis moriuntur, atque demum ex apertis arteriis reſoluto calore. Sed jam his auditis, ad frigiditatis partium corporis extremarum prognoſin deſcendamus. Quæ ſi frigeſcant, natura criſin cum bonis ſignis aggrediente, ſalutare erit. Verum in acceſſione periodica, & in morbis longis quicquam certi ad prognoſin frigiditas partium extremarum non habet, neque in ſenibus; per hiememque extrema frigeſcere non eſt exitiale. *In acutis vero non mediocre eſt malum, ſed valde perniciosum ſymptoma, utpote, quod magnis ſuperveniat viſcerum inflammationibus*, ut Gal. 7. *Aph.* 1. tradidit. Excipitur tamen frigiditas extremorum a cibo intempeſtive aſſumto, vel ab acceſſione aliqua ortum habens, in qua nedum extrema, ut Galenus *in ſecundo Prognoſt.* docuit, ſed cutis quoque circum coſtas & ventrem poſita frigida redditur. Extremorum vero frigiditas aliquando in principio una cum morbo incipit, quod ſymptoma in vagantibus hoc anno febribus malignis multis vidimus, quæ vel ab intenſiſſima putredine, perinde ac a veneno viſcere aliquo læſo, atque exinde naturali calore vel admodum reſoluto, vel intus ea de cauſſa retracto, vel a multitudine valde putridorum humorum fere ſuffocato, aut denique ex crudis pituitoſisque humoribus ſuccenſa febre, veluti in amphimerinis obſervatur. Quare extremorum frigiditas perpetuo in febribus continuis eſt mala, quæ ni exitium, ſaltem morbi malignitatem denotet, plerumque vero exitium. Malignitatem tantum præſagit in principio una cum febre apparens, quæque non admodum vehemens ſit. Symptoma propterea eſſe malignarum febrium pathognomonicum, Medici affirmant, cum qua ſæpe ægroti non multum ſitiunt, neque linguam habent admodum ſiccatam, & ipſa interim æqualis temperata per totum morbi tempus, interim inæqualis, modo parva, modo aliquantulum aucta obſervatur. Quæ vero non in principio apparet, ſed poſtea in die critico cum ſignis decretoriis, criſin prænuntiat, aut febris continuæ mutationem in intermittentem. Cum malis vero ſignis, perpetuo mala, peſſimaque in die decretorio eſt frigiditas intenſa, diu durans. Itaque extrema refrigerata, vix recale-

Extremarum partium corporis frigiditatis Prognoſis.

ſcere,

ſcere, letale eſt. De quibus Hippoc. *in* 1. *lib. Epidemiorum p.* 940. *lin.* 5. *com.* 2. *text.* 28. *Frigebant his multum extremitates, ac vix calor his revocari poterat*; atque *in* 3. *lib. p.* 1085. *E. com.* 3. *text.* 38. *Extrema pedum ac manuum his frigidiora erant, & multo maxime circa acceſſiones, quibus calor pedetentim, nec probe redibat*. Et de tabidis ad exitium inclinantibus *ibid. p.* 1089. *E. Multum vero frigus erat, & vix eis calor revocari poterat*. Et *in lib.* 1. *Prorrhetic.* 65. *Ex rigore refrigerationes, quæ non recaleſcunt, malæ*. Quod in *Philiſco* Hippoc. *Epid.* 1. *text.* 18. *p.* 966. *Ægr.* 1. obſervavit, de quo ait: *Extremitates undequaque frigebant, nec jam ad calorem iſtæ amplius redibant*. Quod & *Sileno lib.* 1. *Epidem. p.* 969. *Ægr.* 2. & aliis eveniſſe ante exitium Hippoc. in *Epidemiis* memoriæ prodidit. Frigiditas vero in proxime moribundis non ſecus quam in marmoreo lapide obſervatur, atque non raro cum duritie & livore. Durities ſiquidem cum vehementi frigore in corporibus ex letalibus ſignis habetur, ut *in Prorrhet. lib.* 1. 77. docetur, de qua Gal. *in comm.* 2. *text.* 5. *Refrigeratio autem ſi ita violenta fuerit, ut tota omnino refrigerentur corpora, indureſcantque, exſtinctionis ſignum exſiſtit*. Non minus cum ea frigiditate extrema livida ſpectari, exitioſum eſt; etenim hoc ſymptoma omnium eſſe exitioſiſſimum, alias demonſtrabimus, atque in foribus mortem denotare. Significat autem in his lividus color exſtinctionem caloris nativi, ut Gal. docuit, qui *in* 3. *Epidem. text.* 8. extremarum partium frigiditatem, una cum lividitate, in febribus acutis, mortis apertum eſſe ſignum affirmavit. De quibus Hippocr. *in* 2. *Prognoſt. p.* 39. *lin.* 36. *& ſeq. Si corpus adeo grave, & ut ungues ac digiti lividi ſint, exſpectanda continuo mors*. Et poſtea, *Si digiti ac pedes omnino nigreſcant, minus peſtiferi ſunt, quam ſi liveant*. Idque non immerito, nam lividitas in his partibus ſemper ab exſtinctione caloris nativi fit, nigredo non ſemper, quandoque enim a nigro humore ad illas partes decumbente. Quare cum extremarum partium refrigeratione lividitas quoque ſi acceſſerit, ſignum erit maxime letale, paulloque poſt exitium futurum, præmonſtrabit. Quod Hippocr. in *Philiſco, lib.* 1. *Epidem. p.* 966. *Ægr.* 1. *Sileno, ibid. p.* 969. *Ægr.* 2. *muliere anginoſa apud Ariſtionem decumbente lib.* 3. *Epidem. p.* 1075. *Ægr.* 7. *Eraſino, lib.* 1. *Epidem. p.* 984. *Ægr.* 8. *Filia Euryanactis, lib.* 3. *Epidem. p.* 1073. *Ægr.* 6. *Adoleſcentulo*, in foro mendacium, *ibid. p.* 1076. *Ægr.* 8. moribundis obſervavit. Sitis quoque intenſa cum calore vehementi in thorace, vel in ventre, extremis quidem partibus algentibus, maxime pernicioſa judicatur, quod in viſceribus vehementiam inflammationis, ut ait Galenus, ſignificet, qui *in* 7. *Aphoriſm.* hujuſmodi ſymptomata accidere magnis viſcerum inflammationibus ſcribit. Quam rem Hippocr. prodidit in 2. *progn. pag.* 39. *lin.* 30. dicens: *Si caput ac pedes frigidi ſunt, ventre coſtiſque calentibus, malum*. Et Galenus in commento ait, *nedum malum hoc eſſe, ſed letale*. Quod Cornelius Celſus ad unguem ſic expreſſit: *Cui febre æque non quieſcente exterior pars friget, interior ſic calet, ut etiam ſitim faciat, letale*. Ex pernicioſis quoque ſignis cum refrigeratione extremorum quam plura alia exſiſtunt, partim a nobis alias dicta, &

Extremorum frigiditas una cum malis ſymptomatibus exitioſa.

partim inferius ſuis locis dicenda, cujuſmodi ſunt, capitis aut viſcerum dolor vehemens & aſſiduus, vigilia, coma, delirium ferinum vel obſcurum, amentia, oblivio, ſurditas, cæcitas, convulſio, tremor, aphonia, ſingultus, inquietudo, anxietas, reſpiratio difficilis atque frigida, ex ore præſertim, atque e naribus, urinæ turbidæ non clareſcentes, nigræ, cum nigro ſuſpenſo, albæ, aquoſæ, lucidæ, interceptæque, ſtillæ ſanguinis e naribus, vomitus virulenti, dejectiones malæ ac copioſæ, nihil conferentes, & hujuſmodi alia. Hæc ſingula cum extremorum frigiditate conſpecta exitium nobis portendent, & quo plura ſimul, eo certius ac citius. De his in *Sileno* Hippocrates 1. *Epidem. pag. 969. Ægr. 2. Sexto caput parum exſudavit, extremitates algebant, liveſcebant, multum ſeſe jactavit, alvus nihil excrevit, urinæ reſtiterunt, febris acuta*: Et de *Pythione* in Thaſo mortuo *lib. 3. Epidem. p. 1098. Ægr. 3.* decem diebus: *altero die ſub meridiem extremæ partes frigebant, præter ceteras manus & caput, obmutuit, voce defectus eſt, diu brevi ſpirans, rediit calor, ſitiit; nocte quievit, circa caput modicum ſudavit*. Ex omnibus vero his ſignis diximus perpetuitatem refrigerationis, magnitudinem ſeu vehementiam, duritiem, lividitatem ſigna eſſe longe omnium maxime pernicioſiſſima, exſtinctionemque caloris nativi denotare. A ſymptomatis etiam, quæ præceſſerunt, exitii prognoſticum indagatur, ut quando a rigore frigeſcunt eæ partes, minime recaleſcentes, de quibus, ut dictum eſt, *in Prorrhetic. lib. 1. 65. Ex rigore refrigerationes, quæ non recaleſcunt, mala*. Ex malis vacuationibus extrema admodum algere, eſt pernicioſum: præſertimque ſi eæ quoque fuerint letales, quales ſunt ſtillæ ſanguinis e naribus, ſudores frigidi, in capite deſudationes, urinæ aquoſæ, lividæ, ictericæ, turbidæ non reſidentes, lividæ, nigræ cum nigro ſuſpenſo, & plane ſuppreſſæ, dejectiones pingues, liquidæ, valde fœtidæ, aſſiduæ, vel in immodica copia exeuntes; ſputa nigra, livida, viſcida, maxima difficultate educta, atque plane intercepta. Similiter ab omnibus malis ſymptomatis, quæ nuper, dum mala ſymptomata recenſuimus, prodidimus, refrigeratio in extremis eſt pernicioſa. Quod ſane nedum ab his ſignis malis, quæ præceſſerunt, at ſimul etiam cum refrigeratione concitatis, non minus & ab his, quæ extrema refrigerata ſequuntur, cognoſcitur. At extremorum refrigerationem multa ſymptomata exitium cum ipſa ſignificantia ſubſequi ſolent. Et quod ad refrigerationem: primum eſt, ut ſi frigiditas ea, primum moderata, mox admodum vehemens atque intenſa reddatur, quod, ut ex Gal. meminimus, ſignum prælanguidæ facultatis exſiſtit: ſecundum quod illa frigiditas numquam amplius aut parum recaleſcat. De quo in *Philiſco* moribundo Hippocrat. in 1. *Epidem. pag. 966. Ægr. 1. Extremitates undequaque frigebant, nec jam ad calorem amplius redibant*. Et in Sileno *pag. 969. Ægr. 2. Septimo obmutuit, extremæ partes non amplius redierunt ad calorem*. Demum pars vehementer refrigerata liveſcit, atque aliquando indureſcit; quod ſi fiat, diuque permaneat, in foribus, ut dictum quoque eſt, ſcito eſſe exitium. Idem prædicant ſubſecuta, & coma, amentia, oblivio, ſurditas, cæcitas, convulſio, tremor, aphonia, ſudores frigidi, præſertim in iiſdem extremis partibus refrigeratis, qui ſane

Extremorum frigiditas cum malis ſubſequentibus ſymptomatibus exitioſa.

ſolius

ſolius ſyncopes ac mortis proprii videntur, vacuationes non bonæ, ægros non ſublevantes, vel interceptæ, reſpiratio difficilis, atque alia hujuſmodi, quorum multa in *Sileno* moribundo Hippocr. poſt extremorum refrigerationem obſervavit, quæ hiſce verbis expreſſit: *Sexto caput parum exſudavit, extremitates algebant, liveſcebant, multum ſeſe jactavit, alvus nihil excrevit, urinæ reſtiterunt, febris acuta. Septimo die obmutuit, extremæ partes non amplius redierunt ad calorem, nihil minxit. Octavo frigidus toto corpore ſudor, papulæ cum ſudore rubentes, rotundæ, parvæ, varis ſimiles permanebant, nec abſceſſum efficiebant, alvus parvo irritamento ſtercora tenuia, veluti incocta, multa, cum labore reddidit; urinas reddebat cum dolore mordaces; extremæ parum recaleſcebant; ſomni tenues, comatoſi; obmuteſcebat; urinæ tenues, perlucidæ, obiit undecimo.* Quare ſi extremorum refrigerationem pernicioſa hujuſmodi ſymptomata, vel præcedant, vel ſimul illuceant, vel ſubſequantur, ſine dubio exitium prædicendum erit.

CAP. XVI.

De caloris ad frigus, & frigoris ad calorem in corporibus acute ægrotantibus mutatione.

SÆpe in acutis morbis fit, ut interim totum corpus a calido ad frigidum, & a frigido ad calidum mutetur, atque hoc aliquando ſenſim, & aliquando repente. Repente mutari ad frigidum corpora, niſi acceſſione id fiat, ſemper malum: aut enim, ut nuper dictum eſt, calorem nativum reſolutum, aut multitudine crudorum humorum ſuffocatum, vel impeditum; quo minus, vaſis obſtructis, foras expandatur, vel denique maligni humoris viſcus nobile laceſſentis, vel vehementis inflammationis ratione intus totum collectum eſſe ſignificat. Reſolutum conjicimus, ſi prius reſolutionis aliqua cauſa præceſſerit, uti febris vehemens, aſſidua, vigiliæ item aſſiduæ, dolores ingentes, immodicæque vacuationes quum ſanguinis, tum humorum. Suffocari plenitudo indicabit, crudorum humorum multitudine, venas arteriaſque obſtruente. Foras non expandi, notæ omnes hanc humorum multitudinem ſignificantes. Intus vero acri vel maligno humore os ventriculi, cor, vel aliquod aliud membrum nobile affligente, retrahi, dolores juxta afflictæ partis regionem, faſtidia, angores, nauſeæ, vomitus virulenti, bilioſi, animi defectiones, anxietates, vigiliæ, pulſus ſumme inæquales, prælanguidique, contracti, ac hujuſmodi alia præmonſtrant, uti in iis, quibus a vermibus, vel acri ſucco, os ventriculi mordetur, obſervari poteſt. Ubi retractionis caloris cauſa eſt inflammatio quæpiam interna, ex calore partium internarum, atque a propriis ſignis cognoſcemus, quod Cornel. Celſus ex Hippocr. ut ſuperius diximus, expreſſit, quum dixerit: *Extremarum refrigerationem internis partibus ſic caloris incendio æſtuantibus, ut ægroti ſitiant, eſſe letalem.* Hæc namque refrigeratio inflammationem internam, & eam quidem maximam pro cauſa habet. Quocumque vero modo, ut diximus, corpus refrigeretur, numquam bonum, ſed ſæpius ſumme exitioſum erit exiſtiman-

Corporum ad frigidum mutatio quando mala.

ſtimandum, omniumque maxime, ſi diutius frigus perſiſtat intenſiuſque, & tandem cum duritie, vel lividitate, uti dictum eſt, prodeat. Nam tunc in foribus eſſe exitium denotabit. Continuo etiam ſeu repente partes calidas refrigerari, ſemper malum, illa excepta extremorum refrigeratione, quæ, natura critice humores ad excretionem invadente, prodit; ſæpe enim ante criſin futuram, maligno humore ad viſcus nobile irruente, atque defluxo, refrigerantur extrema, qui exinde a natura aliunde ad ignobiliorem partem compellatur, fere numquam ea tollitur in extremis refrigeratio aut tarde, & parum quidem partes eæ refrigeratæ recaleſcunt. Contra refrigerata corpora æque ſenſim ad calidum mutari, optimum eſt: nam neque intus laceſſere malignum, vel acrem, humorem nobile viſcus, neque aliquam adeſſe inflammationem, & nihil intus fieri impedimento calori, quin ad quamcumque partem corporis æque defluat. Inæqualiter vero corporis partes calefieri, numquam bonum, & ſæpe peſſimum ſymptoma creditur. Repente etiam ſæpius extimas corporis partes, crebriuſque modo ad calidum, modo ad frigidum, & contra modo ad frigidum, modo ad calidum permutari, in malignis morbis peſſimum eſſe, Hippocrat. ſtatuit, veluti etiam minus malum exiſtimatur, in aliis ſymptomatis etiam conſimiles fieri mutationes. De his auctor *Prorrhet. lib.* 1. 43. ita habet: *Summæ corporis partes ſi celeriter in utramque conditionem permutentur, malum.* Sitis quoque hujuſmodi mala eſt. Et Gal. in *commento* ait. In morbis autem ſumme malignis, permutatio harum hora una ad contraria efficitur, interdum quidem ut hieme frigeſcant, interdum vero tamquam æſtate caleſcant. Id autem contingit quum propriam caliditatem non habuerint, atque a febrili calefiant, quæ a corporis medio incipiens, flammæque ſimilis corpus totum depaſcens, extrema concalefacit, quæ & quum tranſpiraverit, ſtatim ea refrigeſcunt, exſtincta ſcilicet naturali caliditate. Hujuſmodi vero corporis celeres caloris frigoriſque mutationes, item coloris, ac cujuslibet alterius ſymptomatis, ſæpe multiplices affectus in corpore collectos præmonſtrant, quos devincere natura quum nonniſi longo tempore queat, ideo morbi longitudinem oſtendunt, quod *in* 4. *lib. Aph.* 40. ab Hippocr. hunc in modum ſcriptum eſt: *Et ubi in toto corpore mutationes, ut ſcilicet corpus refrigeretur, vel rurſus caleſiat, longitudinem morbi ſignificat.* In morbo vero acutiſſimo ac vehementi naturæ cito a vehementia morbi exſtinctæ tempus ſubtrahitur, ita ut prius ipſa morbo exſtinguatur, quam morbum vincere poſſit. Et hinc eſt quod in morbo ſumme maligno hujuſmodi mutationes Gal. *in Prorrhet.* dixit eſſe letales, eaſque exſtinctione naturalis caliditatis fieri. Aliorum etiam ſymptomatum mutationes obſervari, ut ſitire & non ſentire, & contra; ex quietudine in inquietudinem & contra; ex vigilantia in ſomnum, & contra; ſapientes ægrotos in deliros, & e deliris ſapientes fieri. Mutari etiam ſymptomata, ita ut modo capitis adſit dolor, modo ventris, modo crurum, modo dolor deſinat, & delirium accedat, & hoc ceſſante, aliud ſymptoma appareat. Horum ſymptomatum permutationis cauſa generalis eſt μετάπτωσις, ideſt humorum transflu xus; viciſſim namque facta migratio modo in hanc corporis partem, modo in illam, quaſi humoris turgentiam hanc, μετάπτωσιν dicas, quæ per ſe ſola nullum aliud, quam turgens humor

Corpora refrigerata æque ſenſim ad calidum mutari.

Caloris frigoriſque celeres mutationes.

Symptomatum mutationes quid notant.

Harum cauſa generalis.

humor faciat, prognoſticum denotat. Verenda vero ſemper quælibet humoris turgentia, quod principis alicujus partis læſionem minatur, ex quo Hippocr. atque cum eo Galen. & omnes alii Medici, turgentes humores, ne irruant in partem principem, continuo vel etiam in principio morborum, quo tempore omnia cruda exſiſtunt, medicamentis purgari oportere, in *aphoriſmis Hippocr. Aphor. Sect.* 1. 22. præceperunt. Cum ſignis vero coctionis illa permutatio caloris, frigoris, coloris, & aliorum etiam ſymptomatum, criticam humorum perturbationem oſtendit, atque in hunc ſenſum forte *in Coacis præſagiis text.* 125. illud erit intelligendum, quod ſic ſcriptum eſt: *Color, qui ſæpe cum calore variat, utilis*. In malignis morbis hæ mutationes ſolent eſſe utiles, ſ. in melius fiant, quod Hippocrat. *in Epidemiis lib.* 5. *ſect.* 6. *text.* 16. ita dixit, *In morbis, qui* παλίμβολοι, *ideſt, doloſi ſunt, mutationes juvare* Foeſius ſcribit ἐν τοῖσι παλιμβόλοισιν & vertit, *in inconſtantibus*, aut *refractariis*.

CAP. XVII.

De prædictione ex humiditate corporis, & ſiccitate.

EX humiditate totius corporis, atque partis, ſæpius in acutis morbis eventus præſcimus. In purulentis phthiſiciſque, ſæpe ante exitium multa humiditatis copia aliquando totum corpus, & aliquando crura, ventremque repleri obſervamus, ex quo aquam inter cutem, quod ex magno oriatur caloris languore, in acutis, vel ex acutis morbis, letalem eſſe, Hippoc. docuit: *Aqua enim inter cutem*, (ait *in Prognoſticis p.* 39. *lin.* 16.) *omnis, ſi ex acuto morbi exſiſtit, mala eſt, non enim ſedat febrem, ſed dolorem admodum infert, ac mortem*. Eodem modo ſiccitas, ariditas, duritieſque totius vel alicujus partis corporis ſæpe infelicem morbi præſagit eventum. Siccitatem ſiquidem totius, & gracilitatem ab ardente febre longa ſecutam, corporis hecticum habitum, ac ab eo poſtea exitium præſagire, nemo eſt in medicina verſatus, qui ignoret. Ex fronte, lingua & aliis partibus admodum ſiccatis, non raro nobis exitium præmonſtratur, ut Hippoc. in *Melibæa lib.* 3. *Epidem Ægr.* 16. *p.* 1117. *adoleſcente* moribundo obſervavit, in quo ante mortem cutis frontis præarida, ac tenſa viſa eſt. Sed de his accuratius nos poſterius ſuis locis, præſertimque ubi de predictione ex partium corporis obſervatione ſermonem inſtituemus.

Humiditas quid præſagit in morbis.

Siccitas quid in morbis notat.

CAP. XVIII.

De prædictione ex doloribus, qui in acutis morbis obſervantur.

DOlorem, quod voluptati opponatur, triſtem moleſtumque eſſe ſenſum, Galen. *in* 1. *de Elementis* docuit. Hic vero multiplex obſervatur, alius enim cum pulſu, alius cum ponderis incumbentis ſenſu, alius cum tenſione, alius cum eroſione, inciſione, punctione, perforatione (quæ differentiæ ſub-

Dolor multiplex obſervatur in morbis.

Pulſativus quis.

ſubacuti doloris nomine comprehenduntur .) alius denique cum torpore affligit . Primum Medici appellant pulſativum , qui ut Gal. *in 2. lib. de loc. affect. cap.* 3. ſcribit , ſequitur inflammatorios affectus notatu dignos , idque ſemper in ipſis arteriis , atque in partibus ipſas continentibus , quas & ob anguſtiam premunt , & quum attolluntur , modo pars affecta ſentire nata ſit , veluti percutiunt . Nonnumquamque in abſceſſibus ad ſuppurationem venientibus dolores cum pulſu obſervantur . Secundum gravem vocant , quod veluti cujuſdam ponderis loco incumbentis ſenſum invehat , atque carnoſæ ſubſtantiæ renum , hepatiſque , inflammationem . (Galen. *in 6. Aporiſ. Aph.* 5. docente .) Talemque dolorem renum eſſe proprium Hippoc. *Epidem. lib. v. ſect.* 1. *text.* 5. nobis prodidit , & Gal. *in 2. de loc. affect. c.* 4. hos dolores in renibus , in hepate , in ſplene , in cute , in adenis & in pulmonibus fieri meminit , eæ ſiquidem partes (ut ipſe docuit) vexantur eo dolore a diſtenſione , quoniam membrana viſcera illa circumvolvens gravata , & diſtenta dolet . Tenſivum vero dolorem dicunt , (quem diſtendentem *Archigenes* vocat) ubi partes , quæ vel ſunt nervoſæ , vel muſculoſæ , vel membranoſæ diſtenduntur , convellunturve . Quod ipſis , vel ex humore , vel ex flatulento ſpiritu , vel phlegmone accidit . Quartus , qui acutus vocatur , comprehendit illum , qui fit exeſione , punctione , perforationeque : quæ nimis aut acria , aut ſalſa , abſtergunt , abraduntque ex quo acutus oritur dolor , qualem patiuntur dyſenterici atque alii , quibus exeduntur aliquæ partes . Punctorii proprii membranarum exſiſtunt , ab acuta bile vexatarum , quales in pleuriticis obſervamus , pleura quippe vocata membrana in his a bile inflammata . His ſimiles videntur , quum vitreo humore , partes incidente ſeu perforante , inteſtina concitantur . Cum torpore demum prodientes , ſeu torporem inducentes , vel ab ipſorum vehementia reſoluto partis calore , aut phlegmone arterias nervoſque maxime comprimente , ex quo calor ad partes proſilire nequit aut paucus , uti in renum dolore , ex inflammatione orto , crura ſæpius ſtupeſcunt . Sunt præterea dolores alii fixi , alii mobiles , atque vagantes , quales non raro turgentibus humoribus obſervamus , alii perpetui , alii intermittentes , alii vehementes , atque alii parvi exſiſtunt : rurſumque nonnulli in principio morbi , atque alii poſtea apparent , aliquando in die decretorio , & aliquando non : quorum etiam aliqui occupant externas partes , aliqui internas , aliquique nobiles , atque demum ignobiles aliqui . Has omnes dolorum differentias ad Prognoſticum ægrotorum plurimum facere , Gal. *in lib. 6. Aph.* 5. meminit . Dolores vero omnes fieri ex qualibet re parti noxam inferente , non opus eſt , ut demonſtretur . Galen. qui accuratius omnes dolorum cauſas cognovit , pluribus in locis ab altera duarum eos concitari tradidit , quippe aut a ſubita partis alteratione , ſeu a temperamento continuo parti illato , aut ab unitatis diſſolutione . Alii unam tantum cauſam faciunt , ſcilicet unitatis ſolutionem , quando neque caliditas , neque frigiditas dolorem concitat , ni ſolvat continuum , atque omnes immodicas qualitates ii ex Galeno continuum ſolvere affirmant . Ipſe ſæpius fatetur ac docet qualitates has ſolvere continuum , præſertimque *in 4. de ſimp. meden. facult. cap. 2. in 3. de fract. in text.* 34. & *in libro de inæquali intemp.*

Gracis.

Tenſivus.

Acutus.

Punctorius.

Cum torpore.

Dolores varii.

Unde.

temp. cap. 6. Ex quo mirum dicerem. Quare dolorum cauſa erit continuitatis partium ſolutio, aut ab immodico temperamento confertim parti illato, aut ab inciſione, aut exeſione, aut a fractione, aut denique a tenſione, facta. Partes vero internæ dolent interim propter febris vehementiam, nervoſas partes ſiccando convellendoque, aut propter inflammationem, aut eryſipelas, aut fortem obſtructionem, aut abſceſſum in viſceribus, aut propter flatulentum ſpiritum. Quum vero ab iſtis cauſis dolores fiant, merito, nedum cum aliis morbis, at ſoli quoque mali ſunt; omnes ſiquidem vires reſolvunt, cruditates fovent, humorumque coctiones impediunt; peſſimi, in viſceribus partibuſque nobilibus concitati; longeque omnium perniciosiſſimi exſiſtunt, vehementer viſcera vexantes, perpetuo longoque tempore durantes, a quibus viſcerum nativus calor deſtruitur, ſeu reſolvitur, quo ademto viſceri quis de aliquo bene ſperare poteſt? minus mali cenſentur, parvi, mobiles, brevi tempore durantes, quique neque a viſcerum quopiam læſo prodeunt, ſed ab ignobili potius parte quapiam. Quandoque vero in acutis morbis dolores, etſi ſuapte natura ſemper mali, bonum prædicunt, non parumque ad ſalutis prædictionem conferunt, veluti qui, in aliquo dierum judicatoriorum cum ſignis coctionis, aliquam ignobilem partem, uti crura, pedes ac alia hujuſmodi, pervadunt. At de bonis ac malis doloribus, quatenus in acutis morbis bene ac male de ægrotis ſperandum, ſignificant, nunc accuratius agamus.

Omnes mali ſua natura.

Aliquando boni.

CAP. XIX.

De doloribus ſalutem prædicentibus.

DOlores aut in principio morborum, vel poſtea apparent; qui in principio, plerumque pathognomonicorum ſignorum rationem habent, viſcusque phlegmone obſeſſum notant, uti quando dolor cum febre, tumore vel tenſione partem quampiam exerceat, inflammatoriique hi vocantur dolores. Optimum erit, ſi neque admodum vehementes, neque aſſidui dolores ſint, brevique tempore, vel tollantur, vel ſaltem remittantur, atque ſimul cum ipſis aliud exitioſum ſignum non illuxerit. Qui vero horum fidelius, ſeu cum ratione, tolluntur, ſeu finiuntur, aut remittuntur, optimi ſunt: cum ratione vero ſublatos dicimus, ubi ipſi ex optima, aut natura, aut ab arte facta evacuatione, remiſerint, aut plane finierint, ut quum vel ab emiſſo per venam ſectam ſanguine, vel ſponte erumpente e naribus, vel a ſudore, vel ab alvi dejectione, vel a ſputis dolor remittitur, atque etiam ſi febris eos ſubſecuta ſuo calore ipſos reſolverit: de quibus Hippoc. *in 6. Aph.* 40. *Quibus dolor circa hypochondria ſit abſque inflammatione, his febris ſuperveniens morbum ſolvit.* Et poſtea 7. *Aph.* 52. *Quicumque hepar circumdolent, his febris ſuperveniens ſolvit dolorem.* De iis vero, qui ex aliqua vacuatione tolluntur *in Prorrheticorum lib.* 1. 152. ſic ait: *Quibus capitis dolores, cervicis labor, atque totius corporis cum tremore infirmitas, hæmorrhagica ſolvunt. Ceterum & tempore ita ſolvuntur*: & in 2. Prognoſt.

Dolores quinam optimi.

p. 40. *lin.* 26. *Dolorem, qui in iliis affligat, ac tuberculum ſi recens fuerit, nec cum inflammatione, ſolvit murmur incidens circa ilia, ſed potiſſimum ubi cum ſtercore, & urina excernatur*; & in 2. Coac. præſag. *text.* 66. *Quibus in febribus dolores lateris fiunt, iis, alvo multa aquoſa bile permiſta dejiciente, remiſſio eſt*. Poſtea *in* 5. Coac. præſ. *text.* 172. *Capitis dolorem ſolvit pus per nares effluens, ſputa craſſa, & ſine odore, ſolvit quoque ulcerum eruptio aliquando & ſonus, & alvi profluvium*. Ac in Aphor. Sect. 6. 10. *Quibus capitis dolor gravis cum calore ineſt, e naribus interim humidum, ex auribus, atque ex faucibus, cum utilitate effluere*, veluti *Echecrati* contingit. De quo *in* 7. *lib. Epid. text.* 65. ſic ſcribit: *Echecrati caco capitis dolor gravis, præcipue in poſteriori parte, & cervicis, ubi connexio, & in verticem procedebat, progrediente autem tempore, & ad aurem ſiniſtram, & dimidium capitis dolebat. Mucoſa ſemper prodibat, leniter combuſta, & calor comitabatur tenuis, & cibum capere non poterat, interdiu facilius, noctu vero dolebat, poſtquam autem pus per aurem erupit, ceſſaverunt omnia, erupit vero per hiemem*. Hinc Hippoc. *in* 2. *Prognoſt. p.* 41. *lin.* 34. damnavit excreationes omnes, morbum non tollentes, aut non minuentes, præſertimque illas, quæ dolorem non ſedant, veluti ſedantes dolorem laudat. Quare dolores, qui cum ratione, ſcilicet ex quibuſdam optimis vacuationibus, abeunt, optimam ſalutis ſpem nobis pollicentur. Qui vero non tolluntur, ſeu diu perſiſtunt, ſæpius abſceſſus prænuntiant; qui autem boni exſiſtunt, poſterius, quum de ipſis præſertim agemus, dicemus; hoc unum in præſentia dicam, quippe illos bonos fore a nobis putandos, qui in ignobilibus partibus fiunt, dummodo etiam alia ſigna id non negaverint. Eorum vero dolorum, qui morbo progreſſo oſtenduntur, illos optimos eſſe dico, quos judicatorios ſeu decretorios Medici appellant, utpote quod partim ut ſignum, & partim ut cauſa, criſin optimam denuntiant, ut ſignum, veluti dolores, ſanguinis eruptionem, vomitum, vel aliquam aliam vacuationem indicantes. De quibus Gal. in 1. *Epid. com.* 2. *text.* 55. *In ardentibus autem, ceteriſque febribus, quos colli dolor, temporum gravitas, caligo oculorum, & hypochondrii etiam contentio, neque cum dolore corripit, his e naribus ſanguis erumpit. At vero quibus totius capitis gravitas, tum autem cordis dolores, & faſtidia ſunt, bilioſa poſt ac pituitoſa vomunt*. Et Hippocr. in 3. Prognoſt. *p.* 44. *lin.* 36. *Si vero ſine talibus* (ſcilicet malis) *indiciis fatigans dolor vigeſimum tranſeat diem, & febris detineat, exſpectari oportet ſanguinis eruptionem e naribus, aut ſuppurationem, ſi dolor alioqui circa tempora ac frontem affligat*. Et *in* 3. Prorrhet. *lib.* 1. 137. *Cervicis dolores, impenſe rubri oculi, ſanguinis eruptionem oſtendunt*. Et *ibid.* 142. *Quibus ex rigore febres laborioſæ fuerint, muliebria his decurrunt, cervix autem in his dolens ſanguinis indicat eruptionem*. Ac etiam poſt *ibid.* 147. *Hypochondrii tenſio cum capitis gravitate, & ſurditate, & quæ conſequenter fatigant, ſanguinis pronuntiant profuſionem*. Et in 4. Coac. præſ. *text.* 142. *Quibus febricitantibus rubores in facie, & capitis vehemens dolor, venarumque pulſus, iis ut plurimum fluor ſit ſanguinis*. Hique ſunt dolores, qui optimam criſin denotantes maxime faciunt ad ſalu-

Quinam abſceſſus prænuntiant.

ſalutis Prognoſticum. Longe omnium vero optimi exſiſtunt, qui (hos enim decretorios Medici, ut cauſa, vocant) ignobiles partes, atque a viſceribus remotas, prævadunt, atque diu exercent; idque maxime (quod de aliis quoque intelligi volumus) apparentibus ſignis coctionis, qui in decretorio die cœperint. Ab his quidem doloribus certam ſalutem præſagimus, ſi modo, ut dictum eſt, coctionis ſigna una illuxerint, nullumque ex letalibus ſignis illuxerit. Naturam enim præcipua membra exoneraſſe, atque noxios humores procul a ſe protruſiſſe, nobis ſane non obſcurum erit indicium. Quo enim longius a principe membro natura propellit noxios humores, eo citius ſalus ſperanda, maximum naturæ quod robur denotet, exinde ſæpius tumores ipſi accerſunt, qui, ut inferius docebimus, optimi exſiſtunt. De his Hippoc. *in* 1. *progn. pag.* 43. *lin.* 18. *Abſceſſus autem, qui ad crura fiunt in pulmoniis vehementibus ac periculoſis, omnes utiles ſunt.* De quibus Galen. *in com.* ait, eos optimos eſſe, ſi maxime deorſum & quam longiſſime ab ægrotatione abſiſtant. Et in 3. *Coacorum præſag.* 118. *& Aphor.* 44. *ſect.* 4. *in longis febribus vel tubercula, vel in articulis labores fiunt, & ſi fiant, non inutiles.* Ex quo pedum, crurum, genuum, coxendicum, inguinum dolores diu durantes, optimi erunt, atque non minus etiam in brachiis, manibus, atque poſt aures, critice obſervati. Sæpe fit in febribus acutis, ut natura, parte humorum, quos ad aliquam ſupradictarum ignobilium partium expulit, exonerata, fortior ſupra reſiduum facta, aliquam vacuationem aggrediatur, ex qua poſtea atque doloribus ipſis, trahentibus continue ad ignobilem partem, perfecte a febre judicat. Plerumque vero fit, ut hi, qui doloribus judicantur, in recidivam recidant, quod neutiquam materia illa ad crura, vel ad aliam quampiam ignobilem protruſa, totam cauſam morbificam adimat; ſi vero illis copioſæ copulentur vacuationes, judicium totum perficietur: oportet vero partes illas, ſi debeant ad febrem juvare, vehementer atque diu dolere; ſiquidem tales dolores plurimum humoris noxii attrahentes, magnam quidem cauſæ partem revellendo adimunt, ut in *Herophyto* obſervatum eſt, de quo *in* 3. *Epid. p.* 1106. *Ægr.* 9. Hipp. *Circa diem ſexageſimum e naribus quidem ſubſiterunt eruptiones, ſed dextra coxendix admodum dolebat, febreſque increverunt, haud multo poſt partes inferiores omnes dolebant, fiebat autem, ut vel febres majores eſſent, majorque ſurditas, vel hæ quidem remitterentur allevarenturque, verum partes inferiores ad coxendices ſitæ vehementius dolerent. Jam vero circa diem octuageſimum cuncta remiſſa ſunt, nihil tamen deſtitit, etenim urinæ boni coloris, & copioſiores ſubſidentias habentes, exſtiterunt, deliriaque imminuta ſunt.* Et *uxori Epicratis Epid. lib.* 1. *pag.* 979. *Ægr.* 5. crura decima die laborioſe doluerunt, quem dolorem altera die optima vacuatio, per ſudorem ſecuta, febrem allevavit. Hoc unum in iis doloribus notandum, quod nuper quoque diximus, dolores raro recte judicare morbos per ſe ipſos, niſi ipſis aliæ humorum vacuationes opem ferant, atque hinc eos, qui doloribus judicantur, recidivare, quia dolores totam noxiam materiam nequeunt a viſceribus avellere, ſed tantum partem, ex quo reiterari pugnam a natura, ſi totum morbum expugnare debeat,

beat, neceſſe eſt. Hinc multæ recidivæ, uti in *uxore Epicratis, loco ante allegato, Cleonactide lib. 1. Epid. p. 982. Ægr. 6. Abderæ Virgine lib. 1. Epid. p. 982. Ægr. 7.* Hippoc. *3. Epid. text. 79.* accurate obſervavit, de qua præſertim dixit: *Vigeſimo ei pedes dolebant, ſurditas & delirium eam deſeruerunt, aliquantum e naribus erupit, ſudavit, febre fuit liberata. Quarto & vigeſimo repetiit, rediit ſurditas, pedes aſſidue dolebant, mente excidit. Vigeſimo ſeptimo multum ſudavit, febre caruit, ſurditas eam reliquit. Reſtabat pedum dolor, ceterum fuit exacte judicata.* Hypochondrium etiam ſiniſtrum, atque lien in acuto morbo dolere atque intumeſcere, non inutile eſſe, Gal. *in 3. Epid. com. 1. text. 19.* meminit. In ventre vero inferiori; acrioribus humoribus inteſtinis commorſis, dolores concitati, ſæpe judicium per alvum futurum ſignificant: poſt aures etiam oborti dolores diu perſeverantes cum virium robore criticum tumorem futurum (quem *parotidem* vocant) denotant. Optimi vero non minus ii erunt dolores, qui ſupernas ſedes derelinquentes, inferius deſcendunt, ad inferaſve delabuntur. Morbum enim quocumque modo longe a principibus partibus recedere, optimum eſt. De quo Hipp. *in 2. Epid. ſect. 5. text. 10. pag. 1040. lin. 16. Si caput doleat, in pectus deſcendit, deinde in hypochondrium, deinde in coxam, omnia autem non poſſunt dolere.* Et *in 3. Prorrh. p. 114. Dolores, ſi ad infernas dilabuntur partes, facile ab iis feruntur.* Ut in *Herophonte* fuit obſervatum, de quo Hipp. *in 1. Epid. pag. 974. Ægr. 3. Octavo febricitavit, lien reſidebat, omnia intelligebat, doluit ei inguen primum, ſecundum lienem, deinde in utramque tibiam dolores. Noctem facilem habuit, urinæ erant melioris coloris, & reſidebant in iis pauca. Die nono ſudavit, judicatus eſt, intermiſit. Die quinto rediit, ſimulque ſplen intumuit, febris acuta, ſurditas iterum, poſt recidivam die tertio, reſidebat lien, imminuebatur ſurditas, crura dolebat, recte ſudavit, judicatus eſt die decimoſeptimo.* Atque hæc de bonis doloribus, de quibus, ut boni ſint dicendi, hæc obſervari debent; primo eos in aliquo decretoriorum dierum incipere cum ſignis coctionis, ipſosque vel ſequi, vel antecedere optimam evacuationem, vel per ſanguinem, vel per vomitum, vel per ventrem, vel per urinam, vel per ſudorem, vel per ſputum: demum ſi boni ſint, ab ipſis vel ſtatim vel paullo poſt ægrotos melius ſe habere, vel ex toto ſanari, eſt neceſſarium. Adde quod hi omnes, non parvi, at quidem magni ac laborioſi exiſtunt, neque paullulo momento temporis ceſſant, ac tolluntur, ſed quinimmo diu vigere debent. Sed jam ad illos, ex quibus præſcitur exitium, deſcendamus.

CAP. XX.

De doloribus exitium prædicentibus.

Dolores quinam mali.

Mali omnes ſunt dolores nobilem partem corporis exercentes, tum qui una cum morbo prodeunt, quique pathognomonica ſigna exiſtunt, tum qui poſtea apparent; ii enim cum aliis ſignis pathognomonicis, ſeu pro-

priis, prognoſticum indicant, veluti in phrenitide capitis dolor vehemens atque aſſiduus, cum aliis phrenitidis ſignis propriis exitioſis, letalis eſt; ſed de his aliis accuratius, quando de ſingularum inflammationum prognoſtico ſermonem habebimus. Sunt vero ex his aliqui ex partis præſtantia, qui plerumque exitium inferre ſoleant, utpote qui cor invadunt, os ventriculi, fauces ſtrangulantes, caput, aures, pectus, ac veſicam. Semper enim in hiſce membris dolores ſunt pernicioſi, maximeque cum febre aſſidua atque aliis ſævis ſymptomatibus, ex quibus phlegmone illarum partium ſignificatur, qui plerumque letalis exiſtit. De quo Hippocr. in 4. *Aph.* 64. dixit: *In febribus circa ventriculum fortis æſtus, & oris ventriculi dolor, malum.* Et *Aph.* 65. *in acutis febribus convulſiones & circa viſcera dolores fortes, malum.* Ac de faucibus *in* 1. *Pror text.* 86. *Fauces dolentes abſque tumore cum implaciditate, ſtrangulantesque ſupra modum, pernicioſæ.* Et 3. *prog. Pag.* 45. *lin.* 4. Hipp. ait hujuſmodi dolorem cum orthopnæa, ſine apparente in faucibus vel collo tumore, ſumme exitioſum: ex tali ſiquidem dolore gutturis internam atque magnam inflammationem, ut alias quoque dicemus, ſignificari, Galen. *in comment.* docuit, quæ ſine dubio letalis eſt. Capitis item aſſidui, vehementeſque cum febre continua ac magna dolores admodum ſunt timendi, hi ſiquidem vires reſolvunt, vigiliaſque & deliria, inducunt, atque demum convulſiones letales. De quibus Hipp. *in Progn. pag.* 44. *lin.* 34. *Capitis dolor vehemens, & continuus cum febre, ſi quod ex indiciis exſtiterit exitioſus, letalis admodum eſt*: quales Hipp. *in Philiſta Epid. lib.* 3. *p.* 1070. *Ægr.* 4. *Polyphante Epid. lib.* 7. *text.* 120. *p.* 1238. atque *Eualcidæ ibid. text.* 121. *famula*, phreniticis obſervavit. De aurium vero dolore in eod. *lib. Prognoſt. pag.* 44. *lin.* 45. *Aurium dolor acutus cum febre continua, ac vehementi, difficilis eſt, periculum enim delirii abolitioniſque imminet.* Et de ventre *in Coacis prædictionibus text.* 130. *A dolore ventris laborioſo febris ardens, letale.* Et de pectore *in* 1. *Prorrhet. text.* 70. *Dolor pectoris firmatus, & ægre auferibilis cum torpore, malus, ſuper febricitantes hi ſi acute ardent, moriuntur.* Et de veſica *in* 2. *prognoſt. pag.* 43. *lin.* 42. *Coac. præſ.* 471. *Si veſica dura eſt, & dolore vexatur, difficilis omnium & exitialis eſt: exitioſiſſima vero eſt, quæcumque cum febre continua affligit, qui enim ex ipſa veſica fatigat dolor, interimere hominem ſufficit.* Quare dolores partium nobilium, ſi magni ſint, in principio morborum acutorum admodum ſunt periculoſi, & cum malis ſignis letales. Qui vero non in principio acutorum, viſcerum ac partium nobilium dolores, ſed poſterius, morbo prægreſſo, manifeſtantur, ſi magni, aſſiduique ſint, pernicioſiſſimi judicari debent; nam hi magnam phlegmonem præter febrem de novo nobile viſcus acceſſiſſe oſtendunt, quæ nonniſi a robuſtiſſima natura vinci poterit: ex quo merito hos dolores ſæviſſima ſequi ſolent ſymptomata, quippe extremorum frigiditas nonniſi fortem dolorem ſequi ſolet, ut Hippocrat. *in Aph.* 26. *Sect.* 7. expreſſit: *In dolore forti ventris, partium extremarum frigiditas, malum.* Deliria ſequuntur dolores capitis, phrenitides letales, vomitus virulenti, convulſiones, abſceſſus & ſuppurationes. De iis *in* 1. *Prorrh. text.*

In partibus nobilibus.

Capitis aſſidui vehementes.

Dolores partium nobilium morbo prægreſſo quinam pernicioſiſſimi.

10. *Qui in capitis doloribus æruginoſos vomitus habent, vigilantque cum ſurditate, cito hi vehementer inſaniunt*. In his etiam vomitus virulenti ſunt letaliſſimi, ut ait Hipp. in 1. *Epid. p.* 948. *ſub finem. Sed & virulenta vomunt, & ex his quidam ſubito moriuntur*. Quod & in 1. *Coac. præſ. text.* 169. & 176. legitur. Convulſiones quoque vel exſiccatis partibus nervoſis, vel attracto multo ad dolentem partem humore, non raro viſuntur, de quibus *in lib.* 1. *Prorrhet. text.* 115. ait: *In febribus tenuiter exſudantes; cum capitis dolore & alvo intercepta, ad convulſiones proni ſunt*. Quod & in *Coac. præſ. text.* 154. & 177. iisdem pæne verbis repetitur. *Et text.* 171. *In acutis capitis doloribus, & torporibus cum gravitate, convulſiones fieri in proclivi eſt*. Adde & *text.* 174. Et *lib.* 1. *Prorrhet. text.* 104. *Faucium gracilium dolores ſuffocantes convulſivum quid habent, præcipue ſi ex capite oriantur*. *Et text.* 106. *Lumborum dolor, & capitis, & oris ventriculi, cum forti exſcreatione, convulſivum quid habet*. Quibus ex locis Hippocratis & plurimis aliis patet affatim, dolores partium vehementes aliquando excipi a convulſionibus. Abſceſſus autem dolorum quoque ſequelæ ſunt, de quibus in *lib.* 1. *Prorrh. text.* 168. ait: *In capitis dolore Coma & ſurditas &c. In capitis dolore Coma & ſurditas abſceſſum aliquem poſt aurem eructant*. Suppurationem vero indicant continui dolores, ut Hippoc. meminit *in* 7. *Aphor.* 22. *A ventris dolore diuturno, ſuppuratio*. Et in *prognoſticis, p.* 41. *lin.* 35. & *ſeq.* dolores, qui circa thoracis ac pulmonis ſedes diu conſiſtunt, quique neque ſputorum purgationibus, neque ventris dejectionibus, neque venæ ſectionibus, neque medicamentis ac victus ratione deſinunt, ſuppurationem ſignificare, dummodo nullum ex exitioſis ſignis adfuerit, nobis Gal. prodidit; ut in *Egiſipolis puero* tabido ab Hippoc. *in* 7. *Epidem. pag.* 1225. *text.* 60. fuit obſervatum. Quare hoc modo dolores viſcerum, ſeu partium nobilium, judicandos fore putamus, quibus ſi aliquod letale ſignum ſimul acceſſerit, vel eos dolores ſequatur, exitium præmonſtrabitur, atque non minus, ſi vel alii fuerint dolores, nobiles partes affligentes, vel alia gravia diverſi generis ſimul illuxerint ſymptomata; hæc enim (quum plures ſimul affectus graves oſtendant) ſimul cum gravi dolore, vel multis doloribus ſi illuceant, perniciem prædicunt: vix unum quidem ſimplicem morbum magnum natura expugnat, quid cum multis? certe ſuccumbet, niſi robuſtiſſima fuerit. De his in 2. *Prorrhet. lib.* 1. *text.* 38. inquit: *Quibus alvus liquida, laſſitudo, capitis dolor, ſitis, vigilia, obſcuritas & impotentia fuerit, ut hi mente moveantur ſpes eſt*. Et in 2. *Prorrh. ibid. text.* 95. *Quibus manus tremulæ, capitis, cerviciſque dolores, ſubſurdique fiunt, & nigra denſataque mejunt, his ventura exſpectare nigra, perniciosum*. Et de pluribus ſimul nobiles partes eodem tempore occupantibus doloribus in *eodem lib.* 2. *text.* 72. *Stomachi dolor cum hypochondrio contento, dolorque capitis, malignum*. Sed jam ad dolores partium ignobilium accedamus, quos ſuperius diximus ſæpe bonos eſſe, modo fiant cum humorum quapiam concoctione, diuque partes illas affligant, neque brevi tollantur, atque ab ipſis febris, ac alia gravia ſymptomata vel plane tollantur, vel, quod plerumque fit, mitiora reddantur, atque ab ipſis ægroti melius ſe habeant. Tales

Dolores partium ignobilium quandoque boni.

vero

vero in diebus decretoriis incipere diximus, nullaque ab ipſis ſymptomata gravia fieri, neque augeri. Mali vero in ignobilibus partibus in pricipio morbi, quo tempore omnia cruda exſiſtunt, incipientes, a quibus nedum ſymptomata gravia membrorum nobilium tolluntur, vel mitiora evadunt, at quinimmo magis nova ſæviſſimaque tales dolores ſequuntur, obortaque ſæviora redduntur. Peſſimi vero ii ſunt, quos in longinqua ignobilique parte obortos, uti in pedibus, cruribus, genubus, coxendicibus, inguinibus, atque in aliis hujuſmodi partibus, febris continua ſequitur, graviaque non minus ac ſæva ſymptomata, a quibus ægroti in deterius labuntur. De quibus *in Coacis præſagiis text.* 30. *Convulſio in febre, manuum pedumque dolor, maligna ſunt: malignus quoque doloris impetus e femore. Sed nec genuum dolor bonus, ac etiam ſurarum dolor malignus eſt, & mentem emovet, tum alias, tum ſi urinæ ſublimamentum elevent.* Quales fuere prorſus in *Critone*, & *Lariſſæ Calvo*, qui eo morbo interiere. De *Critone* enim Hippocrat. *in* 1. *lib. Epidem. pag.* 985. *Ægr.* 9. ait, *Critoni in Thaſo recto ambulanti pes dolere ex pollice cœpit: decubuit eodem die horreſcens, faſtidioſus, parum calens, nocte deſipuit, altero die tumor toto pede, & ad talum ſubrubens cum contentione, puſtulæ nigræ, febris acuta, valde inſaniens, &c. poſtridieque quam ægrotare cœperat, periit.* Et de Lariſſæ Calvo. *Epidem. lib.* 3. *pag.* 1101. *Ægr.* 5. *Dextrum femur doluit repente, nihil ex iis, quæ offerebantur, juvabat. Primo die febris acuta ardens paullatim, neque comitabantur dolores, febris non increvit, implacidior erat, non dormiebat, extremæ partes frigidæ, multa urina neque ea bona reddebatur. Tertio femur deſiit dolere, mentis alienatio, & turbatio, multumque ſeſe jactavit, quarto ad meridiem periit.* In ambobus his ægrotis dolores pedis, atque coxendicis peſſimi exſtiterunt, tum quia primo in principio (quo tempore Galen. *in* 1. *de criſibus cap.* 8. omnes dolores apparentes peſſimos vocat) apparuerunt, a quibus febris acuta, delirium, anxietas, vigilia, & alia gravia ſymptomata prodiere, quæ multitudinem humorum præmonſtrabant, quæ varias lædebat partes, varia ſymptomata ac morbos faciebat: idemque in eo, *Epidem. lib.* 1. *pag.* 988. *Ægr.* 12. qui caleſcens coenavit, cui poſt ſævum tum morbum, tum ſymptomata, decimo die crura doluerunt, a quo omnia exacerbata ſunt, & paullo poſt obiit. In *muliere* vero *apud frigidam aquam Epidem. lib.* 3. *pag.* 1096. *Ægr.* 2. die 27. coxendix diu doluit, a qua febris acceſſit, & in deterius mulier abiit. Sunt vero non minus mali ignobilium partium dolores, tum qui cito evaneſcunt atque occultantur; tum qui primo a longinqua parte incipientes poſtea ad viſcera aſcendunt, indicio ſunt humorum ad nobilia membra delabentium. De his Auctor *Prorrhet. lib.* 1. *text.* 170. Ubi Auctor noſter, Galenum ſecutus, παρ' οὓς omiſit, quod tamen Foeſius, juxta exemplarium fidem, adjungendum putavit; vide omnino hujus adnotat: in hunc Aphoriſm. *dolores abſque judicatione ſoluti, inutiles:* quibus Galenus in comment. addidit, *occultati*, de quibus ipſe ſic ait: *Repente vero occultari doloriſicas affectiones abſque hoc, quod in alia quadam, quæ manifeſta ſit, abſceſſus fiat, tranſmigrationem contriſtantium ſuccorum ad viſcera ipſa factam, oſtendit.* Hi

Dolores quinam peſſimi.

quoque, qui quum inceperint, ſtatim evanuerunt, ſed aut qui, quum magni fuerint, diminuuntur, peſſimi exſiſtunt; nobiſque ſunt vel naturæ prælanguidæ, quæ totam noxiam materiam a ſe propellere nequeat, vel multitudinis humorum, quam pars dolens nequeat in ſeipſam capere, indicia, ut de *Critone* Gal. prodidit. De iis *in* 1. *Prorrhetic. text.* 36. *Suræ dolores abſque ratione derepente occultati, deſipientiam in ipſis parere.* Et *lib.* 1. *Prorrhet. text.* 37. *Si quippiam in urina ſublime petierit, occultato coxæ dolore, delirium portendit.* Atque *ibid. text.* 97. *Lateris dolor ex ſputis bilioſis, ſi abſque ratione evanuerit, in furorem aguntur.* Quod neque, ut *Galenus* monuit, ſemper, neque ſæpius fit, poſſunt tamen nedùm deliria, ſed alia ſæviora quoque ſymptomata prænuntiare, ex humore quippe ſurſum in cerebrum aſcendente. Quare peſſimi exſiſtunt dolores in partibus ignobilibus facti, cito vel repente occultati. Quibus non minus, ut dictum eſt, timendi ſunt, qui in remota a viſceribus, ſeu longinqua parte, concitati ad ſupernas partes aſcendunt. Quos expreſſit Hippocr. *in* 3. *lib. Progn. pag.* 43. *lin.* 32. *& ſeq.* dicens: *Dolores, qui cum febre fiunt circa lumbos, & inferas ſedes, ſi præcordia attigerint, inferas relinquentes ſedes, exitiales admodum ſunt. Itaque conſideranda alia ſigna. Nam ſi quod & horum pravum exſtiterit, deſperandum de ægro eſt. Si vero, aſcendente in præcordia morbo, alia ſigna parva non exſtiterint, talem fore purulentum admodum exſpectabis.* Ex quo ſemper humoris ad ſupernas partes ab ignobilibus e longinquis recurſio, mala: uti in *Prorrh. lib.* 1. 69. ait, *ex lumborum recurſione, oculi perverſio, mala.* Et poſtea *ibid. text.* 83. *Ex lumborum dolore ad os ventriculi recurſiones febriles cum horrore, aquoſa, tenuia, & multa evomentes, mente aberrantes, voce privati, nigra vomentes, moriuntur.* Et in *Prorrhet. lib.* 1. 100. *Quibus lumborum tenues & diuturni dolores ad hypochondria euntes, & ciborum averſio cum febre, dolor his valens contentuſque ad caput perveniens, cito cum quadam convulſione perimit.* Et in 2. *coac. præſ. text.* 70. *Qui dolores acuti paulliſper in claviculas, & in ſuperiores partes tranſeunt, letales.* Quamobrem dolores partes longinquas exercentes, tam qui occultantur, quam qui ad ſuperas ſedes recurrunt, peſſimi exſiſtunt, ac cum ſigno pravo letales. Demum dolores etiam quamcumque partem occupantes, ac affligentes, qui ab ægrotis non ſentiuntur, pernicioſi exſiſtunt, quod vel delirium, vel ſentientis facultatis exſtinctionem denotant. De his Hippocr. *in* 2. *Aphoriſm.* 6. *Quicumque, dolentes parte aliqua corporis, dolorem non ſentiunt, his mens ægrotat.*

CAP. XXI.

De prædictione ex laſſitudinibus.

EX laſſitudinibus homines ſæpius in morbos acutos incidere, neminem in Medicina verſatum latet, quod *Sileno Epidem. lib.* 1. *p.* 969. *Ægr.* 2. contigiſſe Hippocr. meminit. De ſpontaneis itaque laſſitudinibus, quas non ſimpliciter laſſitudines vocari Gal. voluit, ſed ſpontaneas, interius cauſas

ſas habentibus, tantum agendum eſt. Harum autem laſſitudinum triplex eſt differentia, una, quæ ulceris, altera, quæ tenſionis, tertia ex ambabus compoſita, quæ inflammationis ſenſum præ ſe fert; prima ex Cacochymia, altera ex plenitudine, tertia ex utriſque una coeuntibus habet originem. Hæ vero plerumque univerſum corpus, quippe omne genus muſculoſum, & cutem ipſam, occupant, aliquando dorſum ipſum, quod multis acute ægrotantibus accidiſſe quiſque noſtrum ſæpius in praxi vidit, aliquando caput, aliquando, ut docet Galen. *in libro de curandi rat. per ſang. miſſionem*: jecur, aliquando lienem, quandoque ventrem, interdum coſtas, ſeptum tranſverſum, vel os ventriculi, vel aliud ex internis membris occupat. Aliquando, etiam eæ laſſitudines in brachiis, aliquando in coxendicibus, cruribus, vel pedibus obſervantur, quædam etiam ipſarum in principiis ortæ diu durant, & aliquæ in augmento vel ſtatu, atque demum aliæ morbo declinante ſentiuntur. Bonæ vero ad prædicendam ſalutem æſtimantur, quæ in brachiis cruribuſque apparent, cum ſignis coctionis; forte enim decumbentis ac propulſi humoris a præcipuis membris ad longinquas ignobileſque partes, perinde ac dolores etiam, indicant, quæ nedum in hiſce partibus, ſi una cum ſignis coctionis, at quinimmo etiam in univerſo corpore, præſertimque in dorſo, obſerventur, bonæ ſunt judicandæ; ſæpe enim metaſtaſin, ſeu tranſmutationem humorum ab internis membris ad externa, quippe ad muſculos & ad cutem factam, ſequuntur: ignaræ etiam mulierculæ id ſcire putant, quum audierint ægrotos lamentari de corporis gravitate tenſiva ac phlegmonoſa, morbo jam aliqua ex parte declinante, (quod laſſitudinis genus frequentius tunc temporis ſentitur) eos ſolantur; dicentes optimum ſignum eſſe, atque ex iis nobis ſignificari morbum foras exire: ſæpius enim ægroti, qui prius a vehementia morbi vexati, cutaneas illas partes laſſatas non ſentiebant, laſſitudine fracti obſervantur, vel ideo, ut jam dictum eſt, quod vere morbus internas ſedes deſerat, ad externas exeat. Una quidem omnium eſt conſpiratio partium, atque confluxus, ſæpeque noxii humores quocumque modo a natura concocti, e magnis vaſis ad parva delabentes, ſeſe in muſculos tandem atque vel etiam in cutem recipiunt, laſſitudinem efficientes. Hæc enim aliquando abſceſſus præcedunt, de quibus Galen. *in lib. 4. Aphoriſm. 31.* ſcripſit: *Quoquomodo in febribus facta ſit laſſitudo, ad articulos, & maxime circa maxillas fiunt abſceſſus: hoc vero ideo uſuvenit, quia a calore febrili ſublata in caput eſt humorum copia, quam inde poſtea ruentem maxillarum adenes ſuſcipiunt, quomodo ſit, quum in alas, & inguina a ſuperioribus partibus aliquid pervenerit.* Optimæ quoque exſiſtunt, quæ aliqua vacuatione vel arte procurata, vel ſponte præſtita, evaneſcunt; optimam quidem vacuationem ac criticam denotant, qua ægroti juvantur; de qua in *Coacis prædictionibus text. 182. Qui comate preſſi, & laſſitudine fracti, obſurduerunt, erumpente alvo rubra dejiciunt circa criſin, idque juvat.* Quæ vero vel in toto corpore vel in dorſo, vel in aliqua alia parte, humoribus nihil concoctis, omnes malæ ſunt judicandæ, omniumque maxime cum malis ſignis prodeuntes, atque ſi una multa alia ſævaque fuerint ſymptomata. Non minus etiam eæ

Laſſitudinum differentia.

Laſſitudines quænam bonæ.

Quænam malæ.

erunt ſuſpectæ, quas nulla vel arte vel a natura facta vacuatio levat, de quibus forte Auctor Prorrheticorum *in Prorrh. lib.* 1. 38. *Quibus alvus liquida, laſſitudo, capitis dolor, ſitis, vigiliæ, obſcuritas, & impotentia fuerit, ut hi mente moveantur, ſpes eſt.* Et in 1. *coac. præſag. ſect.* 1. *text.* 35. *Delaſſati caliginoſi, pervigiles, in ſomnum inclinati, deſudantes, recaleſcentes, malum*: Et 2. *Coac. præſ. text.* 36. *laſſitudine fracti cum horrore, quum exſudaverint judicii modo, & recaluerint celeriter, malum, quum alias, tum ſi eo tempore ſanguis e naribus ſtillaverit.* Ubi vero multa ſimul adſint ſymptomata, cum his peſſimum eſt; multitudine enim humorum naturam undique gravatam, ac oneratam ſignificant. De quibus *in* 3. *coac. præſ. text.* 45. *Laſſati, ſingultuoſi, ſtupore occupati, malum.* Et poſtea *text.* 221. *Ab oculorum perverſione cum laſſitudine, & febre, rigor letalis: coma quoque in iis accidere, malum.* Cum multis itaque ſymptomatibus laſſitudines malæ, letaleſque, ſi morbo plane crudo ſentiantur, & cum aliquo ſigno pernicioſo. Sed de his ſatis, atque de prædictione a vigilia, ſomno, comate, ac aliis ſoporoſis affectibus, nunc agamus.

CAP. XXII.

De vigilia, quidque ipſa morbis præſagiat.

TAmetſi vigilia, & ſomnus ad primum ac communem ſenſum, ut Galen. meminit, pertineant, de cujus ſymptomatibus ſuperius partim egimus, atque nunc agere putamus; nobis vero placuit, abſoluto de ſenſibus particularibus prorſus ſermone, de vigilia & ſomno, ſoporiferiſque affectibus, quatenus ad Prognoſtici cognitionem faciant, hic agere, priuſquam a motricis facultatis ſymptomatis Prognoſticum indagaremus. Vigiliam autem ac ſomnum hic primo naturalem ſtatum non excedentes conſideramus, quando hi nihilo tum alterati, tum mutati, quippiam etiam nobis ad morborum prædictionem afferant. Uterque enim bonus eſt, optimumque ad præſagiendum erit, ſi ægroti vigilent, tum dormiant, ut antea, quum recte valerent, conſueverant. Impoſſibile ſiquidem videtur, hominem ex morbo aliquo mori, vigilia ſomnoque inculpatis utentem, ſeu his non aliquo modo mutatis, de his Hippocrat. *in Prognoſticis pag.* 39. *lin.* 47. *De ſomnis autem quemadmodum & ex natura in conſuetudine nobis eſt, interdiu quidem vigilare, noctu vero dormire convenit. Si vero hoc fuerit tranſmutatum, pejus eſt.* Et in Aphoriſmis *ſect.* 2. *Aphor.* 2. *Ubi ſomnus delirium ſedat, bonum.* Sed jam ad vigiliam, de qua ſejunctim nunc agendum duximus. Ipſa quidem eſt, ut Gal. docet, animæ extenſio a principio ad omnes partes corporis, quam contingit aliquando multam, aliquando paucam eſſe, quod diutius ac multum quandoque a ſuo principio extendatur, ac quandoque brevius atque parcius. Quare vigilia exinde fit multa ac pauca: hanc ſub ſermone de ſomno, poſterius abſolvendo, comprehendimus. De illa vero nunc agimus, quæ eſt multa innaturaliſque animæ extenſio, ac effuſio a ſuo principio ad ſingulas partes corporis,

poris, quam cerebro exſiccato fieri, a calidis mordentibuſque ſuccis, vel halitibus, Galen. multis in locis tradidit, ut *in 3. de loc. affect. in 4. de rat. vict. in acut. text. 4.* Propriumque eſſe vigiliæ, ait *in 1. Prognoſt. cap. 8.* Et *in 4. de præſag. ex pulſibus cap. 5. in 1. progn. 5.* ac *in 3. de loc. affectis*, atque alibi, ut a ſiccitate fiat, veluti ſomni ab humiditate, uti proprium eſt caloris, deſipientiam deliriumve movere, ita ſiccitatem vigiliam facere, ex quo eos, qui cerebrum nedum calefactum at ſimul ſiccatum habent, cum vigilia etiam delirare, Gal. in *4. de præſag. ex pulſibus cap. 8.* nobis prodidit, atque ſenes ex ſiccitate vigiles fieri *in 3. lib. Aph. 31.* Sed ex his nunc vigiliarum prognoſticum intelligamus, ac in primis illarum quidem, quæ ſalutem præſagiant. Sunt enim aliquæ, etſi omnes malæ ſint, optimum ſignificantes, utpote quæ antecedunt bonas criſes, quas præcedunt in ægrotis nedum vigiliæ ipſæ, at inquietudines, anxietates, deliria, convulſiones, dolores, ac alia, ut docuit Gal. *in lib. 3. de Criſib.* Tales vero vigiliæ apparent in augmento vel in vigore morbi, quo tempore præſertim ægrotos magna ex parte vigilare, graviter ſe habere, & vehementius febricitare, quo proprius ad judicationem accedunt, Gal. *in 4. Aphor. 70.* docuit. At quinimmo Gal. quoque *in 3. lib. de Criſib.* ſtatuit in morbis acutis vigiliam cum ſignis coctionis criſin ſignificare. De his *in Prorrhet. lib. 1. text. 232. 135. 136. Qui compoſiti perturbantur, pervigilant, naribus ſtillant, ſexto die levantur*: et, *capitis affecti gravitate*: *&*, *ſincipite dolentes, pervigileſque ſanguinem profundunt*; et, *qui pervigilaverint, repente cum inquietatione quadam ſanguinem profundunt, tum alias, tum ſi quippiam antea fluxerit*, atque etiam *lib. 1. Prorrh. 149.* quum dicit: *Qui in horrore ſimul judicatorie ſudant, poſtridie vero ubi inhorruerint, prater rationem vigilant, hos ſanguinis eruptionem incurſuros, puto*. Et in Coacis prædictionibus *text. 110. Quæ ſtatim turbulentum ægrum vigilemque reddunt, & alvi excrementa nigra & compacta, ſanguinis eruptionem e naribus quibuſdam adferunt*. Hæ igitur ex vigiliis ſalutis ſpem ægrotis promittunt, non alia ratione, quam faciunt dolores, convulſiones, deliria, anxietates, criſin prædicentes. Hiſque exceptis omnes, quocumque modo fiant, ac prodeant, malæ, ſiquidem vigilia ſiccat univerſum corpus, atque, ut Gal. *in 7. meth. med. cap. 6.* docuit, iis eſt infeſtiſſima, qui ex ſiccitate laborant, quos ipſa, ſi diu duret, ad convulſionem conſumtionemque deducit. Ex quo mirum non eſt, ſi in ardentibus febribus aſſiduæ vigiliæ convulſiones letales accerſant, quod immodice alia corpora inflamment, ut in quibuſdam febres concitare ſoleant, maximeque, ut Gal. *in 1. de ſanit. tuenda* animadvertit, in infantibus. Refrigerant etiam interna viſcera, ipſorum calorem reſolvendo, quod expreſſit Hippoc. *in Epidemiis lib. 6. ſect. 4. text. 12.* dicens: *Evidenter vigilans calidior exterius, interius autem frigidior*. Ibique corpora etiam digerere, ac reſolvere vigilias, docuit, ex quo vires illis diu perſeverantibus valde dejici, ac exſolvi, Galen. *in lib. 12. meth. med. cap. 8.* prodidit. Addamus quoque, vigilias cruditates humorum, ex Galen. *in 1. de vic. rat. in acutis*, fovere, atque augere. Quamobrem hiſce de cauſis vigiliæ in acutis mor-

Vigiliæ quæ ſalutem præſagiunt.

Vigiliæ fere omnes malæ, & quare.

bis omnes malæ judicari debent, omniumque pernicioſiſſimæ perpetuæ, quæ quum omnia prædicta mala ægrotis inferant, quis exitium ab ipſis non prænoſcet? Hæ ſane familiarius convulſionem accerſunt, atque delirium, quæ bifariam ab his fiunt, uno modo exſiccato, ac inflammato cerebro, atque altero humore calido oppleto; quatenus vigilia quævis, ut nuper docuimus, cerebri aut vacuitatem ſeu exſiccationem, aut humorum calidorum repletionem, ſeu phlegmonem adeſſe denotat: ex hac quidem cauſa, quum vigilia deliria & convulſiones concitantur, non omnino letales, quando interdum vacuato, ac reſoluto, aut ad aliam partem propulſo calido humore, reſolvantur, de quo *in 3. Coac. præſag. text. 109. Pueris acuta febris, alvi ſuppreſſio cum vigilia, adhæc exaltatio, & caloris mutatio, multus robur, convulſionem ſignificat.* Timendæ tamen cum his maxime ſunt, etſi perpetuo non ſint letales, ex quo probe Hippoc. de his *in 7. Aphor. 18.* dixit: *In vigilia convulſio, & deſipientia, malum.* Ex illa vero, cum vigilia, aut poſt ipſam, convulſiones, aut deliria plane letalia exſiſtunt. Non ſecus atque convulſiones ardentibus febribus ſupervenientes, de quibus poſterius dicemus, irreparabile exitium prædicant. Qualia in *phrenitico* tribus diebus mortuo Hippocrat. obſervaſſe, *in tertio Epidem. pag. 1100. Ægr. 4.* meminit. Hæ vero cum aliis ſignis, quippe cum vomitibus æruginoſis, capitiſque dolore, delirium ferinum, ac letale præſagiunt. De quibus auctor Prorrhet. *in 1. Prorrhet. 10.* dixit: *Qui in capitis doloribus æruginoſos vomitus habent, vigilantque cum ſurditate, cito hi vehementer inſaniunt,* ut *phrenitico* nuperrime dicto accidit. Aſſiduæ itaque vigiliæ ac perpetuæ plane in acuto morbo letales exſiſtunt, quales in *phrenitico lib. 3. Epidem. p. 1100.* in *uxore Dromeidæ, Epidem. lib. 1. Ægr. 11. pag. 987.* quæ a prima die ad quartum uſque inſomnis. Inſomnes multos ardentibus febribus ægrotos obiiſſe, Hippocrat. *in primo Epidemiorum com. 2. pag. 954.* prodidit. Ex quo merito *in 2. Progn. pag. 39. lin. 52.* dixit: *Peſſimum vero eſt, ſi neque interdiu, neque noctu dormiat:* Dolor enim ac labor, vel deſipientia, ab eo indicio ſignificatur. Cum vigilia vero ſi aliquod ex exitioſis ſignis etiam illuxerit, plane exitioſum erit. Conſiderandæ vero ſedulo ſunt vacuationes, ſimul cum vigilia non deſinente obſervatæ, quæ omnes malæ ſunt, quod vel ſymptomaticam naturæ excretionem, inutilemque, vel pravam præmonſtrent, certum exitium denotabunt. Malæ ſunt, ſi ſudor capitis frigidus, atque copioſus, aſſiduus. De quo *in 2. Coac. præſag. text. 41. Exſudantes, vigiles, recaleſcentes, malum.* Excretioneſque aliæ nihilo ſublevantes cum ſignis cruditatis, peſſimæ, ſtillæ narium, vomitus virulenti, exſiſtunt. Sequuntur vigilias aliquando vacuationes, quæ quum nihil juvant, peſſimæ judicantur, ſæpiuſque ægros offendunt, morbum adaugent, quod in omnibus tum vacuationibus, tum ſymptomatis, ægros juvare debentibus, pernicioſum eſſe, Galen. *in Prorrheticis*, atque alibi docuit, ex eo, quod in morbis acutis excretiones, & alia quæ juvare ſolent, ni juvant, mala dicuntur; atque ſi, præterquam quod non juvant, etiam lædant, omnino letalia dici debent. Sæpe vero, quemadmodum aſſiduas vigilias in illis morbis diximus ſequi convulſiones pernicioſas, phrenitides ferinas, ac tremores,

Quanam letales.

xa

ita aliquando comata letalia ſubſequuntur: ſi etenim, ut ſuperius meminimus, a vigilia ſomnus longus, qui tamen ægros meliuſculos faciat, ſequatur, optimum; qui vero nihil nedum juverit, ſed quinimmo ægrum oblæſerit, letalis erit; de illoque *in* 2. *Aphor.* 2. Hippocrat. dixit: *Somnus delirium ſedans, bonum*. Et de hoc *Aphor.* 1. *text.* 2. *In quo morbo ſomnus laborem facit, mortale. Si vero ſomnus juvat, non mortale:* Comata vero, aſſiduas vigilias ſecuta, plerumque exitioſa exſiſtunt; quia reſoluto, ac refrigerato nativo calore fiunt. Quod ſumme exitioſum eſſe Gal. *in* 4. *lib. Aphor.* 67. ſcriptum reliquit: inſanabilia enim eſſe frigora, quæ calidis ſiccisque ſuccedunt affectibus, ibi docuit. Accidunt vero vigiliis aliquando comata, aut reſoluta bile & ſicca evaporatione, quæ vigiliarum cauſa fuerat, remanente pituitoſo humore, qui cerebrum humectat ac diluit. Hæc cum ſignis coctionis, viribus valde conſiſtentibus, haud pernicioſa apparent. De his (quum de vigiliis abunde ſcripſerimus) nunc accuratiorem ſermonem inſtituemus.

CAP. XXIII.

Quid ſomni in morbis præſagiant.

Somni veternoſi quinam dicuntur.

SOmnos veternoſos appellamus omnes, a quibus ægri aut non expergiſcuntur, aut non minima difficultate, habentes ad ſomnum maximam propenſionem, quod quidem obſervamus in Comate ſeu Cataphora, Caro, Catoche ſeu Catalepſi, atque in veterno ſeu Lethargo. Ut vero ex his ſomnis, ac vel etiam ex naturalibus, ſcite Prognoſticum indagemus, quædam ad horum ſoporiferorum, ut ita vocemus, affectuum notitiam in primis ſunt a nobis cognoſcenda; & primo diviſo ſomno in naturalem atque non naturalem: de naturali loquimur, qui nihil aliud eſt, Galeno auctore *in primo Prognoſt. comm.* 12. quam animæ delatio ſecundum naturam a finibus ad principium, vel eſt quies vacatioque ab animalis actionibus. In hoc enim calor nativus labore feſſus, ac per vigilias exſiccatus, copioſo humido indigens, in viſcera & ventrem convertitur, ibique exſiſtente humido recreatus foras erumpit, atque vigilias inducit. Hinc Hippocr. *in* 6. *Epid. comm.* 4. *text.* 12. ait: *Evidenter vigilans calidior exterius, interius autem frigidior, dormiens e contrario*: quod in ejusdem libri *comm. quinto text.* 28. ſcripſerit: *ſanguinem in ſomno ad interiora magis refugere*, ex quo Galen. *in com. text.* 30. ſcribit: *vigilanti exteriora magis calent, interiora magis frigent, & contra*; ex eo quod, ut paullo poſt, Hippocratis ſententiam confirmans, ſcripſit, in ſomnis ſanguinem & cum eo naturale calidum interius abdi, & in vigiliis ad extima profundi. Fit vero calore nativo intus retracto, ut exterioribus refrigeratis omnes ſenſuum actiones atque opera ſileant: ex frigiditate hac obſtructis meatibus nervorum, per quos calor & facultas exterius profunditur, animalia ceſſant, ut ait Galen. ab omnibus animæ actionibus; atque hic eſt ſomnus naturalis, qui fit, ut dictum eſt, calore per vigilias exſiccato in viſcera ac ventrem recurrente, ut recreetur: hinc ab aſſumtis cibis ſomnus

Somnus naturalis quid.

ſolet familiarius fieri, atque etiam, quæ particularis ſomni quoque erit cauſa, quod tunc temporis plures vapores humidi & craſſi, petentes caput, cerebri meatus obſtruunt, a quibus obſtructis calor intus clauſus, quouſque vapores ii non fuerint extenuati ab ipſo & excuſſi foras, ad vigiliam conciliandam profundi nequit. Quare colligamus ſomnum fieri, aut ubi calor per vigilias exſiccatus, humido indigens, ad viſcera, ut recreetur, convertitur, aut a vaporibus ciborum cerebri meatus obſtruentibus: ſed hic ſomnus ad innaturalium ſomnorum naturam accedere aliquibus pervidetur; atque ille plane eſt naturalis, & eo magis, ubi vapores ii copioſiores ſunt, quales in ebriis obſervantur, qui cerebro vini epoti vaporibus oppleto profunde diuque dormiunt. Quod Hippoc. *in* 5. *Aphoriſm.* 5. ita meminit, *ſi ebrius quiſpiam repente obmutuerit, convulſus moritur, niſi eum febris arripiat, aut ad eam perveniens horam, qua crapula ſolvuntur, vocem proferat.* Namque hi, niſi a calore vinum ejuſque vapores digerantur, & diſcutiantur, ſuffocantur; hinc merito ait, *hos ſuperveniente febre juvari*, quod calor febrilis, longe naturali efficacior, digerat vapores vini: atque hic unus eſt ex ſomnis non naturalibus, quos Medici ex cauſarum diverſitate variis nominibus appellant, licet hos omnes *veternoſos* vocent. Hic vero affectus foras progredi non poteſt, ſed intus detinetur, aut ob multam humiditatem cerebrum occupantem, aut ob ſolum frigus, aut ob utrumque, aut ob virium languorem. Somnus is *veternoſus* proprie dicitur, qui in *Lethargo* concitatur, veluti qui *Caros*, in affectu *Caro* Græcis, & Arabibus *Subeth* dicto, & qui in *Catoche* ſeu *Catalepſi*, aut, ut vulgo Medicis placet, congelatione, atque non minus qui *Coma Cataphora* dicitur. Hi omnes ſunt ſomni præter naturam, quorum quoque non minus cognitio eſt illuſtranda, quum hæc ad præſagiendum ex ſomnis magni momenti ſit. Primo hoc ſupponemus, quippe omnes, qui innaturaliter dormiunt, *comatoſos*, & *veternoſos* vocari. Vocat enim *comatoſos* Galenus *in tertio Epidem. com.* 1. *text.* 7. qui habent in ſomnum delationem ac propenſionem. Vocat vero in ſomnum propenſionem, quum ægri vigilare nequeunt, non apertos habentes oculos, ſed conniventes. *In ſecundo vero Aphoriſ.* 3. Hippocrat. *Coma* vocat ſomnum longum, qui habet difficilem expergefactionem, qua quidem difficili expergefactione a ſomno longo naturali diſtinguitur, uti Galen. prius in hoc eodem *lib.* 2. *Aph.* 1. ita docuerat: *Sed falſos eſſe quamplures, quod veternoſos incipientes affectus longum ſibi perſuaſerint ſomnum eſſe. Verum ii a nobis edocti, veternum* (κῶμα Græcis appellatum) *prius dici non poſſe, quam in expergefaciendo difficultatem habeant conjunctam, nobis ſomnum recte longum appellari concedunt, qui tempore quidem naturalem ſuperet moderationem, ſed nondum ad expergefaciendum difficultatem habeat.* Quare lethargicos ac veternoſos ſomnos appellamus, qui habent difficultatem ad expergefaciendum, quippe ubi ægri in ſomnum ita inclinant, ut oculos apertos non habeant, ſed conniventes, palpebras claudere cupientes, ſimul dormire ſperantes. Diſtinguuntur vero ſomni veternoſi ſpecies ex eo, quod quidam ſomni nullum aliud quam ad ſomnum propenſionem præ ſe ferunt, cujuſmodi vere *coma*, *cata-*

Somnus veternoſus quinam proprie dictus.

Coma quid.

Somni veternoſi ſpecies quomodo diſtinguuntur.

tapha-

taphora & marcorem dicimus ; alii vero nedum habent in somnum delationem, sed marcorem & inexpugnabilem pæne dormiendi necessitatem, qualis in *lethargo* observatur ; & alii una congelationem seu deprehensionem omnium corporis partium ostendunt, cujusmodi sunt in congelatis, qui affectus Græcis *Catoche* & *Catalepsis* dicitur ; alii denique una cum somno vel difficili, aut fere inexpugnabili dormiendi necessitate, una motu omni ac sensu destituuntur, mensque non minus vitiatur, quales *Caros* Græcis, & *Subeth* Arabibus affectus, ostendit. Differunt etiam hi veternosi somni, quia ipsorum alii simplices ac tales exquisite sunt, & alii vigiliis misti. Proinde coma distinguitur in *coma* simpliciter, & in *vigil* appellatum, quod Græcis *Coma ἀγρυπνον*, hoc est absque somno dicitur, veluti alterum *Coma hypnoticum*, hoc est, somniculosum. Veluti *Typhomaniam* affectionem appellamus ex lethargo ac phrenitide mistam, in qua dormiunt, vigilant, delirantque. De qua Hippocrat. *in Epidemiis lib. 3. sect. 3. pag. 1085. Nec phreniticorum ullus valde insanivit, sed alia quadam Cataphora segni graviter interibant*. Sed jam causas veternosi somni differentiarum his præmissis prodamus. Comatis seu Cataphoræ Galen. *in tertio Epidem. com. 1. text. 7.* quatuor esse causas statuit, quippe primam ubi multum humecta pars sit, quæ est sensus fons; in qua vel etiam Aristot. fieri somnum recte demonstravit, ut nonnullis ebriis usuvenit. Secundam ait esse solum frigus, ut fit ex narcoticorum usu. Sed frigus aut principio obsedit, aut postea ab immodico calore flammeo naturali fere consumto, quod mortiferum esse, postea intelligemus. Tertiam esse tum frigus, tum humiditatem simul, quinimmo his duabus concurrentibus causis fit somnus comatosus. Quartam esse virium infirmitatem, quod genus comatis fit in moribundis, ut ibid. Galen. habet, propter infirmitatem virium, apertas palpebras servare non valentibus, ac ita affecti hoc habent, ut postquam oculi conniverint, aut nihil prorsus aut parum dormiant, sed vigilent, nec attollere tamen palpebras queant. In *lib. 2. aph. 3.* ac *in 3. de locis affect. cap. 3.* & *in 4. de præsag. ex pulsib. cap. 3.* & in multis aliis locis docet Galen. siccitatis propria signa esse vigilias, & humiditatis profundum somnum, & frigiditatis fatuitatem itidem cum somno profundo, ut ex usu narcoticorum apparet, quum humiditatis tum refrigerationis cerebri lethargicum somnum, veluti frigiditatis & siccitatis Catalepsin, ideſt, deprehensionem seu congelationem, ex quo affectu non sunt comatosi, sed sublatis oculis intuentur inconniventer. Atque tot sunt ex Galeno causæ soporiferorum affectuum exquisitorum. Ubi vero misti sunt affectus ita, ut comatosi vigilent, ac vel etiam delirent, mistas quoque habere causas necesse est. Diximus Coma observari somniculosum, & vigil ; illius audistis causas; hoc vero fit, Galen. auctore *in 1. Aph.* & *in eodem libro quarto de præsag. ex pulsibus, cap. 8.* ubi cerebrum quum humiditas tum caliditas occupaverit: eodem quoque modo ubi humores calidi & pituitosi fuerint in cerebro, ex quibus mistis humoribus fit mista illa affectio ex phrenitide ac lethargo, quam Græci *Typhomaniam* appellant ; in qua quidem ægroti perpetuo dormiunt & vigilant, de quibus Hippocrates *in 3. Epidem. comm.*

Somni veternosi differentiarum causæ.

comm. 3. pag. 1085. Nec phreniticorum ullus valde inſanivit, ſed aliquadam cathaphora ſegni graviter interibant, & comatoſi diu, rurſuſque inſomnes erant. Galenus *in commentariis* ait, fieri coma vigil, ubi etiam humores frigidi in cerebro putreſcunt, ab humiditate enim comatoſi, & ab acrimonia ex putredine concitata vigiles atque deliri evadunt. Atque tot hi affectus habent cauſas, quibus præmiſſis reliquum eſt, ut ad ſomnorum prognoſticum deſcendamus, a naturali facto principio. Nam quemadmodum innaturalis omnis malus, ita naturalis omnibus bonus; hic enim humores concoquit, ut Galenus docuit *in quarto libro Aphoriſmor.* Hippoc. *in 6. epidem. com. 4. text. 12.* a calido interiora petente: per ſomnum enim aucto interius calore, ut ait Gal. *in 3. de cauſ. pul. cap. 9.* In venis arteriiſque ac in toto animali meliores fiunt concoctiones, ob quam cauſam in principio internarum inflammationum ſunt fugiendi, quod materiam ad profundum & ad viſcera trahant, eodem Gal. docente, *in eod. 4. Aphor. 67.* in quibus affectibus Galenus dicit, ſomnos eſſe plane perpetuo fugiendos propter allatam cauſſam, niſi coctionis ratione plus afferant utilitatis: utiles ſunt in morbi declinatione, quo tempore ſi lædant, ſunt pernicioſi, ex Gal. in 2. *Aphoriſ. 2.* Cognoſcuntur vero boni ac utiles ex eo, quod vel inflammationem, vel febrem, vel dolorem, vel delirium ſedant, quod faciunt, ubi materiam noxiam concoquunt, & digerunt: de quibus Hippoc. *in 2. Aphor. 1.* ait: *In quo modo ſomnus laborem facit, mortale, ſi vero ſomnus juvat, non mortale*, ſed utilis eſt & bonus; in phlegmonum, dolorum & febrium declinatione, ſi juvat, eſt ſalutaris: ac ut uno verbo dicam, perpetuo ille ſomnus dicetur bonus, qui juvabit, ex eo, quod ſignificat calorem humores concoquere ac digerere; quo ſenſu dixit Hippoc. in eodem libro *Aphoriſmor. 2. Ubi ſomnus delirium ſedat, bonum*, & Gal. *in comm.* ſomnum commendat, ubi inflammationem, vel febrem, vel dolorem, vel delirium ſedat. Cognoſcitur vero bonus vel ex eo, quod, uti in 5. *Coac. præſag. text. 151.* habetur, ſit profundus neque turbulentus, hi enim habent firmum judicium. Optimus eſt ſomnus, qui pluers vigilias ſequitur, ubi ægroti ſuavius dormiunt, etiamſi diu perſeveraverit. Galen. ſiquidem in 1. *prorrh.* narrat quosdam, qui quum tribus quatrorve diebus vigilaſſent, per diem noctemque dormiiſſe magno juvamento: omnium maxime pueris auxilio eſſe ſolent, atque in ipſis laudantur. Atque hæc de ſomni naturalis judicio; nunc de iis, qui præter naturam ſunt, dicamus. De quibus in *Coacis præſagiis text. 178.* legitur: *Sopor ubique malus.* Nam etſi in ebriis, ut aliqui dicunt, ſomnus neque plane commendetur, neque damnetur, tamen plures ipſorum quum diem ſopore profundo duxiſſent, itidemque & noctem, numquam amplius revixerunt. Proinde divine quidem Hippoc. de his ita habet *in Aphoriſm. ſect. 5. Aphor. 5. Si ebrius quiſpiam derepente obmuteſcat, convulſus moritur, niſi febre corripiatur, aut qua hora crapula ſolvitur, vocem recuperet.* Sed utrum ex comatoſis ſomnis quicquam boni poſſit ſignificari? Certe quidem, quando non raro criſes, quæ ſanguinis e naribus aut parotidum eruptione fiunt, præcedant, ſanguine quippe in caput ſublato: ſed hujuſmodi judicium coctionis ſigna in excrementis, & alia critica

Somni unde cognoſcuntur boni & utiles.

Somni unde cognoſcuntur boni & utiles.

Somni comato ſi aliquando boni.

tica ſigna confirmabunt. De quibus *in Prorrhet. lib. 1. text. 168.* legitur: *In capitis dolore coma & ſurditas abſceſſum aliquem poſt aures eructant*: & poſtea *ibid. text. 169. Hypochondrii contentio cum comate faſtidioſo & capitis dolore parotidas effluere faciunt*. Sed ad malos ſomnos, qui omnes tales cenſentur, ubi modum naturæ exceſſerint, & Hippocrat. *in 2. Aphor. 3.* ita ſcribente: *Somnus atque vigilia utraque, ſi naturæ modum exceſſerint, malum*. Sed maxime dormiendi ſpectanda erit conſuetudo, quum ſit altera natura. Mali præterea omnes haberi debebunt, qui nihil juvant, & omnium maxime qui lædunt. Hippo. de his *in 2. Aphor. 1.* ait: *in quo morbo ſomnus laborem facit, mortale*: & Gal. *in comm.* ait: *quemadmodum ſomnus in acceſſionum declinatione eſt utilis, ſi juvet ægrotum; ita ſi ipſum lædat, eſſe letalem*. Docet vero ibi Gal. ſomnos lædentes eſſe in febribus, a quibus vel febres, vel ſymptomata non diminuuntur, ſed augentur, vel exacerbantur, aut nova fiunt; uti quum dolores concitantur, vel deliria, vel ubi ante ſomnum ægroti deliria loquuntur, expergefacti etiam perſeverant in delirio, aut ſi ex ſomno coma evadit, quippe ubi poſt ſomnum difficulter, vel non, excitantur. Hujuſmodi omnia fieri propter humorum malignitatem, qui cum calore naturali non concoquuntur, ad viſcera recurrunt, eaque aggravant, ut Galenus ibidem nobis prodidit. Comata vero in principiis morborum, utpote quod ſoleant fieri a multa humiditate, cerebrum diluente, nonniſi gravis ac periculoſi morbi erunt indicia, quum tantam humorum multitudinem ſignificent, atque ea cerebrum lædi cœpiſſe, quæ clarius judicabuntur ab iis, quæ poſtea illucent. Nam ſi letale ſignum illuxerit, pernicioſum eſt, ſicuti in *uxore Olympiadæ*, ut ex *7. Epid. text. 49. pag. 1221.* conſtat, fuit obſervatum. Hæc enim quinta die facta comatoſa excitantes non ſenſit, voxque, quæ ei defecerat, non ſolvebatur, nec quicquam allevabatur, ſpiritusque aderat ſublimis, qui per nares trahebatur, a quibus, coma fuiſſe pernicioſum, præoſtendebatur. Coma itidem, quod non in principio, ſed in vigore poſt calidiſſimum ſæviſſimumque morbum apparet, eſt exitiale non minus quam ex virium languore concitatum, quale in *Hermocrate* fuit obſervatum, de quo Gal. *in 3. Epid.* (*Vide hiſtoriam in Hippocr. lib. 3. Epid. Ægr. 2. pag. 1062.*) ita habet: *Reliquum ergo eſt, per refrigerationem inſignem cerebri, aut facultatis imbecillitatem Hermocrati Coma induxiſſe die undecimo. Utrum autem ſit horum, extreme eſt pernicioſum. Nam inſanabilia ea eſſe demonſtratum eſt frigora, quum calidis morbis ac ſiccis ſuccedant. Sed quod virium imbecillitas facit, exitium proximum notat*. Diximus aut cognoſci hoc genus comatis ex Gal. *in 3. Epidem. Com. 1. text. 7.* ex eo, quod ita affecti, poſtquam oculi conniverint, aut nihil prorſus aut parum dormiunt, ſed vigilant, nec attollere tamen palpebras poſſunt. Demum exitioſum non minus eſſe coma illud conſtat, in quo, ut Galen. *in 3. Progn. text. 11.* Comatoſi ſublatis oculis intuentur inconniventer. Cujuſmodi in congelatis ſeu dephrenſis obſervatur, de quo ibi Gal. ait: *Conſiderari autem convenit hunc in modum ſuſpectiones etiam oculorum per ſomnum: Si quid enim candidæ partis ſubapparet commiſſis palpebris, nec alvi fluor aut medicamentum in*

Somni quinam in febribus lædunt.

Comata exitioſa.

cauſa

cauſa eſt, nec ita dormire conſuevit, vitioſum indicium, letaleque admodum eſt. Quod facultatis moventis palpebras exſtinctionem ſignificet. Quod in uxore *Theodori* ut ex 7. *Epidem. text.* 27. *p.* 1216. apparet, fuit obſervatum. De qua Hipp. ait: *Similiter oculi demiſſi ad infernam palpebram magis inclinantes rigide ac ſtupide intuentes, albæ oculorum partes pallidæ & mortales.* Hoc modo ſpectant congelati, qui affectus Græcis *Catochi* & *Catalepſis* dicitur, ſeu *Catocho* vexati, ut Gal. in *Prorrhet.* de quibus Auctor ille in 3. *lib. Prorrhet. text.* 96. ſcribit: *cum virium exſolutione quum catochas tum aphonias eſſe pernicioſas.* Ceterum ex comate licebit judicium facere non tantum ex ipſius cauſarum varietate, ſed etiam ab iis, quæ præceſſerunt, & una cum comate illucent, atque ab iis non minus, quæ poſtea apparent. Veluti a prægreſſis ſignis, ubi a longa vigilia, exempli gratia, ex calidiſſima ſicciſſimaque cauſa oborta, coma poſtea fiat; hoc enim eſſe letale ſignum, alias a nobis dictum eſt, quando nuper fuerit demonſtratum, letalia eſſe frigora, quæ ſuccedant calidis ſicciſque morbis. Hinc Medici omnes colligunt veternum a phrenitide eſſe exitioſſimum morbum. Quare & coma vigilias ſecutum, niſi criticum ſit, perniciem oſtendit. Eodem modo ex ſignis, quæ ſimul cum ipſo comate, bonis & malis, bonum malumque fiet judicium. Nam quum ſimul alia gravia ſymptomata illuxerint, graves affectus, ſimul & judicium erit difficile, ut quando comatoſi ſunt, ſimul etiam vigilant, qui affectus ſolet denotare haud parvam malignitatem; ubi etiam comatoſi vigiles quoque & deliria loquuntur, quod judicium notaſſe Hipp. *in* 3. *Epid. ſect.* 3. *pag.* 1085. *& ſparſim in hiſtoriis Ægrorum illo in libro expoſitis* dicemus. Quum vero cum comate etiam gravia ſymptomata illuxerunt, grave redditur judicium. Nam auctor *Prorrhet. in lib.* 1. *Prorrh. text.* 89. ait: *Coma cum oculorum perverſione lib.* 1. *text.* 89. *malum*: & in *lib.* 1. *comment.* 5. *text.* 32. *&* 33. *Coacorum præſagior. text.* 180. *Qui comate oppreſſi, ab intitio exſudarunt leviter, urinis coctis ardentes citra judicium refrigeſcentes, brevibus inter vallis ardore redeunte, torpidi, oppreſſi comate, convulſione ſubinde capti, pernicioſe habent.* Neque mirum, quum concurſum notet multorum letalium ſignorum: & ſequenti ait *text.* 181. *ſomni ſimiles iis, qui comate laborant, & perfrigerationes letales.* Sed hoc erit in febri ardente intelligendum, in qua ægri intus uruntur, exterius algent, in quibus coma ſemper pernicioſum erit. Ab iis vero, quæ poſtea ſequuntur, probe quoque ſciri poteſt, quid ipſum coma mali portendat. Aliquando enim criticum eſſe oſtenditur, quum ipſum bona aliqua evacuatio ſequatur, aut aliqua excretio. Proprium vero comatum eſſe videtur, ut critice parotides futuras ſoleant portendere, de quibus in *lib.* 5. *text.* 181. *Coacorum præſag. text.* 183. *Comate preſſi, faſtidioſi ab Hipochondrio dolentes, pauca vomentes, in aures abſceſſus habent. Prius autem tumores circa faciem cum comate.* Aliquando vero purgationem per alvum; de qua etiam *in eodem libro text.* 182. legitur: *Qui Comate preſſi, labore & laſſitudine fracti, obſurduerunt, erumpente alvo, rubra dejiciunt circa criſin, idque juvat.* Auctor *Prorrhet. lib.* 1.

Comata quid critice ſolent portendere.

Pror-

Prorrhet. tex. 1. *& Coac. præſag. text.* 179. dicit, *ſtillas ſanguinis in comatoſis eſſe letales*; idemque ſignificant ceteræ aliæ omnes malæ evacuationes, & omnia mala ſymptomata: ſi enim talia poſt coma illuxerint, judicium erit periculoſum, veluti ſi in comatoſis ſuccedant convulſiones, deliria, aphoniæ, anxietates, dolores viſcerum fortes, atque alia, quæ nedum non bona, ſed quinimmo apprime pernicioſa exſiſtunt. Atque his claudatur ſermo de Prognoſtico a ſomnis judicando ſuſceptus.

FINIS SECUNDI LIBRI.

PRO-

PROSPERI ALPINI MAROSTICENSIS, DE PRÆSAGIENDA VITA & MORTE ÆGROTANTIUM,

LIBER TERTIUS.

CAP. I.

Quantum ad prædictionem cognitio motricis facultatis Medicis conducat.



ROBE cognita firmitate, imbecillitatem facultatis ratiocinatricis, atque ab ea quoque modo, quo prædicendum sit in ægrotis, perspecto, restat, ut tantumdem quoque in motrice laboremus. Cujus quidem facultatis cognitio ceteris ad prognosin non minus est utilis. Hanc vero recte valere, & robore non carere, denotant partes corporis, ubi recte ac secundum naturam moventur; & impotentiam seu imbecillitatem actiones diminutæ, aut vitiatæ, aut prorsus sublatæ declarant. Est vero motricis actio læsa, qua imbecillitas facultatis dignoscitur, triplex: quippe aut imminuta, aut sublata, aut denique vitio quopiam affecta. Diminuta hæc facultatis actio in senibus maxime observatur, qui sane caloris innati defectu ægre partes corporis movent, sæpiusque in his partes ob eam causam tremunt. In resolutis & congelatis prorsus tollitur; vitiaturque in convulsis & epilepticis. Partibus itaque corporis secundum naturam admodum se habentibus, facultatem recte valere, roboreque non carere, scimus, quod in morbis perpetuo bonum sit, licet ex hoc solum non debeamus judicium de morborum eventu facere: sed tempus expostulat, his præmissis, ut figillatim præsagium ex singulis hujusce motricis facultatis symptomatis persequamur, a decubitu ægrotantium exordientes, quum ex ipso motricis facultatis robur atque infirmitas maxime nobis innotescat.

Motricis facultatis cognitio quantum ad prædictionem.

CAP. II.

De prædictione ex decubitu, & primo de optimo, qui salutem præsagit futuram.

DEcubitum in ægrotis motricis facultatis potentiam ac infirmitatem, seu debilitatem omnium maxime ostendere, neminem Medicorum latet; & merito sane ex ipso decubitu possumus, quanta ea sit facultas, conjicere. Motus enim, qui in decubitu fit, a duobus quidem pendet; a facultate quidem membra movente, atque ab ipso quidem corpore, ejusque membris per se motis. Hoc in cadaveribus spectatur, & moribundis, qui ex gravitate deorsum moventur, illud in recte valentibus, & in ægrotis ad sanitatem inclinantibus. Recte sane Diocles dicebat animalium corpora ἐκ τε φέροντος καὶ τε φερομένε, ideſt ex ferente, & ex eo quod fertur, constare. Nam anima quidem seu virtus ipsa est, quæ fert; corpus vero id, quod fertur; hoc naturaliter deorsum movetur a gravitate, illa sursum deorsum, ante, retro, in latus movet ad arbitrium, aut quasi suspensa in aere membra continet, dum musculos contrahit, tendit, sistit, ne proprio & elementari motu deorsum delabantur. Ubi itaque corpora vix moventur, convertuntur, eriguntur, sed præ gravitate facilius deorsum delabuntur, nobis significant facultatem animalem majori ex parte esse exstinctam ac resolutam. Hac enim integra exsistente, nihiloque diminuta, corpora facile quomodolibet ab ægrotis moventur, convertuntur, eriguntur, brachia, manus, caput in aere sustinentur, atque hoc est vivere, seu vita, quæ eatenus est, quatenus anima ipsa corpori firmiter copulata manet, qua disjuncta a corpore mors succedit, seu interitus. Ubi itaque plurimum ipsa anima in corpore valet, optimos decubitus spectamus, eaque prælanguente, pessimos. Sed age de bonis modo agamus, & quomodo in acutis morbis ab ipsis liceat præsagii rationem habere. In 7. *coac: præs. text.* 457. scriptum est, optimum esse decubitum, veluti quis sanus solitus fuit decumbere. Neque mirum, quum ii, qui gravi morbo laborant, non possint eo modo decumbere, ut antea per sanitatem solebant. Fracti viribus supino decubitu oblectantur, distentis cruribus, ac brachiis jacent, inquieti ac anxii in uno decubitu consistere nequeunt, nullamque formam decubitus servant. Delirantes seipsos foras e lectulo projiciunt, pedes ac etiam pudenda nudant, aliquando prosiliunt. Moribundi præ facultatis impotentia ad pedes deorsum delabuntur. Quare decubitus, qualis fuit per sanitatis tempus, seu qui sanorum sit similis, merito optimus erit, & significat ægrotos non vexari maligno, aut periculoso morbo. Quem Hippocr. quoque *in primo Prognost. pag. 37. lin. 35. & seq.* laudavit, quum ita dixerit: *At ita cubare ut sani solent, saluberrimum est. Prognost. pag. 39. lin. 33. Optimum vero est, ubi corpus, quod laborat, facile convertatur, assurgendoque alacre sit*, decumbat, stet, membra sustineat. Hæc enim actio promta ac expedita nervorum robur, spi-

Decubitus quid in ægrotis notat.

Decubitus quinam boni.

rituum copiam, & facultatis animalis integritatem denuntiat. Atque hoc eſt, quod Auctor *præſag. Coac. text.* 493. ita habet: *Converti autem facile ægrum oportet, alacremque eſſe, dum ſe attollit, exſurgitque.* Hippoc. vero *in primo Prognoſt. pag.* 37 *lin.* 33. *& ſeq.* de optimo locutus, ita habet: *Cubantem offendi ægrum a Medico oportet in latus dextrum aut ſiniſtrum, ac manus, cervicem & crura paullulum reducta habentem & omne corpus molliter poſitum: ita enim plerique bene valentium cubant. At ita cubare, ut ſani ſolent, ſaluberrimum eſt.* Ex quibus colligitur tria ad optimum decubitum expeti, primum ut ægroti in alterutrum latus cubent, quod ſane, ut quando Gal. docet *in commento*, talis decubitus indicat robur facultatis per muſculos firmantis corpus, veluti debilitatem oſtendit, ubi in latus æger cubare nequit. Secundum, ut manus, cervicem, & crura paullum reducta habeat; hoc enim conſuetum pleriſque benevalentium eſt. Tertium, ut corpus molliter poſitum jaceat. Galen. vero *in primo libro de Humoribus text.* 24. ait, *ut totum corpus non ſiccum, ſed humidum ſit.* Non ut putant aliqui, quod corpus omne æque calidum molleque eſſe debeat, ſed ut recte Galenus docuit *in primo Prognoſticorum* loco citato, quod ſecundum declaret, quippe corpus ægri debere manus, cervicem, cruraque paullum reducta, minimeque immoderatius aut reducta aut extenta habere, & quod intenſa ſicca omnia videantur, propterea laudavit corpus molliter poſitum, ideſt, ut non ſiccum, ſed humidum.

Quod Galenus *in Comment.* ita expreſſit: *Igitur immodici habitus, extentis admodum nervis, officiunt, quomodo libro de motu muſcul. jam definitum eſt.* Qui vero inter habitus immodicos incidit, nequaquam intentus eſt; quocirca talem vocavit mollem, quia corpora molliora intendi non ſolent. Quam rem clarius quoque declaravit *in lib.* 1. *de Humoribus com.* 24. Quocirca oportet, ut ipſe conſulit, brachia, & crura parum reducta eſſe, ut totum corpus jaceat extra figuras extremas: extremas autem figuras intelligo, in quibus longa extenſio aut flexus, ſive artuum, ſive ſpinæ ſint, quæ nervis ſupra modum extentis fiunt. Atque hi ſunt optimi decubitus, qui cum aliis bonis ſignis ſalutem prænuntiant. Nunc ad ſignificantes contrarium declinemus.

CAP. III.

De malo decubitu in acutis morbis, exitium denotante.

Decubituq; uinam malus.

MAlum omnem eſſe decubitum, qui recte valentium non eſt ſimilis, ex præmiſſis cognoſcitur. Quemadmodum etiam dictum eſt, optimum eſſe, ſi quis ægrotus alacriter aſſurgat, aut in lectulo convertatur, quod vigere facultatem animalem, motricem appellatam, indicat; ita ſi cum labore, & gravitate moveatur, prælanguidam oſtendit. Ex quo *in Coacis præſagiis text.* 493. legitur: *At gravitas totius corporis & manuum ac pedum mala eſt*; præſertimque non oppreſſis muſculis plenitudine, nec ſubita aliqua vacuatione aut occaſione manifeſta prægreſſa. Cum gravitate vero hac,

(quæ

(quæ motricem læſam denotat) ſi digiti (addidit auctor *Conc. præſagiorum textu eodem*) *lividi ſint, & ungues, mors eſt in propinquo* , quod gravitas corporis animalem defeciſſe facultatem, & lividitas digitorum, & unguium, caloris conſpicuam, qui a corde manat , exſtinctionem ſignificet. Damnatur quoque decubitus propterea ſupinus ab Hippocrate , qui extremas figuras oſtendit, quod *in primo Prognoſticorum pag. 37. lin. 39.* ita expreſſit: *Supinum vero cubare manibus & cruribus extentis , minus bonum eſt* : ſed *in Coacis text. 497.* rectius ſcriptum eſt, *bonum non eſt* . Et Galen. *in comm.* dixit , talem habitum jacentibus omnino bonum non eſſe , idque vel etiam ita eſſe, ex *Hippocrate* demonſtrat, quum ipſe dixerit ibidem , ſi vero proclivior fuerit, & ſubinde ad pedes delabatur, majori cum periculo eſt; tamquam enim prædictus habitus cum periculo ſit . Hunc vero decubitum, Galeno viſum eſt, neque ad ſanitatem , neque ad mortem prædicendam , vim inſignem habere.

Decubitus ſupinus quinnam malus.

Ceterum non deſunt, qui quum putent ſupinum decubitum eſſe bonum, & primo, quod ingenti labore fatigati eo decubitu maxime recreentur; quoniam omnes muſculi (Thoracis exceptis) quieſcunt , atque etiam , quod, ſupino corpore, in partem imam ac graviſſimam, ceu navis carinam , homines procumbant; non minus etiam, quod reſolutæ vires animales non alio decubitu magis tueri poſſint , ac etiam ad excludendos calculos e renibus, e veſica , hic jacentis habitus conducat . At ſi hac ratione bonus decubitus vocetur, quis dubitabit etiam malum eſſe? Quum muſculi Thoracis, aſcendentis inter inſpirandum, ſupino homine magis laborent , quam ipſo erecto, aut alio modo decumbente . Hic etiam decubitus, ſi diu ſervetur, multos morbos vel etiam graviſſimos parit, ut epilepſiam , incubum , paralyſin , atque apoplexiam. In ſupino enim decubitu humores , vaporeſque ad poſtremum cerebri ventriculum omnium digniſſimum , deſtillationeſque facilius ad thoracem , atque ad renes deducuntur . At hoc modo nos non conſideramus , quatenus nimirum cauſa vel boni vel mali ad corpus eſſe poſſit, ſed ut ſignum ſit ad prognoſin faciens . Qua ratione perpetuo dicimus ſignificare facultatis debilitatem ; omnes enim , qui ſupine jacent , niſi ſane ita conſueverint jacere, debiles ſunt . Hic vero decubitus , quippe ſupinus, aliquando eſt arbitrarius, & fit præ mollitie quadam & languore animi , vel præ mærore : ita aliquando decumbunt ægroti, aut præ acceſſionis vehementia , aut denique ex inſigni vacuatione . In his quicquam certi ſupinus decubitus ad præſagium non habet . Ubi vero ab iis non fit, ſed ſupine jacent, manibus cruribuſque extenſis, malum eſt; malumque itidem eſt, teſte Hippocrat. in *text. 21. primo Prognoſticorum pag. 37. lin. 39. & 47.* ſi crura cubantis ſupini admodum reducta diſtractave fiant : delirium enim ſignificare Galenus docuit . *Si* vero , ait Hippocrat. *ibid. lin. 41. proclivior eſt , ac deorſum delabitur ſubinde ad pedes , majori cum periculo eſt* . Nos vero dicamus, hunc eſſe exitialem decubitum . Peſſimum vero erit, ubi etiam corpus ſupine decumbit, quaſi projectum cadaver, ita ut omnia membra proſtrata ſint, caputque in pulvinar erectum reflectatur , aut ſublato mento , quicquid eſt anterioris colli , emineat ,

Quænam malapro. ducit , ſi diu ſervatur.

Decubitus quinam peſſimus.

aut mentum claviculis contiguum ſit. Proximæ enim mortis eſt argumentum. Soluta enim animæ poteſtate grave corpus in dorſum jacet, projectis cruribus & manibus ad pedes devolvitur, vel exſtante mento & gutture caput in poſteriorem partem recidit, vel quaſi annuens claviculis incumbit. Quo ſane decubitu in foribus exitium eſſe ſignificatur. De quo Galenus *in primo libro de Humoribus text.* 24. ita habet: *Scito igitur nunc dejectionem appellari, quum quis modo hominis viventis decumbere non poteſt, ſed tamquam mortuum inanimumque corpus deorſum fertur*. Quum enim quis jacens ad pedes ſublabitur, ut Hippocrat. ſenſit, ſignum eſt virium ad extremam imbecillitatem perductarum; non poſſe aut ſtare, vel ſedere, vel exſurgere, eſt certe minus grave; ſed dejectum eſſe modo inanimi corporis, quum robur univerſum eſt ex omni parte exſolutum, & perditum, ἐῤῥίφθαι vel Erriphte, ſcilicet dejectum, idem *in ſexto Epidemiorum ſect.* 1. *text.* 19. ubi voce ἐῤῥιμμένος utitur ad oculorum projectionem denotandam docuit. Quem decubitum ad pedes, Galen. demonſtrat *in libro tertio de motu muſculorum*, exemplo cadaverum, eſſe exitialiſſimum; quod ſi corpus hominis mortuum ſic inclinaveris, non enim ne minimo quidem tempore manebit, ſed ſupinum aut pronum ſtatim fiet, quocumque gravitate verget.

Decubitus ad pedes peſſimus.

Oris hiatus inter dormiendum, peſſimus.

His addamus eos non minus pernicioſe ſe habere, qui hiante ore dormiunt, teſte Hippocrate *in primo Prognoſticorum pag.* 37. *lin.* 46. qui dixit: *Si vero hianti dormiat ore, exitioſum eſt*. Quod præſagium diverſo modo expreſſit Auctor *Coacorum præſagiorum text.* 497. quum dixerit: *letale autem eſt, & hiante ore dormire ſemper & crura ſupini jacentis valde incurvata eſſe ac complicata*. Oris hiatus fit vel propter facultatis maxillam inferiorem moventis imbecillitatem, vel propter ingens cordis incendium, aut ex utraque hac cauſa, vel propter particularem reſolutionem muſculorum, qui maxillam inferiorem cum ſuperiori committunt. Galen. *in* 7. *lib. text.* 29. vero ait: multo majorem noxam ſignificare oris hiatum citra ſomnum: & *in ſecundo, de motu Muſcul. capit. quarto*, ſcribit: ſupinum jacere & hiare, ſtertoris, aut exſolutionis, aut ebrietatis, aut ignaviæ ſigna eſſe. Ceterum non minus pernicioſum eſt, alios in delirio, alios extra manifeſtum delirium, quod ex oratione intelligetur, provolvere ſe ad margines lecti, ac primum pedes excludere, deinde quaſi deſurgere, corpus erigere, ac niſi cohibeantur, vel excidere vel ſurgere. Ex quo obſcuro delirio, ex hoc ſigno edito, Hollerius *in Coacis præſagiis* teſtatur, ſe, qui convaluerit, vidiſſe neminem. Addimus nos ex Hippocrate *in eodem primo Prognoſticorum pag.* 37. *lin.* 51. erectum ægrotum velle ſedere, in acutis, malum eſſe; peſſimum autem in peripneumonicis & pleuriticis. Hoc vero Hippocrates hiſce verbis expreſſit: *Si vero velit reſidere æger in ipſo morbi vigore, in omni morbo acuto, malum; peſſimum vero in pulmonia eſt*. Qui pulmonia infeſtantur, (ait Galenus *in comment.*) ii dicunt ſentire magnam in thorace anguſtiam, dum ſupini cubant, reſidentes vero fieri ſpirantiores; decumbit enim ad ſpinam, per ſupinum jacendi habitum, pars in pectore thoracis, a qua pulmo arctatur, nec idoneum accipit aerem in ſpirando: per alios vero morbos, quoties vigent (id enim maxime conſiderandum eſt, tamquam non

Decubitus malus.

fit

ſit temere additum) exitioſiſſimum eſſe, velle ægrum reſidere in ipſo conſiſtendi vigore. Amant enim tantiſper, maxime perpeſſi, immoti cubare, & ſi quis eos excitat, conflictantur. Itaque arbitrare propter vehementem ſpirandi difficultatem, aut inquietationem, aut delirium, reſidere ægrum aggredi per conſiſtendi vigorem ægrotationis. Huic ſimilis videtur decubitus, quem Hippoc. *in eodem libro pag. 37. lin. 43.* ita tradidit: *Si vero nudos habeat pedes nec admodum calidos, ac manus, collum & crura diſpergat inæqualiter, malum eſt; ſignificat enim inquietationem.* In iis vero, qui animo molles ſunt & delicato, quicquam certi non habent, quum hi vel etiam ex leviſſima febre ita decumbant: at in aliis ſcito fieri vel vitio oris ventriculi, vel propter virium imbecillitatem. Hoc idem *in Coacis præſagiis text. 497.* ita legitur: *At pedes nudos habere & manus, ſi quis non vehementer calidus ſit, & crura diſjecta, malum eſt; anxietatem enim ſignificat.* Sed de hac anxietate in ſequenti capite nos accuratius. Demum in ventrem quoque ægros cubare, nequaquam ſolitos ita dormire, malum eſſe, ſcripſit Hippocr. *Prognoſt. pag. 37. lin. 48. & Coac. præſag. text. 497.* deliriumque aut dolorem circa ventris ſedes ſignificare: atque hæc de prædictione ex decubitu malo dicta ſint. Nunc de anxietate & inquietudine, quæ decubitus eſt ſpecies, accurate agemus.

CAP. IV.

Quid inquietatio & anxietas, ſeu jactatio in acutis morbis ſignificet?

QUum inquietatio ſit jactatio quædam, quæ ad motricem facultatem videtur pertinere, quatenus eſt motus depravatus ſeu vitiatus, idcirco de hoc quoque ſymptomate ad præſagium nos accurate agemus, etſi de hoc etiam in capite præcedenti quædam attigimus, non inutilia tamen ad prædicendi noſtram methodum hæc quoque erunt. Ceterum in primis quid per inquietationem Medici intelligant, quidque ipſa exſiſtat, atque a quibus fiat cauſis, nos cognoſcemus. Quatuor vero nomina ſynonyma, quum *in Prognoſticis* tum *in Prorrheticis*, in aliiſque omnibus libris Hippocr. ad præſagii rationem facientibus, leguntur; quippe anxietas, inquietatio, implaciditas atque jactatio. Idemque hæc ſingula ſignificant, tametſi anxietudinem ad reſpirationem læſam, quippe ad frequentem ac inordinatam, attinere quidam voluerint, tamen ad decubitus figuram vitiatam vere pertinere, ex Galeno facile deprehendimus, quum ipſe *in libro de Humoribus text. 17.* ita ſcripſerit: *Anxietatem autem vocavit, quamquam plerique tædium ſui nominant, ajunt enim eos ægrotos anxios eſſe, qui decubitum ferre non poſſunt, ſed formas mutant, quia præſens eis ſemper moleſta eſt.* Et *in ſecundo libro Aphoriſmorum*, eodem modo & ægros illos anxios eſſe, qui accubitum non ferentes, jacendi figuram evarient, quia ſemper præſens aggravat eos. Nihil aliud vero his nominibus intelligimus, quam decubitum vitiatum, quippe quum morbi malignitate, aut vehementia in varias figuras decubitus æger transformatur, nec ullo conſiſtit loco, ſed varie ſe jactat, mo-

Inquietationis ſynonyma.

Anxietas quid.

vet, rapit, modo ſeſe attollens, modo ſe deturbans, modo in latus alterum, modo in ventrem, modo in dorſum ſeſe provolvens, nec ullum locum, nec ullam figuram decubitus nanciſcens. Anxii vero ſeu inquieti fiunt ægroti, vel ſtomacho male affecto; aut a copia ciborum oppreſſo, cum nauſea; aut magno alicujus interni viſceris phlegmone, vel virium imbecillitate, quæ non ſuſtinet morbum; aut occulta malignitate, cor, uti in peſtilente febre, obſidente; aut materia in venis, quæ ſunt circa præcordia turgentes, huc & illuc agitata; aut denique critica vehementique perturbatione, ſeu humore ad excretionem turgente. Stomachi vero vitio redduntur anxii, aut ipſo ab intempeſtivo cibo gravato, Hippoc. atque Galen. *in lib. 2. de Victus ratione in acut.* variis locis docentibus; veluti quando ægri poſt longam inediam, morborum non tranſacto vigore, copioſius nutriuntur, aut ubi in ore ventriculi, ut Galen. *in 2. Aphoriſm. & in 1. lib. de Humoribus*, propria quædam moleſti humoris qualitas continetur, qui humor neque multus ſit, neque in ventriculi ſpatio innatet, ſed in ipſius ſit tunicis immerſus; aut demum, quod forte idem eſt, quando, ut ex Gal. *in 2. Prorrh. text.* 42. habetur, os ventris a pravis mordetur humoribus. Cognoſcitur vero, quod anxii ex ſtomacho affecto, ut Gal. ibidem affimavit, ſint nauſeabundi. Morbi etiam vi anxii redduntur homines, ardentibus æſtuoſisque febribus vexati, præcipueque in vigore, quo tempore ex maximo caloris æſtu anxii fiunt, atque etiam (quod non levis malignitatis eſt ſignum) tales efficiuntur a maligna humoris bilioſi corruptione, in magnis venis turgente, atque æſtuante. Quæ anxietas præſertim apparet, ubi viſcerum aliquod magna phlegmone, aut eryſipelate vexatur: hi non admodum in extimis ac extremis partibus calent, quum interius tamen urantur. Ex virium quoque infirmitate, ut *in 2. illo Prorrhet. comm.* 17. Gal. docet, quum virtus a corpore gravatur; veluti ubi immodicæ vacuationes præceſſerint, aut quod virtus morbi malignitate exſtinguatur. Demum humoribus ad excretionem titillantibus ſeu commotis anxii & inquieti fiunt ægroti. Ex quo merito Hippocr. *in 2. lib. Aphor.* 13. dixit: *Quibuſcumque judicatio fit, iis nox gravis ante acceſſionem*. Ubi enim natura vult humores excernere, fit in toto corpore commotio, ac perturbatio, a qua anxietas & inquietatio. Addamus ſuppuratos quoque ſæpius inquietari, aut oppreſſis viribus & natura fatiſcente, aut ſublato uſu reſpirationis, aut ex æſtuante thorace, aut acrimonia puris, ſenſilibus partibus commorſis, aut deſtillatione acri ex capite ad os ventris deſcendente. Atque ab his cauſis hujuſmodi ſymptoma proficiſcitur. Quibus auditis ad præſagium deſcendimus. Dicimus itaque omnem inquietationem, cum Auctore *Prorrheticorum Text.* 39. 76. *lib.* 1. *& aliis locis*, perpetuo malam eſſe, (critica excepta) quæ criſin optimam antecedit. Verum ex inquietudinibus quædam hujuſmodi ſunt, quæ quicquam certi ad præſagium non habeant. Cujuſmodi ſunt, quæ vitio ſtomachi fiunt, hæ quidem etſi malæ ſint, tamen numquam per ſe ſolæ quicquam certi ſignificant de more ac vita ægrotantium præſagienda, has vero, quippe ſtomacho affecto excitatas, ab aliis diſtingui nauſea vel vomitu, Gal. *in 2. Prorrh. com.* 42. tradidit,

Anxii unde fiunt ægri.

Ex ſtomachi vitio.

Inquietatio ex Morbi vi.

Ex virium infirmitate.

Ex critica perturbatione.

Ex ſuppuratione.

Inquietationis prognoſis.

pro-

propterea quod ea cauſa inquieti nauſeabundi ſint, & vomant. Ex quo Auctor *Coacorum præſagiorum*, (*Textum hunc nuſpiam in Coacis reperire licuit.*) merito dixit : anxietatem cum faſtidio & nauſea ventriculum læſum ſignificare. In febribus vero intermittentibus, & in aliis morbis multis, cum nauſea & faſtidio inquietationes haud ſunt malignæ, quum ſæpe obortu vomitu inquietatio tollatur. Quod Hippoc. in *Theotimi uxore* vidit, de qua ipſe *in lib. 7. Epidemiorum Pag. 1234. text. 102. Uxor Theotimi in ſemitertiana anxietates & vomitus & horror ſimul, quum febris inciperet, & ſitis. Procedente vero, quum febris inciperet, & calor ingens, quum melicratum potaſſet, & vomuiſſet, horror & anxietas ſedata ſunt.* Quare anxietas & inquietatio cum nauſea & faſtidio non eſt admodum timenda, omniumque minime, quæ ex vomitu, natura arteque procurato, ſedatur. Veluti, quæ a vomitu augetur, malignitatis non expers eſſe ſolet. Eodem modo etiam in febrium ardentium vigore, calore æſtuante, inquieti ægroti timeri non debebunt, & quando illud ejuſmodi febrium ſymptoma proprium ſit. Bonæ etiam non raro apparent, ante criſin futuram optimamque ; nam ut alias eſt demonſtratum, antequam criſis principium appareat, ægri anxii, inquieti, turbulenti fiunt, & merito quidem, quum univerſum corpus commoveatur, ac turbetur, natura humoris morbifici excretionem tentante. At hæ inquietationes criticæ criticis etiam ſignis ab aliis diſtinguuntur, maximeque cognoſcentur, ubi rigor anxiis ſupervenerit, ab ipſoque copioſiorem ſudorem ægroti ſudent, aut plurimum vomant, aut alvus multa dejiciat, aut ſanguis critice fluat copioſius. De quibus *in 1. Coac. præſ. com. 1. text. 19.* legitur: *inhorreſcentes, anxii, laſſitudine preſſi, lumbis dolentes, in profluvium alvi incidunt* : & in lib. *Coac. præſ. tex. 111. Qui a per vigiliis anxietate repente capiuntur, ſanguinem profundunt e naribus.* Anxii quoque non raro ægri fiunt, natura ad cutim putridos malignosque humores movente, ut in exanthematum apparitione, quibus erumpentibus ceſſant in ipſis anxietas. Et hæ ſunt inquietationes in morbis non timendæ. Contra vero, veluti dictum eſt, non malas eſſe cum ardentibus febribus inquietationes, omniumque maxime in vigore, quo tempore omnes, febris calore nimis æſtuante, anxii redduntur: malignæ ex his dicuntur, in febre, quæ exterius non admodum ſit calida, quum tamen intus uri ægrotos obſervemus. Hoc enim malignarum febrium proprium videtur, quum hæ exterius placidæ ac mites appareant, interius maxime turbantes : quod fit, uti dictum eſt, aut propter viſceris alicujus inſignem inflammationem, aut eryſipelas, aut ob ſumme putridos humores in venis circa præcordia æſtuantes, aut propter virium infirmitatem, aut etiam propter inſignem crudorum humorum copiam, qua obrui natura videtur. Hi enim anxii ſeſe jactant in febre, quæ exterius eſt parum calida, quod non levis malignitatis nobis eſt indicium. Omnium vero peſſimæ exſiſtunt inquietationes, ut *in primo Coacorum præſagiorum comm. 1. text. 2.* legitur, *Quæ cum refrigeratione anxietudines incidunt*, partium præſertim extremarum, ſcilicet, pedum, manuum ac aurium. De quibus Hippoc. *in 1. lib. Progn. pag. 37. lin. 43.* ait : *Si vero nudos habeat pedes, nec*

Inquietationes quænam haud malignæ.

Bonæ quæ critica.

Quænam malignæ.

Quænam peſſimæ.

admodum calidos, ac manus, collum, & crura dispergat inæqualiter; malum est. Significat enim inquietudinem. Quæ vero extremis partibus corporis refrigeratis non recalescentibus fiunt, maxime exitiales habentur, quæ in foribus exitium esse commoneant. Quales *in Sileno, lib. 1. Epidem. Ægr. 2. pag. 696.* & *in muliere decumbente in foro mendacium Epidem. lib. 3. Ægr. 12. pag. 1080.* Hippoc. vidit. Non minus etiam exitiales habentur, quæ cum sudore malo, die decretorio, apparent. Mali sudores sunt ex Hippocrate, ut posterius docebimus, frigidi omnes in febre continua superiorum corporis partium, quippe capitis, colli, clavicularum. De quibus *in 1. Prorrhet. text. 27.* scriptum est: *Quæ cum refrigeratione, non sine febre, superioribus sudanti partibus, fiunt implaciditates, inquietationesque, phrenitica exsistunt, & pernicioſa, ut Aristagoræ*: & Hippocr. *in primo Epidem. comm. 3. Ægr. 2. pag. 696.* de *Sileno* moribundo: *Sexto caput parum exsudavit, extremitates algebant, livescebant, multum sese jactavit*: & de *muliere* in *mendacium foro* decumbente *lib. 3. Epid. Ægr. 12. p. 1080.* ait: *Septimo superriguit, febris acuta, sitis ingens, se jactavit, sub vesperum per totum corpus sudavit frigidum, frigus partium extremarum, nec redibat illis calor.* Quare inquietudines in refrigeratis cum malis sudoribus sunt exitiales. Quod idem est, ac si dixerimus; cum malis signis malas & cum pernicioſis esse pernicosas & letales. Sudores vero capitis frigidos, extremorumque refrigerationes, esse ex signis pernicioſis, docuit Hippocr. *Quoad primum vide Coac. præsag. 572. & 573. lib. prognost. p. 38. lin. 21. & lib. de Crisib. p. 54. lin. 8. Quoad alterum vero vide lib. Prognost. pag. 39. lin. 30.* Inquietationes quoque in diebus criticis apparentes certius habent judicium, pessimæque exsistunt, quæ criticis diebus, nulla optima subsecuta evacuatione, aut sanguinis, per nares, aut per alvum, aut per vomitum, aut per urinam, aut omnium maxime sudoris, de quibus *in Prorrh. lib. 1. text. 61.* scriptum est: *Quæ in judicatoriis diebus cum projectione & inquietatione, & absque sudore perfrictiones fiunt, mala exsistunt.* De his vero, quæ cum malis dejectionibus, Hippoc. *pag. 393. lin. 9. in 3. de Vict. in acut. text. 14.* ita habet: *Dejectiones autem hujusmodi habent quidem & alias magnas offensas, neque hypochondriorum exstinguent ardorem, sed excitant inquietationem, & jactationem membrorum faciunt*: & Gal. *in comm.* ait, hæc esse flammantis in hypochondriis ipsis affectionis symptomata: & de his quæ cum vomitibus apparent, Auctor *Prorrh. lib. 1. text. 62.* dixit: *Vomitiones sincera atque implacida, mala.* Quæ non ab immodicis evacuationibus, jam exinde natura prælanguente ac viribus fere collapsis, prorsus perniciales exsistunt. Hæque in moribundis multis apparent. De his Hipp. *in lib. 7. Epid. pag. 1212. text. 12.* in historia *Chartadis* ait: *Anxietatis autem circa cor & sudor exiguus per totum fere corpus, & febricula, frigescere videbatur, & primum quidem mente constabat, procedente autem die & anxietas major & inquietudo, & spiritus paullo densior, & confidentius & benignius, quam pro tempore, alloquebatur, & excipiebat, & quædam animi deliquia videbantur supervenire, offerentibus autem quibusdam*

Cum extremis partibus corporis perfrigeratis.

Cum malis sudoribus.

Inquietationes quando pessimæ in diebus criticis.

Cum vomitibus mala. Cum virium languore.

succos

ſuccos, & ex farina aquam, non ſolvebantur, ſed ſpiritus ad veſperam valde erat multus, & jactatio multa, & in dextra ac ſiniſtra convertens ſeſe nullo tempore quieſcere poterat. In morbis quoque acutis, ſi ceſſante dolore aliquo, partem aliquam ignobilium tenente, anxii omnes fiant, malum ſignificatur. Quod de *Lariſſa calvo* Hipp. *in 3. lib. Epid. com. 3. Ægr. 5. pag.* 1101. ita habet. *Tertio femur deſiit dolere, mentis alienatio & turbatio, multumque ſeſe jactavit. Quarto ad meridiem periit.* E vulnere quoque ac percuſſione homines anxios reddi, malum eſſe Hippocrates, ut ex 5. *lib. Epid. pag.* 1155. *text.* 59. conſtat, in *illo* obſervavit, cui caput lapide percuſſum fuit, & *in illo ibid. pag.* 1156. *text.* 61. cui hepar jaculo fuit percuſſum. In phreniticis quoque exitialibus inquietationes non raro ſpectari, Auctor *Prorr. in* 1. *lib. tex.* 12. ita habet: *In phreniticis in principio ſimpliciter & clementer habere, ſed crebro permutari, malum.* Ex his ergo colligamus omnes inquietationes, ſeu anxietates, malas eſſe, iis exceptis, quæ optimas criſes antecedere ſolent; & quæ ex ſtomacho affecto fiunt, cum ſignis non perniciosis, aut ante, aut ſimul conſpectis, aut ſubſecutis. Quales fuere obſervatæ in *Sileno lib.* 1. *Epid. p. 969. Ægr.* 2. *muliere in foro mendacium decumbente Epid. lib.* 3. *p.* 1080. *Ægr.* 12. *Lariſſa calvo ibid. p.* 1101. *Ægr.* 5. atque in *Chartade Epid. lib.* 7. *text.* 1212.

Aceſſatione doloris in parte ignobili. Ex vulnere.

In Phreniticis.

CAP. V.

De prædictione ex tremoribus.

DE Prognoſtico a tremoribus acturi, primo quid hæc ſit affectio, & a quibus cauſis prodeat, cognoſcendum eſt. Gal. *in 3. Epid. com.* 1. *text.* 2. tremorem ſpeciem affectionis facit motionis, non ſecundum naturam, ſed ſecundum arbitrium diminutæ, quod ſymptoma eſt ejuſdem facultatis, moventis partes corporis læſas, in quo partes contrario motu moventur, quando facultas conatur partem movere, quæ, præ imbecillitate aut pondere gravata, motionem facit ex motu contrario miſtam. Cujuſmodi affectio differt a motu convulſivo, quem plures in acutis febribus pro tremore accipiunt; ex quo Hipp. in multis ægrotis tremorem pro motu convulſivo accepiſſe, quibuſdam fuit ſuaſum; qualis fuit, qui *in virgine illa pulcra Nerei*, ut 5. *Epid. pag.* 1154. *text.* 50. colligitur, apparuit: quomodo forte ex Medicis antiquis Sabinus atque Metrodorus dixere, tremorem eſſe parvam convulſionem; quaſi affectionem miſtam ex tremore & convulſione intelligere voluerint, quem tremorem motum convulſivum, atque convulſionem ex materia non proportionata, vulgus Medicorum etiam appellat. Alii etiam putant Hipp. aliquando tremorem pro rigore accepiſſe; veluti quum in 4. *Epid. pag.* 1125. *text.* 13. dicat *de adoleſcente peregrino* ſexta die judicato: *Septima rediit & dimiſit cum tremore*: ideſt, ut ii volunt, cum rigore; quod tamen verum eſſe non videtur, quando vere ibi Hipp. tremorem, minimeque rigorem, intellexiſſe, nobis vel ex eo perſuadetur, quod in eo criſis, ſexta die facta, perfecta non fuerit, ſed partim ex-

Tremor quid.

cretione

cretione & partim tranſmiſſione materiæ morbificæ pituitoſæ, quæ muſculos nervoſque gravans tremorem faciebat. Sed de his ſatis, atque ad tremoris generationem nunc declinemus, de qua Gal. *in lib. de tremore, rigore palp. & convulſ.* agens, ſcribit tremorem fieri a virium infirmitate, ſeu ab motricis facultatis imbecillitate, quæ aliquando per ſe propria ratione eſt imbecilla, ut in ſenibus, qui jam viribus defecerunt, & aliquando propter alias cauſas, quatenus contingit, ex ipſis ut motiva hæc facultas diſſolvatur. Proinde *Gal.* dixit hujus facultatis imbecillitatem fieri aut alimenti inopia, ut in cholera, valido alvi profluvio, largo ſanguinis fluxu, atque in magno jejunio, a quibus alimentum abſumitur, & exinde facultas evadit imbecilla; aut vitali robore ſoluto, ut fit in ſtomachicis, cardiacis, animo defectis, frigore violento; aut denique plenitudine pondere gravante muſculos, nervoſque. Idem vero *in 3. Epid. comm. 1. text. 2.* nobis prodidiſſe viſus eſt, quum tremoris cauſam fecerit muſculorum virtutis imbecillitatem, eamque aut propria ratione fieri, aut ob copiam humorum gravantem, aut ob famem, laſſitudinem, vigilias, curas, immoderatam venerem dixerit, quæ omnia calorem nativum, ſeu vires reſolvunt. Verum conſultius erit, ipſum Gal. clarius adhuc tremoris cauſas, & generationem, in hoc loco tradentem audire, qui ita habet: *Fit igitur tremor non ſolum ex laborantibus tum muſculis tum nervis, verum quoque & valentibus, ubi ſupra vires quis grave aliquid aggreditur, vel manibus portans cernitur. Itaque adoleſcentes quidam validiſſimi, dum prægrave quippiam geſtant, cruribus obtremiſcere, & præſertim ubi ſcalas aſcendere tentaverunt, quod illis & ex graviſſimo pondere, ſenibus vero atque aliter imbecillis ex minore accidit, nempe & hoc imbecillis grave*: & paullo poſt ita cauſas omnes tremoris complectitur, dicens: *Jure igitur optimo*, in comm. de trem. convulſ. & rig., *tremorem ex virium infirmitate perpetuo fieri demoſtravimus*. At quoniam interdum quidem virtus ipſa per ſe imbecilla eſt, interdum ob animi affectum, atque etiam, quod nullo modo ſua propria ratione affecta, ex gravi pondere hoc patiatur: tres itaque cauſarum differentiæ tremoris exiſtunt, inſtrumentorum ſcilicet arbitrio deputatorum intemperies, paſſiones animi, & grave onus. Intemperies vero quum calida, tum frigida, tum humida, tum ſicca poterit muſculos ita reddere imbecillos, ut exinde partes obtremiſcant; caliditas quidem reſolvens, ſeu diſſipans partis nativum robur; aut frigiditas violenta, exſtinguens calorem nativum; aut humiditas, muſculos imbibendo gravans; aut ſiccitas demum, humidum abſumens, quo calor ſervatur, & alitur; hinc plures letalium phrenitidum in tremores, nervorum principio, nerviſque ipſis immoderatius ſiccatis, deſinere obſervatur: Animi vero paſſio, veluti timor, triſtitia, immoderatum gaudium, & alii affectus animi, qui vires diſſolvunt: aut denique grave onus, quo muſculi gravati nequeunt ſecundum voluntatem recte moveri. Sed his præmiſſis ad prognoſin deſcendamus. Itaque dicimus quoſdam tremores in principiis morborum apparere, & quoſdam poſtea; nunc de iis, qui obſervantur in principiis. Hi enim, ut docuit Gal. *in 3. Epid. com. 1. text. 2.* numquam in morbi principio citra validum morbum, vel famem, vel laſſitudines, vel vigilias, vel im-

Tremoris unde cauſa.

Virium infirmitas.

Tremoris cauſarum differentiæ.

Tremores in morborum principiis quid præſagiunt.

immoderatam venerem, aut ob humorum copiam gravantem. Quare quum eæ tremoris cauſæ non præceſſerint, humorum multitudinem tantum ſignificant, nihilque certi ad Prognoſticum per ſe ſoli; tametſi morbos graves ſignificent, ex eo, quod omnis humorum multitudo difficilem reddat morbum. De hujuſmodi tremore Hipp. ait *in Epid. lib. 3. Ægr. 1. pag. 1059. Pythion, qui prope telluris ſacrum habitabat, cœpit primo die tremor a manibus, febris acuta, delirus*: qualis etiam tremor fuit obſervatus in *Cherione* tertia die, ut Hipp. *ibid. Ægr. 5. pag.* 1072. Ceterum etſi in morborum principiis tremores copiam humorum, muſculos aut nervos gravantem, niſi aut propter vigiliam, aut nimium jejunium, aut laſſitudines, aut vigilias, aut immoderatam venerem, aut animi curam evenerint, ſignificent; tamen ægroti periculo non vacabunt, ſi gravi ac maligno morbo, vel etiam longo, vexentur, quando nedum hi, ſed vel etiam omnis morbus ſit timendus in homine, quacumque de cauſa debilitato. Dixi illos, ob copiam humorum, per ſe ſolos quicquam certi de ſalute ac morte ægrotantium minime præmonſtrare, verum ſi una alia ſymptomata gravia illuxerint, reddetur judicium difficile: cujuſmodi in *uxore Emmyrrhis* ab Hippoc. fuere obſervata, de quibus *in 4. lib. Epid. pag.* 1138. *text. 39. uxor Emmyrrhis modo non morboſa videbatur ſine febre, fatua eſſe, deinde in tremorem venit totius corporis & liquationem, & faſtidium & ſitim, & frigida erat*. Quod præſagium quoque illuxit *in ſene illo*, de quo Hippoc. *in eod. libro Epid. pag.* 1139. *text.* 41. ſcripſit, poſt recidivam tremulum fuiſſe in initiis, in labiis & voce, quo tempore cutis corporis eſt obſervata circumtenſior, frigida extrema fuerunt, quique merito obiit, tametſi hujuſmodi tremorem is forte a vermibus, ut aliis quoque viſum eſt, paſſus fuerit. Atque hoc præſagiunt tremores in morborum principiis. Quandoque vero ſine alio morbo apparent, ſeu morbis ſtatim incipientibus, ubi neque ebrietas, neque aliqua externarum nuper dictarum cauſarum præceſſerint, apoplexiæ ſignum eſſe ſolent. Quod præſagium indicavit Hipp. *in eod. 4. Epid. pag.* 1136. *text.* 36. hiſce profecto verbis, dicens: *Incipientibus veluti ſubtremuli, & digiti & labia quum loquerentur, itidemque aliæ partes: & proterve lingua citiori ac volutiore præditi. Rubor in facie præcipue his erat. Hi vinum bibebant, aut vomitu commodo uſi intumeſcebant*. Idque tremores in morborum principiis præſagiunt. Ex iis vero, qui poſtea apparent, quidam criticam humorum tranſmutationem, natura a viſceribus ad muſculos propellente humorum moleſtorum partem, qui optimi ſunt, modo una cum coctionis ſignis apparuerint. Cujuſmodi fuit tremor in *adoleſcente peregrino*, ſexta die judicato, ut 4. *lib. Epid. pag.* 1125. *text.* 13. apud Hippoc. habetur, quem febris ſeptima die cum tremore dimiſit, quippe noxiis humoribus a principibus partibus ad muſculos critice transmiſſis. Sæpe vero fit, ut, inſtante criſi per vomitum, tremor labium inferius teneat, quem tremorem Gal. inter ſigna futurorum in morbis vomituum *in lib. 3. de Criſibus cap. ult.* recenſuit. Atque hi ſunt tremores in morbis poſt principium obſervati, minime timendi. Sunt vero alii omnes in febribus ardentibus, & in cerebri inflammatione exſiccatis nervis, aut quovis modo læ-

Tremores quid in morbis ſignificent.

Quinam valde timendi.

ſo

ſo principio nervorum, quippe cerebro, obortis, letales, a ſiccatis quidem nervis in phreniticis tremores ſunt mortales; proprii enim videntur tremores exitioſarum phrenitidum. Ex quo merito Auctor *Prorrhet. lib.* 1. *text.* 9. dixit: *Phrenitica affectiones vehementer tremulæ deſinunt*, aut letales ſequuntur phrenitides. Gal. enim *in com.* ait: *Tremorem ſequi vehementiſſimas phrenitides; nervorum enim infirmitates propter affectionis ſiccitatem phreniticis diutiſſime inſunt, exſolutaque virtute tum vigiliis, tum motionibus multis, ſimulque nervis ſupra modum arefactis, tremores fiunt.* Quare in phrenitide tremores perpetuo letales exſiſtunt; multoque magis, ſi una cum convulſis partibus apparent, quæ omnia ſequi ſolent vehementes phrenitides. In principio vero phrenitidis letales non ſunt: tremores enim linguæ, & voces obtremiſcentes deliriorum tantummodo futurorum eſſe ſigna, Auctor *Prorrh. lib.* 1. *text.* 19. docuit. In obſcuris & blandis phreniticis, exſoluta virtute animali, ſolent etiam tremores obſervari, qui quidem omnes ſunt exitioſi. De quibus *in* 1. *Prorrh. text.* 34. ſcribitur: *Tremulæ, obſcuræ, blandaque & contrectabiles deſipientiæ valde phreniticæ, ut* Didymarcho *in Com. evenit*. Hæ enim exſoluta virtute fiunt, ut nos ſuperius, ubi de phreniticis egimus, oſtendimus. Ex gravi quoque cerebri læſione, eadem ratione reddita infirma vi motrice, fiunt tremores letaliſſimi, quales fuerunt in *virgine illa pulcra Nerei*, ab Hippocrate obſervati *in* 5. *Epid. pag.* 1154. *text.* 50.

CAP. VI.

De palpitationibus, quidque in morbis præſagiant.

Palpitatio quid.

PAlpitationem proprie dictam Galen. ac alii Græci Medici intelligunt, quemdam motum depravatum, ut Galen. docuit *in* 2. *lib. de ſymp. cauſſis, cap.* 2. non autem arteriarum pulſus, quomodo quosdam Antiquorum palpitationem intellexiſſe, Galen. *in* 3. *Prorrh. text.* 52. nobis memoriæ prodidit, ipſamque eſſe particulæ alicujus præter naturam dilatationem, ac diſtenſionem, ibidem tradidit: veluti *in lib. de trem. convulſ. & palp. cap.* 5. ſcripſit, palpitationem eſſe diſtentionem quamdam atque ſubſidentiam, quæ aut in toto corpore fit, qualis in phrenitico ab Hippoc. *lib.* 3. *Epid. Ægr.* 4. *pag.* 1100. fuit obſervata, aut in una parte, aut in multis ſimul: in una parte veluti ventris, hypochondrii, cordis & aliarum partium generantur ſeu concitantur palpitationes, ut nobis Gal. eſt Auctor *in nuper citato libro* & in omnibus corporis partibus, quæ dilatari poſſunt, maximeque in cute, ſive loco, qui inter cutem, & carnem ſubjacet; atque in muſculis facilius hic affectus etiam concitatur, quod meatus ſatis magnos habeant, in quos commode flatus craſſos, palpitationum cauſas, recipiunt. Hos affectus vero concitari ex vapore craſſo, cui non ſit tranſitus, Gal. in loco nuperrime citato ita docet: *Palpitationum cauſam eſſe pronuntio ſpiritum craſſum, & vaporoſum, cui non ſit tranſitus, hunc autem colligi oportere dico in cavitate quadam non admodum exigua, ſi pars diſtentionem ſenſibi-*

Palpitationum cauſæ.

lem

lem habitura ſit: Quod *in primo Prorrh. text.* 29. confirmavit, dicens palpitationem a flatuoſo ſpiritu proficiſci. Quos ſane flatus a craſſioribus crudiſque humoribus fieri, non minuſque hos flatus atque humores propter frigiditatem congeri, ibidem prodidit. Ex bilioſorum vero ac ſumme putridorum humorum morſu, nec non a vaporibus venenoſis, os ventriculi, & omnium maxime cor infeſtantibus, cor & ventriculum non raro palpitare, *in lib. de trem. palp. convulſ.* nuper citato, Gal. docuit, quem affectum *Cardialgiam & Cardiacam paſſionem* quidam faciunt, cumque palpitatione confundunt, quum tamen vera non ſit. Sed his præmiſſis ad Prognoſticum deſcendamus, & primo hoc ſciamus, quippe an in morbis acutis quædam obſervetur palpitatio, ex qua ſalus ægrotis indicetur. Certe res maxime videtur dubia; quando leves quarumdam partium palpitationes per ſe quicquam certi non prædicent: ceterum ſolent aliquando critice concitari eo modo, quo vertigines, dolores, anxietates & hujuſmodi alia critica, antequam fiat in corpore perturbatio, concitari ſolent. Proinde quandoque palpitationes critice apparere ſolent, quæ facile ex futuræ criſis ſignis ab aliis interſtinguuntur. De quibus *in* 1. *Prorr. tex.* 36. legitur: *Circum umbilicum dolores palpitantes, quod mentis permutationem oſtendat, quippiam habent: circa judicationem vero his ſpiritus univerſus cum vehementi contenſione penetrat.* Et poſtea *in Prorr. lib.* 1. *tex.* 144. *Ventris quoque palpitationes cum hypochondrii tenſione ſublonga & tumente ſanguinis indicant eruptionem, inhorreſcunt autem hi.* Ex quibus colligamus, dari quasdam palpitationes criticas ſalutares. His itaque exceptis, omnes palpitationes in morbis ſunt malæ, ac non ſolum in morbis acutis, ſed vel etiam abſque alio morbo hujuſmodi affectus ſunt timendi; preſertimque, quæ in corde ac ventriculo obſervantur, & omnium maxime in cordis paſſione, ex venenoſis quum humoribus tum vaporibus oborta, quæ in ſyncopen deſinunt, de quibus forte Hipp. *in* 2. *Aphor.* 41. *Qui frequenter ac fortiter abſque cauſa manifeſta exſolvuntur, derepente moriuntur.* Et Galen. ait: *Sicut & ille, cui, dum exſolveretur, cor fortiter palpitabat.* Atque ut uno verbo dicam, omnes palpitationes fortes, cor invadentes ſæpius, cum alia ſine cauſa manifeſta exſolutione, ad mortem breviter homines deducunt, ut Auctor eſt Gal. *in lib.* 5. *de loc. affect. cap.* 2. neque hi, qui hoc ſymptomate vexantur, multos annos vivere poſſunt. Sed age, dicemus in morbis quidem acutis omnes palpitationes (criticis exceptis) eſſe malas, omniumque maxime perpetuas, totumque corpus aut nobile viſcus infeſtantes, aut plures partes ſimul; idque, quod nobis refrigerationem caloris naturalis indicent, quando propter refrigerationem, ut Gal. affirmavit; *in* 1. *Prorrh. text.* 29. omnem vero refrigerationem calidis ficciſque morbis maxime eſſe timendam, alias a nobis eſt demonſtratum. Ex qua cauſa comatoſos lethargicoſque affectus phreniticis ſupervenientes letales eſſe, ſuperiori libro a nobis fuit demonſtratum. Cujuſmodi Hippoc. ut ex *Epidemiis* conſtat, in multis moribundis obſervavit. De *Sileno Epidem. lib.* 1. *pag.* 969. *Ægr.* 2. autem, qui obiit, ſcripſit: *A primo hic ad finem uſque ſpiritum magnum habuit, & rarum, hypochondrii perpetuam palpitationem.* Quæ vero in toto corpore fiunt, ſunt peſſimæ, quod maximam caloris nativi diminutionem teſtentur, de quibus

Palpitationes critice apparentes.

Palpitationes omnes in morbis malæ.

Quænam peſſimæ.

bus *in* 1. *Prorrh. Text.* 30. ſcribitur: *Palpitationes per totum an voce deſtituti moriantur*: & Gal. *in comment.* ait: *Quum igitur corpus totum palpitaverit, fieri poteſt, ut qui ita affectus ſit, propter frigiditatem voce deſtitutus pereat, non amplius moventibus gutturis muſculis, aut iis, qui in eos proruunt, nervis, ſuo fungi munere queuntibus*. De qua palpitatione forte Hipp. 1. *Epid. comm.* 3. *p.* 976. *Ægr.* 4. quum *de Philini uxore* loqueretur, dixit: *Circa diem decimum quartum, palpitationes, totum corpus dolebat*, (quaſi dixerit per totum corpus palpitantes dolores) *multum loquebatur, aliquantiſper mente conſtitit, brevi rurſus deſipuit, circa diem decimum ſeptimum obmuteſcebat, vigeſimo obiit*: & de *phrenitico* adhuc clarius *lib.* 3. *Epid. pag.* 1100. *Ægr.* 4. *Poſtridie mane vocem amiſit, febris acuta, ſudavit, non intermiſit, palpitationes per totum corpus, nocte convulſiones. Tertio cuncta exacerbata ſunt, defunctus eſt*. Quare peſſimæ & letales omnes in morbis acutis ſunt palpitationes, quæ diu, & maxime totum corpus vexant; ex iis vero, quæ partes quasdam tantum occupant, exitioſæ non minus ſunt, quæ in cordis regione eo modo obſervantur: quum in eo calidiſſimo morbo refrigerationem factam eſſe ſignant, quæ perpetuo, in acutis morbis, quaſi caloris exſtinctionem teſtatur, qualis forte fuit, quam in *Adoleſcente Melibæa* Hipp. vidit, de quo *lib.* 3. *Epid. pag.* 1117. *Ægr.* 16. ait: *Cordis palpitatio ad finem uſque perpetua, minxit oleoſum*. Ex quibus colligamus, palpitationes omnes (criticis exceptis) in acutis morbis malas eſſe, perniciosaſque eſſe maxime, quæ diu totum corpus vexant, aut nobile viſcus. Has vero perpetuo malas eſſe confirmabunt ſigna alia mala, & cruditatis, & exitii. Quibus malis ſignis judicari poterant letales, quæ in *Sileno*, in *uxore Philini*, in *phrenitico*, atque in *Melibæa adoleſcente* ab Hipp. fuere obſervatæ, quum omnes una cum aliis ſignis perniciosis, ac morbo plane crudo, illuxerint.

CAP. XII.

De convulſionibus, quidque in morbis præſagiant.

SEd age de convulſionum etiam præſagio agamus, eæ namque quum ſolæ, tum una cum aliis morbis, etſi perpetuo malum, raro ſalutem, ſæpius exitium Medicis indicant. Quales eſſe videntur, quæ in febribus, reſiccatis nervis, concitantur. Quæ vero repentinæ ac in principio morbi fiunt, quicquam certi ad prognoſticum non habent; non paucæ etiam in febribus apparent, & ex ſe ipſis, præter multitudinem humorum, nihil certi ad ſalutem (criticis exceptis) præmonſtrantes. Sed de omnibus nunc accuratius, poſtquam quid convulſiones ſint, ipſarum differentias atque cauſas noverimus, agendum erit. Convulſio, *ſpaſmos* Græcis dicta, eſt, ut Galen. auctor eſt *in lib. de ſymptom. cauſ. cap.* 2. ubi nervi & muſculi præter voluntatem tenduntur, in eumque veniunt affectum, quem in motibus ſecundum arbitrium factis aſſumſerunt. In libro etiam *definit. medic.* ſcribit, convulſionem eſſe affectum, qui nervis ac muſculis accidit, quum modo corpus totum, modo

Convulſio quid.

modo pars, voluntatis injuſſu, trahitur, ex quo merito *tentio & diſtentio*, hoc genus a multis appellatum eſt: ſed quidam convulſionem ſeu ſpaſmum a diſtentione diſtinguunt, ex Hippoc. *in* 4. *Aphoriſm.* 57. ita ſcribente: *Si cui convulſione, aut diſtenſione nervorum, detento febris ſucceſſerit, morbum ſolvit*. Sed hoc Gal. *in comm.* probe explicavit, quippe quum ex tribus convulſionum differentiis, Græce *tetanos* dicta proprie magis diſtentio, & non convulſio, vel ex eo dicatur, quod in ipſa non appareant partes convulſæ; quoniam æqualiter ante & retro tenduntur, atque ideo præcipuum illi nomen eſt datum diſtentio. Duplex vero eſt convulſio, una permanens perpetua ac ſine motu conſpicuo, cujus triplex eſt differentia, una quidam *diſtentio* Latinis, *Tetanos* Græcis, Celſo *rigor* appellata, quippe ubi cervix una cum reliquo corpore immobilis manet, & in neutram partem inflectitur, ſed juxta utramque recta intenditur, cui proprie magis nomen eſt datum ab Hippocrat. diſtentio, quaſi a convulſione differat, quod in ipſa, ut ex Gal. dictum eſt, partes convulſæ non appareant. Altera *Emproſthotonos* dicitur, quæ fit, quum caput, cervix, reliquumque corpus in pectus contrahitur, quæ ob id dicitur etiam *tentio ad anteriora*. Tertia *Opiſthotonos*, ideo dicta a Græcis, & a noſtris *tentio ad poſteriora*, quando caput in ſcapulas flectatur. Has vero Gal. *in lib. medicarum definitionum* his verbis complexus eſt. *Nam & ii, quos in itinere uſque ad mortem frigus oppreſſit, talibus rigoribus corripiuntur, quales Græci* Emproſthotonos, Opiſthotonos *ac* Tetanos *appellant, quoniam modo in anteriorem, modo in poſteriorem, modo in nullam flectitur partem, ſed rectum atque immobile corpus intenditur*. Altera vero cum crebro motu & interrupto. Has vero medici appellant *motus convulſivos*, ac vel etiam convulſiones ex materia non proportionata, quum a morſu, & vellicatione nervoſarum partium, aut violenta contentione ac labore, qualis eſt *Epilepſia* Græcis dicta, atque illa, quæ per conſenſum ab ore ventriculi demorſo, aut cerebro primo læſo venit. Hanc poſtremam convulſionis ſpeciem minime exquiſite, & per ſe convulſionem dicimus, ſed potius motum convulſivum, cujus quædam univerſalis, ubi cerebrum primario affectu læſum eſt, & quædam particularis, prout particularis nervus aut muſculus vellicatur: non ſecus quam etiam permanens, & ſine motu; ubi totum corpus læſo cerebro occupat, univerſalis dicatur, atque illa particularis, quæ eſt partis cujuſpiam convulſæ. Qua ratione quidam *ſpaſmum cynicum* appellant, oris torturam, aut melius, ubi oris partes convelluntur. De partibus vero, quæ convelli & diſtendi poſſunt, ac de loco in convulſis affecto, Galen. *in* 3 *de loc. affect. cap.* 6. ait omnes corporis partes convelli poſſe, quæ aptæ ſunt moveri: etenim partes in corpore, quæ moventur, ope nervorum ac muſculorum moventur. Quibus convulſis motio vitiatur, veluti dentium invita concuſſio, *Tryſmos* Græcis dicta, muſculorum mandibularum eſt convulſio, ut Gal. *in* 2. *de loc. affect. cap.* 2. docuit. Ex convulſis vero partibus, an ſpinalis medulla, an cerebrum, an nervi, & quales læſi ſint, *in lib.* 3. *de loc. affectis* ita docuit: *Convulſio enim univerſo corpore, omnes quidem autumant affici talem quampiam partem, quæ, ut in arbore caudex ramorum, ſic ipſa ſit omnium nervorum communis velut caudex, non paucorum in una*

Convulſionum differentiæ.

Permanens quid.

Motus convulſivi quid.

Convulſio quas-nam partes afficit.

parte

parte, quemadmodum ramus, veluti, quando vel crus, vel altera manus forte fortuna convellitur, totius membri convulsio, nervorum, qui ad ipsum perveniunt, originem affectam fuisse, declarat, rami cujuspiam in arbore exemplo. Quando autem universum corpus afficitur, communem originem omnium infra faciem nervorum, quæ arboris caudici proportione respondet, affectum esse putandum est, qui sunt primi spinalis medullæ: verum etiam cerebrum ipsum putamus; etenim labra quoque sæpenumero convulsa videmus, item oculos, frontis cutem, totas mandibulas, similiter & linguæ radicem. At, quia omnes jam dictas partes a musculis ex cerebro nervos suscipientibus moveri, ex anatome didicimus, cerebrum, ipsis sic laborantibus, credimus esse affectum: ubi vero, ipsis illæsis, ceteras partes convelli viderimus, dorsalis medullæ initium affectum esse fatemur. Sed cognitis læsis partibus ex convulsis partibus, nunc causas, a quibus partes convelluntur, proponamus; atque primo convulsiones perpetuæ, & permanentes sine manifesto motu, de quibus Hipp. *in lib. 6. Aphor. 39.* ita scripsit: *Convulsio fit vel ex repletione vel inanitione.* Idem Gal. *in 2. & 3. de loc. affect. in 4. & 6. Aphoris. in lib. de trem. palp. convulsi.* ac ferme innumeris aliis locis idem confirmavit, sed præsertim *in 2. lib. de sympt. caussis* ita dicens: *At convulsio in eamdem dispositionem nervos musculosque ducit, in quam, quum pro naturæ lege se habebant, ab animali virtute ducebantur. Sive igitur ad principium tensis, sive flatus influxu impletis musculis voluntarii motus erant, hæc eadem in convulsione accident, tum spiritu flatuoso in musculis gigni potente, tum multis, qui tensionem creent, (e quorum numero phlegmone est) affectibus.* Quorum caput (sicut Hippoc. dixit) duplex est; impletio, vacuatioque: in phlegmonarum generis vitiis impletio; in ardentissimis, siccissimisque febribus vacuatio. Porro quod, impletis, vacuatisque plus justo nervosis corporibus, omnia tendantur, docent, quæ in instrumentis musicis intentæ sunt chordæ, quippe, quæ sive in humidam, humectamve, sive in siccam & squalentem domum repositæ, disrumpantur, ideoque eas artifices, priusquam reponant, relaxant. Quam convulsionum generationem Gal. *in 3. de loc. affect. cap. 6.* hisce verbis illustravit, dicens: *Etenim si videris nervosa corpora, vel chordas ob ambientis aeris immodicam intemperiem, adeo vehementer, ut rumpantur, intentas, haud difficulter intelliges idem in animantium quoque nervis posse contingere.* Sed quomodo affecto aere tenduntur chordæ, ut rumpantur? Si vel nimis aridus vel admodum humidus fiat: nempe humor madefacit ipsas, ut in tumorem præter naturam attollantur, qui mox eas tendit; ac velut sol, tergora arefaciens, contrahit, ita siccitas chordas & trahit, & tendit; sic lora quoque, quum ad ignem siccantur, contrahi tendique videntur, Gal. his duabus convulsionum causis, tertiam addidit in *lib. 3. Aphor. 25.* quippe nervosarum partium infirmitatem, qua ratione facile puerulos convulsionibus tentari, tum propter crudum, quo exsuperant, alimentum, tum quod nervosas partes nondum validas habent, nobis prodidit. Replentur vero nervosæ partes humore sæpius crudo, a quo convelluntur, ut ex Gal. *in 2. de symp. caus. cap. 2.* habetur, velut in pueris fit, qui quum exsuperent crudo alimento

Convulsionis causa

Convulsiones Repletione,

mento, & habeant nervosas partes non usque adeo validas, facile distentionibus tentantur, ut Hippoc. *in lib. 3. Aphorism. 25.* docuit, hincque *in 2. Epidem. comm. 5. pag. 1040. inter C. & D.* (Videtur enim juxta mentem Foesii, non *pueris* sed *puerperis* legendum esse: quum nuspiam in Epidemicis hæc ita dicta de *pueris* reperire licuerit,) scripsit: *Si pueris spasmus fiat, ignem fac; qua ratione ipsarum convulsiones, vel etiam in febribus factæ, non sunt perpetuo periculosæ*: ad quam causam reducuntur convulsiones tum ex humido aere, qua ratione, ut Gal. nobis est auctor, *in 1. Epid. com. 2. pag. 944. sub finem*, in humida & frigida aeris constitutione Hippoc. scribit, multos & maxime pueros convulsionibus laborasse; tum ex immodico vino factæ. Aliquando etiam sanguine, ac biliosis excrementis, nervosæ partes imbutæ tenduntur ac convelluntur, aliquando flatu, atque non raro phlegmone aliquo aut primigenio, aut consensu proximarum partium. Quales sunt hypochondriorum tentiones propter aut septi transversi, aut pleuræ membranæ, aut hepatis, ingentes inflammationes. Ad quod genus pertinere videntur convulsiones ex vulnere factæ cum phlegmone. Siccantur vero partes, seu, ut Hippocrat. verbis utar, inaniuntur, evacuanturve tum propter caloris incendium, tum propter immoderatum frigus. *Siccatione & inanitione.* De his Hippocr. *in 5. Aphorism. 17.* ait: *Frigidum autem convulsiones, distensiones.* Et paullo post *Aphor. 20. ulceribus frigidum mordax, cutim obdurat, dolorem insuppurabilem facit, denigrat, rigores febriles facit, item convulsiones & distentiones*: & Gal. *in comment.* ait: *immodicum scilicet frigus has facit convulsiones, & distentiones, & nervorum refrigerationem; sicuti enim non oportet ipsorum substantiam ab immodico calore dissolvi, sic neque ultra modum convenientem refrigerari, & in unum cogi ac cohiberi.* Frigus enim in excessu invadens nervos ac musculos, tendines, ligamenta, primo in cute parit inæqualitatem, repulso introrsum humido ac calore, deinde siccat exprimendo, quod tenue est, cogit, densat, indurat, cogendo sinus interiores & poros, prohibet diflationem, & effluvium, atque alimenti receptionem, sic rigidæ manent partes, duræ & distentæ: de quibus in *Coac. præsagiis text. 23. Rigor convulsionem in posteriora inferens, interficit*: & Gal. *in lib. definitionum medicarum* ait: *Nam & ii, quos in itinere usque ad mortem frigus oppressit, talibus rigoribus corripiuntur, quales Græci* emprosthotonos, opisthotonos, *ac* tetanos *appellant*. Idem & multo efficacius immodicus calor, seu caloris incendium agit; omnem enim musculorum nervosarumque aliarum partium humidam substantiam resolvendo, eæ caloris incendio maxime resiccantur, arescunt, ac propterea distenduntur, ac convelluntur. Quomodo ardentes febres, veluti ignis, nervos siccantes, eos distendunt, ac convellunt, atque ut Galenus *in 4. Aphorism. 66.* docet, *pernicioſas afferunt convulsiones*. Eodem item modo phrenitides exitiosæ, substantiam nervorum immodico calore dissolventes, in convulsiones desinere solent. Atque magni æstus, eadem prorsus ratione, idem, Gal. *in 7. Aphorism. 13.* docente, siccando faciunt, non minus & assiduæ vigiliæ, atque omnes insignes seu immodicæ quum vacuationes tum purgationes, ut ex Gal. *in libr. quinto Aphorismorum 3. & 4. se-*

A frigore.

A calore.

Ab evacuationibus.

xto, atque in ſeptimo Aphor. 9. colligitur. Ipſe vero has omnes ſiccarum, ut ita loquar, convulſionum cauſas *in* 3. *de loc. affect. c.* 5. hiſce verbis eſt complexus, dicens: *Quippe quum convulſio ſit vel a labore, vel vigiliis, vel fame, vel ſollicitudine, vel arida æſtuantique febri, qualem in phreniticis videre eſt, cauſam ejus aridit atem vacuationemque recte putaveris.* Quare tot cauſas habent convulſiones, perpetuæ ac permanentes, quippe aut nervoſarum partium repletionem, aut ſiccationem, evacuationem ſeu inanitionem. Quæ vero cum manifeſto motu fiunt, quales ſunt epilepticæ, ac quas motus convulſivos vocant, alias cauſas habent. Aut enim ab humore craſſo ac viſcido ventriculos cerebri obſtruente, quo modo univerſalem convulſionem, quam Græci *Epilepſiam*, alii morbum comitialem vocant, oriri, Galen. *in lib.* 3. *de locis affectis cap.* 7. ita ſcripſit: *Atque morbus quoque comitialis convulſio eſt omnium corporis partium non perpetua, ut in* Emproſthotono *atque* Tetano *videre eſt, ſed quæ ex temporum accidit intervallis, atque hæc convulſio cerebro primario, & per ſe læſo fit, veluti per conſenſum ipſo quoque læſo corpora ſæpius pati convulſiones obſervamus quum univerſales tum particulares.* Galen. enim ore ventriculi læſo nedum convulſiones fieri, cerebro nervorum in principio læſione communicata, ſed vel etiam graviſſimos alios affectus demonſtravit *in lib.* 5. *de locis affect. cap.* 6. Grammaticum enim, narrat, juvenem, qui quoties vel nimis vehementer doceret, aut cogitaret, aut inediam ſuſtineret, aut iraſceretur, comitiali morbo corripiebatur, quippe ex bilioſo acrique ſucco ós ventriculi mordente. In *lib. vero* 5. *Aphoriſmorum* 1. Gal. narrat, quemdam Adoleſcentem ab humore æruginoſo, os ventriculi mordente, ſæpius univerſali convulſione fuiſſe tentatum, eamque ipſum non reliquiſſe, quoad per vomitum æruginem excerneret, & in *lib. de venæ ſectione* adverſus Eraſiſt. Diodorum Grammaticum, quum diu jejunus manſiſſet, convulſionibus ob eam cauſam fuiſſe tentatum. Ex contentione quoque ac labore, qui fit quum ventriculus aliquod infeſtum expellere conetur, convulſio fit, non ſecusque fit vera epilepſia, dum expultrix in cerebro conatur a ventriculis expellere ſuccum craſſum ac viſcidum, ipſos obſtruentem, ac viam ſpiritibus animalibus prohibentem. Qua ratione recte quidem dixit Hippocr. *lib.* 4. *Aphor.* 16. ab Elleboro albo, ex ejus infeſtiſſima qualitate os ventriculi mordente, fieri convulſionem quam nos Patavii, ubi Medicinæ opem daremus, vidimus in quodam juvene, cui album veratrum, ſeu ellebor us, a fatuo quodam pharmacopœo, nigri loco exhibitus eſt, in aliis multis, quorum ore ventriculi aut a bilioſis aut ab æruginoſis humoribus, aut ab aliquo venenorum erodentium læſo. Quare per conſenſum etiam ex ore ventriculi læſo læditur cerebrum, & homines convelluntur, ac nedum ubi hujuſmodi membrum læditur, ſed maxime etiam uterus læſus convulſionem concitat, cerebro ab ipſo communicata læſione, ex quo merito plures ex hyſtericis mulieribus convulſionibus non raro tentari ſolent. Galen. ſcribit *in* 6. *lib. de loc. affect. cap.* 5. Viduam quamdam mulierem ex ſemine retento, utero læſo, convulſione fuiſſe tentatam, excretoque ſemine craſſo, fœtido, fuiſſe liberatam. Hinc Auctor Prorrheticorum *lib.* 1. *text.* 119. ait, *convulſiones in hyſtericis mu-*

Ex contentione & labore.

Ex partium conſenſu.

lieribus

lieribus esse faciles, quales Dorcadi contigisse meminit. At & ab hoc membro, quippe ab utero, atque ab aliis partibus venefica & maxime infesta aura ad cerebrum adscendente aliam epilepsiæ speciem Galen in duobus pueris (ut ex 3. *libr. de loc. affect. cap.* 7. colligitur) observavit, atque ab his causis concitari convulsiones non permanentes, sed cum motu quæ fiunt, nobis esto persuasum, omnium vero quum convulsionum tum motuum convulsivorum causas omnes Gal. *in lib.* 12. *Methodi med. cap. ult.* has esse perstrinxit, quippe has fieri aut a siccitate, a repletione, a magna phlegmone, a mordente humore, atque ab ingenti frigore. Sed satis accurate cognitis causis convulsionum, modo signa, a quibus possunt futuræ præcognosci, de quibus *in lib.* 5. *Coac. præs. tex.* 85. hæc leguntur: *Leviter feroces insaniæ ferinæ sunt, & convulsionem significant:* Et paullo post *text.* 85. *Qui capite dolent firmiter, delirantes, alvo suppressa, feroci aspectu, rubore in facie efflorescente, in posteriorem partem convelluntur.* Has sequi cerebri exitiosas inflammationes rationi quadrat, quum illa signa phreniticorum letalium sint, propriumque, ut a Galeno *in primo Prorrheticor.* habetur, ipsos, antequam moriantur, convelli, convulsosque mori. Auctor vero Prorrhet. *in* 1. *lib. text.* 28. ait: *In phreniticis frequentes permutationes convulsionem indicant.* In *eodem vero* 5. *lib. Coac. præsag. text.* 171. scribitur: *In acutis doloribus capitis, iisdemque torpidis cum gravitate, convulsiones fieri solent*: Et paullo post *text.* 177. *Capite dolentes leviter & exsudantes, intercepta alvo, in convulsionem incidunt.* Atque hæc de notis convulsionum futurarum; quarum dolores tantum capitis vehementes, & vehementia seu ferina deliria certe possunt prædicere convulsiones, reliquiæ vero notæ incertius ac infidelius, sed Hippocrates *in* 3. *Prognosticorum pag.* 46. *lin.* 24. de puerorum futuris prævidendis convulsionibus ita scripsit: *Pueris autem convulsiones accidunt, si febris acuta fuerit, nec alvus dejiciat, ac si vigilent, paveant, lugeant, colorem mutent, & viridem, aut lividum, aut rubidum trahant. Hæc igitur nuperrime editis pueris promtissime accidunt ad septimum usque annum. Adultiores vero pueri, virique non item in febribus prehenduntur convulsionibus, nisi aliquod indicium exstitit validissimum ac deterrimum, qualia per phrenitidem accidunt.* Sed de his satis; nunc ad prognosticum ex convulsionibus sumendum declinemus, & primum de iis, quæ citra febrem affligunt, pauca attingamus. Convulsionum itaque eæ, quæ fiunt repletis humore crudo nervosis partibus, minus periculi afferunt ægrotis, quam quæ siccatis arefactisque nervis musculisque concitantur: cognoscuntur vero a repletione factæ, eo quod repente fiant. Ceterum ex tribus convulsionum differentiis, *tetanus* vocata, affectus est acutissimus; sæpiusque cito interficiens, quippe tribus aut quatuor diebus, quum convulsis musculis tum mandibularum, tum gulæ, non possint deglutire, neque nutriri cibis, neque medicamentis devorandis juvari, sed ubi morbus in dies protrahitur, de salute bene sperandum est. Quod Hippoc *in* 5. *lib. Aphor.* 6. ita expressit: *Quicumque a distentione corripiuntur, in quatuor diebus pereunt, si vero has effugerint, sani fiunt.* Convulsiones omnes solent quam maxime a febribus,

Convulsionis futura signa.

Convulsiones quid præsagiant.

Convulsiones, quæ citra febrem affligunt.

Convulsiones in quibus de salute sperandum.

ſi ſupervenerint, juvari, quod abſumat calor febrilis humores nervoſas partes replentes, de quibus Galen *in* 2. *Aphor.* 26. ita ſcripſit: *Quum ergo ſecunda valetudine quempiam derepente convelli accidat, talem a plenitudine proficiſci convulſionem neceſſe eſt, ita enim infarciuntur, viſcidis & frigidis humoribus, quibus etiam aluntur, ut ſpaſmum patiantur, cui ſuperveniens febris, frigidos illos calefacere, & lentos, attenuare humores, & diſcutere ſolet.* Hocque eſt, quod Hippoc. *in* 4. *Aph.* 57. dixit: *Quia convulſione aut diſtentione nervorum tenentur, febre ſuperveniente, liberantur.* Ex quo merito ipſe quoque *in* 2. *lib. Aphor.* 26. dixerat: *Febrem convulſioni ſupervenire melius eſt, quam febri convulſionem.* Hinc recte ab ipſo *in* 2. *Epid. ſect.* 5. *pag.* 1040. *lin.* 11. ſancitum eſt, quod ſi pueris ſpaſmus fiat, ignem exerceamus ſeu inuramus, quod crudos craſſosque humores calefaciat, extenuet, & diſcutiat. Ubi tamen de *puerperis*, non de *pueris* hoc affirmatur: nec etiam licuit textum ſimilem alibi reperire, ubi de *pueris* ſermo eſt. Quo itaque convulſis ſuccedens febris vehementior erit, & vehementiore rigore eo efficacius eos ſanabit, qualis ſolet quartana, quæ quum frigus intenſum habere ſolet, tum calorem efficaciſſimum, merito ipſa liberat a magno morbo, ſi Hippocrati atque experientiæ credimus, & merito ſane; quum ipſa calorem habeat ceteris aliis febribus efficaciorem, quod ipſe in terrena craſſiori ac denſiori materia fundetur, atque hoc eſt quod nobis Hipp. innuit *in lib.* 5. *Aphor.* 70. hiſce verbis: *A quartana capti non admodum a convulſionibus capiuntur, ſi vero prius capiuntur & quartana ſuperveneri, liberantur.* Hocque nedum ob calorem, qui efficaciſſime repletionem nervoſarum partium diſcutit, ſed quinetiam ob frigus quum intenſum, tum diu quatiens corpora, quid a nervoſis partibus humoris eo motu digeritur, quare convulſis ſuperveniens febris, bonum, quatenus repletionem diſcutiendo tollat. Quod de convulſis ab ebrietate Hippoc. ita confimavit, *in Sect.* 5. *Aphor.* 5. dicens: *Si ebrius quiſpiam repente obmutuerit, convulſus moritur, niſi febre corripiatur.* Atque hæ ſunt convulſiones, in quibus de ſalute ſperandum erit, ac multo plus, ſi in pueris fiant, qui quo facilius adultis, quum ob crudum alimentum, quo abundant, tum quia partes nervoſas infirmas, (ut Gal. *in* 3. *lib. Aph.* 5. eſt auctor) habent, convelluntur, eo minoris periculi malum decernunt, at multo facilius hos ſuperveniens febris juvabit. Ex quo neque convulſiones in febribus hos capientes ita ſunt deteſtandæ, in adultis vero ſolent eſſe perniciosæ, quatenus fiunt plerumque reſiccatis atque arefactis a febrili calore nervoſis partibus, quo nihil pernicioſius, ut Gal. viſum eſt, qui de ipſis *in lib.* 12. *Meth. med. cap.* 8. ita ſcripſit: *Scire namque licet ejuſmodi affectum, ſi modo curabitur, humectationem poſcere. Ceterum curatu perdifficilem eſſe, vel potius, qui curari omnino non poſſit, ſi febris occaſione eſt contractus, ſuccedit maxime exitiali phrenitidi. Nec ſanatum quempiam ita convulſorum aut ipſe vidi, aut alium narrantem audivi.* In pueris vero febricitantibus non ſunt ita malæ deteſtandæ, ut paullo poſt clarius ex Hippoc. *lib.* 1. *Epid. Sect.* 2. *pag.* 944. *litt. H.* demonſtrabimus. Ceterum in aliis omnibus ætatibus a ſiccitate factæ convulſiones ſunt prernicioſæ. Hinc timendæ eſſe videantur convulſiones, quæ in febribus fiunt, ex quo

Convulſiones quanam timendæ.

meri-

merito Hippoc. dixit, melius esse, si convulsionibus febres succedant, quam convulsiones febribus quæ a purgatione, vacuatione insigni, quod omnes hæ siccent, pessimæ sunt; de quibus Auctor Prorrh. *lib.* 1. *text.* 145. ita scribit: *Quibus ex naribus copiosa violenta, & multa fluunt, ad convulsiones trahi interdum deducuntur*: & in *Aphor. lib.* 5. *Aphor.* 3. Hipp. *Ubi sanguis multus fluxerit, singultus aut convulsio, malum*: & paullo post, quippe *in Aphoris.* 56. ait *lib.* 5. *Ex fluxu muliebri si convulsio & animi defectus advenerit, malum*, quod repetit *in lib.* 7. *Aph.* 9. quum dixerit: *A sanguinis profluvio convulsio, malum*: quam rem clarius egit *in lib.* 6. *Aphoris.* Galen. quum dixerit, convulsionem ab evacuatione esse acutissimam & pernicio-sissimam, eadem ratione *in lib* 7. *Aphoris.* 13. Hippoc. scripsit, *ab æstibus fortibus convulsionem, aut distentionem, malum*: & paullo post *Aph.* 18. *in vigilia convulsio, malum*; quod quum fortes æstus, vel febres ardentes vel inustiones, tum vigiliæ immoderatæ substantiam humidam dissolvant, evacuentque, eodem itidem modo immoderatæ purgationes siccando convulsiones pernicioſas pariunt, quod Hipp. *in* 5. *lib. Aph.* 4. affirmavit, quum scripserit: *Ex immodica purgatione convulsio aut singultus, malum*: Et in sect. 7. Aph. 25. *Ex medicamenti potione convulsio, letale*: Et *lib.* 5. *Aphoris.* 1. *Convulsio ab elleboro, letale*. Atque hæc de Prognostico convulsionum perpetuarum. Nunc pauca de iis, quæ aut contentione, aut morsu fiunt, dum natura conatur ventriculis cerebri excutere humorem viscidum & crassum, attingamus, quum hæc cumulatius sint posterius a nobis tractanda; *Epilepticos* vocamus illos. Gal. *in lib.* 5. *Aph.* scribit, Epilepsiam neque acutissimum, neque periculosissimum esse affectum: & merito quidem, quum quod chronicus morbus sit, tum quod plures ab ipso evadunt; uti pueri, quos Hippoc. *in Sect.* 2. *Aphoris.* 45. sanari ita scripsit: *Quicumque juvenes morbo comitiali laborent, mutatione maxime ætatis & temporum & locorum & victuum quoque liberantur*. Expressit vero, quibus sanari possunt & non possunt *in quinto lib. Aphor.* 7. dicens: *Quicumque morbi comitiales fiunt ante pubertatem, mutationem accipiunt*; *Quibus vero accidunt viginti quinque annos natis, hi plerumque moriuntur*. Gal. scribit *in lib. de puero epileptico*, se plures pueros sanavisse, atque *in lib. de purg. med. facult.* plures vel etiam ex iis, qui non sanantur, in vere purgatos, atque sanguinis missione præcavisse: ceteræ vero aliæ convulsiones, quæ aut per consensum ab aliquo acri humore aut veneno, aut vapore venenoso, & maligno concitantur, curantur. Cujusmodi fuit, quam patiebatur Grammaticus ob amaram bilem, & Adolescens, ab ærugine os ventriculi mordente, qui excreta per vomitum ærugine, liberatus fuit. Itemque & alia a malignis vaporibus; sed hæc sufficient nobis ad judicandos eventus convulsionum sine febre concitatarum: nunc de iis, quæ in febribus acutis fiunt, agamus.

Convulsiones a contentione aut morsu.

CAP. VIII.

Quid convulſiones in febribus acutis ſignificent.

Convulſiones quid in morbis ſignificant.

Convulſiones omnes, quæ in principiis morborum acutorum fiunt, multitudinem humorum ſignificant, qua partes nervoſæ repletæ contenduntur ſeu convelluntur. Hæ quicquam certi in morbis non indicant, graviſſimum tamen morbum teſtantur, neque prorſus periculo vacantem, quando omnes morbi a multitudine crudorum humorum graves ſint, nec periculo careant. Quales fuere, quæ Hippoc. ut *ex libro Epid.* conſtat, in multis, qui ſanitati fuere reſtituti, fuere conſpectæ. Quippe in muliere *lib.* 1. *Epid. Ægr.* 13. *p.* 990. trimeſtri fetu gravida, in litore decumbente; in *Pythione lib.* 3. *Epid. Ægr.* 1. *p.* 1059. qui prope telluris ædem habitabat, in eo *ibid. Ægr.* 3. *pag.* 1066. qui in horto *Dealcis* ægrotabat; in *Charione ibid. Ægr.* 5. *p.* 1072. qui apud Demetum, atque in moroſa muliere *ibid. Ægr.* 11. *pag.* 1108. quam prima die quaſi repente convulſio invaſit. Hæ enim omnes (iis exceptis quæ in eo, qui in horto *Dealcis* ægrotabat, conſpectæ ſunt, quæ Criſin futuram indicabant) multitudinem humorum ſignabant, nec quicquam certi ad ſalutis exitiique præſagium. Ceterum in *Pythione* ac *Charione*, quod una cum urinis aliquam coctionem præ ſe ferentibus apparuerint, non ita erant timendæ. Criticæ fuere in illo, quæ in horto *Dealcis* conſpectæ ſunt: quod Gall. *in ſecundo Epidemiorum text.* 39. hiſce verbis expreſſit dicens: *Nam & quod deliraverit in nona, & dextro oculo ſtrabo fuerit, res ſunt quæ ſolent in judiciis evenire.* Quæ etiam in febribus ex ore ventriculi per conſenſum cerebro læſo fiunt, non ſunt timendæ, quum vomitione facta tolluntur. Qualis ab Hippoc. in filio Hermophyli fuit obſervata, de quo *in lib.* 5. *Epid. text.* 27. ita ſcripſit: *Hermophyli filius egrotavit undecim dies, febris autem tenebat ipſum, & non deſcendebant cibi, & primum quidem deliravit, nocte vero ceſſavit, ſequenti autem die ſine voce jaciebat, ſtertens, diſtortos habens oculos, febricitans: Penna vero immiſſa vomuit bilem atram & eliſtere immiſſo ſtercus multum ſubiit.* Eodem quoque modo in utero ſanatu ſunt faciliores: quare *in lib.* 1. *Prorrheticorum text.* 119. ita legitur: *Convulſiones in hyſtericis mulieribus faciles ſunt, ut etiam Dorcadi contigit*: In febribus etiam, quæ pueros invadunt, quod non magni receſſus, a ſano ipſorum ſtatu propter multum crudum alimentum quo abundant, & nervoſi generis infirmitatem, nobis indicio ſint, non admodum ſunt periculoſæ. Quod Gal. *in* 1. *Epid. comm.* 2. *text.* 24. expreſſit, dicens: *Pueri autem propter nervoſi generis infirmitatem convulſionibus ſunt opportuniſſimi.* Quo facilius etiam parvis de occaſionibus hoc genus iis mali accidit, minuſque eſt periculoſum, ex quo mirum non eſt, ſi vel etiam, quum in febribus pueri convelluntur, non ſit uſque adeo, uti in aliis ætatibus, timendum. Quod Hippoc. in pueris obſervaſſe *in lib.* 1. *Epid. ſect.* 2. *pag.* 944. *litt. H.* hiſce verbis prodidit: *Multos convulſiones & maxime pueros ab initio tentabant, & febricitabant febribusque convulſiones ſuccedebant.* Erant

Quanam minus timendæ.

hæc

hæc pleriſque diuturniora & innocua, præter eos quibus etiam alia cuncta pernicialia eſſent, quod *in* 4. *Coac. præſ. text.* 356. ita fuit confirmatum: *Convulſio in febre, letalis, minime vero pueris*: quibus etiam convulſionibus ſuccedit febris, aut ſi eſt, fiat vehementior, bonum eſt, quoad convulſionem, modo ex nervoſarum partium repletione profecta ſit. Hinc *in Coac. præſag. text.* 358. legitur, convulſionibus remedio eſſe acutam febrem ſupervenientem, quæ prius non fuit, aut ſi quidem prius exſtitit, jam invaleſcentem magis: nec non juvare urinam multum vitream, & genituræ ſimilem, atque etiam alvi fluxum. Convulſiones quoque in febrium principiis factæ, ſi febres augeantur, ægroti rigere minus ſolent: cujuſmodi fuit, quæ in uxore *Eraclidis* viſa eſt, de qua *in* 7. *Epid. text.* 130. *pag.* 1239. ita ſcripſit: *Philiſtidi Eraclidis uxori incepit febris acuta, rubor faciei ſine ulla cauſa manifeſta, paullo poſt eadem die riguit, non recaleſcebat, convulſio facta eſt in digitis manuum, & pedum, paullo vero poſt hæc invaluit, 2. ſuperriguit, paullo plus incaluit, & rubor minor, & convulſiones ſupervenerunt moderatiores.* Demum addamus quasdam convulſiones in febribus, aliquando febres ipſas diminuere & ſanare, quæ criticæ dici debebunt, quæ fiunt per materiæ tranſmiſſionem a venis ad nervos muſculosque, quæ ſi febrem in primis diebus ſolvant, criticæ, & bonæ erunt, quod *in* 5. *lib. Coac. præſag. text.* 156. & 157. ita ſcriptum eſt: *Convulſio in febre mota, febrem ſolvit eadem die, aut altera, vel certo tertia, quod ſi tempus tranſgrediatur, quo ab initio tenebat, nec acquieſcat, malum.* Hoc vero fit, ut etiam dictum eſt tranſmiſſa materia morbifica a venis ad partes nervoſas, quæ tranſmiſſio materiæ poteſt quidem febrem minuere, vel etiam prorſus tollere, humoribus a venis excretis, non amplius in ipſis putreſcentibus. Sed hæc de iis convulſionibus, quæ etſi non bonæ (quum perpetuo per ſe omnes malæ ſint) tamen aliquando ſalutem indicare, contingit: quibus perſpectis ad malas perniciosasque convulſiones deſcendamus. De quibus in febribus obſervatis Hipp. *in* 2. *lib. Prognoſt. p.* 39. *lin.* 45. ſcribit: *Si autem teſtes, & pudenda revelluntur, dolor vehemens, vel mors.* Perpetuo in adultis in febribus acutis convulſiones ſunt malæ, omniumque maxime in ardentibus, ut Gal. *in* 4. *Lib. Aph.* 66. teſtatum reliquit, quod hæ ardentes febres veluti ignis nervos ſiccent ac pernicioſas convulſiones faciant. Dictum eſt omnes convulſiones a ſiccatis partibus nervoſis profectas, eſſe ſanatu nedum difficiles, ſed impoſſibiles, itaque in febribus acutis eæ omnes erunt pernicioſæ, quippe quæ ab igneo calore febris humido conſumto, ſiccatis nervis fiunt. De his Gal. *in* 4. *lib. Aphoriſm.* 35. ait: *Si vero ex febribus adurentibus totum corpus exſiccetur, & nervis deinde ex ſiccitate convulſio accidat, maximum eſt malum, & pene inſanabile, quoniam longum quidem tempus exigitur ad ſiccitatem nervorum removendam, vehementia autem morbi tempus non concedit naturæ, ſed cito vires diſſolvens exitium affert.* Ex quo Hippoc. merito *in ſect.* 4. *Aphor.* 66. dixit: *in acutis febribus convulſiones, & circa viſcera dolores fortes, malum.* Quæ ſi cum virium debilitate fiant, in foribus exitium prædicant. Quod Hippoc. perbelle *in Aphor.* 49. *ſect.* 4. expreſſit, ita ſcribens: *In febre non intermittente, ſi labrum*

Convulſiones criticæ.

Convulſiones quænam pernicioſæ. A ſiccitate.

Cum virium debilitate.

vel palpebra, vel ſupercilium, vel oculus, vel naſus pervertatur, vel non videat, vel non audiat, jam debili exſiſtente corpore, quicquid horum evenerit, mors proxima eſt. Quod obſervavit Hippoc. in uxore Dromedai *lib.* 1. *Epid. Ægr.* 11. *pag.* 987. quæ poſt convulſiones a capite inceptas ſubito obiit. Quæ etiam in mente captis fiunt, maxime ſuſpectæ erunt, ſed omnium perniciosiſſimæ, quæ in phreniticis fiunt, proximum enim exitium ſignificant. Nec iſtorum convulſorum quempiam ſanatum vidit Galen. neque alium narrantem audiviſſe, *in lib.* 12. *meth. med. cap. ult.* mortalium memoriæ commendavit. Hippoc. in illa epidemica conſtitutione, quam *in* 1. *Epid. ſect.* 2. *pag.* 948. *inter litt. G. & H.* deſcripſit, plures phreniticorum meminit, qui convulſi ſubito moriebantur. De quibus ait: *Phreniticis convulſiones, ſed & virulenta vomunt, & ex his quidam ſubito moriuntur.* Quod accuratius obſervavit in phrenitico, de quo apud ipſum *lib.* 3. *Epid. Ægr.* 4. *pag.* 1100. *Poſtridie mane vocem amiſit, febris acuta, ſudavit, non intermiſit, palpitationes per totum corpus, nocte convulſiones, tertio die cuncta exacerbata ſunt: defunctus eſt.* Proprium eſſe exitialium phrenitidum, ut in convulſiones deſinant, alias a nobis ex Hippoc. atque Gal. demonſtratum eſt. Veræ enim phrenitides id habent, quod paullo ante mortem convulſiones faciant, quippe ab inflammatione cerebri ſiccatis nervis; in ipſis vero, ubi hæ apparent, in foribus exitium denotant, quod Hippoc. in Cononis Sexua phrenitica, ut apud ipſum *in* 5. *Epid. text.* 84. *pag.* 1160. legitur, obſervavit, quæ quidem quum diebus quadraginta mortua eſſet, per aliquot dies ante, voce deſtituta, & convulſa eſt. Tremores in convulſiones deſinentes, ſeu ex tremoribus convulſiones, letaliſſimas eſſe, Gal. *in* 3. *Prorrh.* 9. affirmavit. A doloribus quoque & aſſiduis vigiliis, perniciosæ ſunt, nec non in febribus acutis, quæ obſervantur convulſiones, ut Hippoc. *in ſect.* 7. *Aphor.* 18. nos docuit. Ab immoderatis vacuationibus & purgationibus eodem modo malas eſſe convulſiones in aphoriſmis nobis ſignificavit, veluti quum ait *in ſect.* 5. *Aphor.* 4. *Ex ſuperflua purgatione convulſio aut ſingultus ſuperveniens, malum.* Et poſtea *Aphor.* 56. *Ex fluxu muliebri ſi convulſio & animi defectus advenerit, malum.* Ita ut omnes quum evacuationes tum purgationes immoderatæ, a quibus ægroti convelluntur, ſiccent univerſum corpus, atque convulſiones ſiccatis nervis efficere alias dictum eſt. Hinc Gal. *in* 7. *Aphor.* 70. *comm.* dixit: *Ab evacuatione convulſionem acutiſſimam & perniciosiſſimam eſſe.* Ab ilei inflammatione convulſiones eſſe perniciosas Hippoc. quoque *in lib.* 7. *Aphoriſ.* 10. tradidit: *in vulneratis etiam convulſiones plerumque letales eſſe conſueverunt*, etſi non neceſſario in omnibus ex vulnere convulſis mors ſuccedat, ut Gal. *in* 5. *Aphor.* 2. *ſect.* 5. etſi Hipp. *in Aphor.* 2. dixerit *e vulnere convulſionem letalem*. Plerumque vero letales ſunt, quod vel etiam ipſe Hippoc. ut apud ipſum *in Epidem.* libris legitur, in multis obſervavit, quippe in Scamandro a ſectione, in eo, qui ex jaculo ſauciatus convulſus eſt, in illa Nerei virgine pulcra ex percuſſione, in Gubernatore navis ex fracto digito, atque in alio ex luxato digito, qui omnes convulſi obierunt. De Scamandro vero *in* 5. *lib. Epid. pag.* 1145. *text.* 15. ita habet: *Scamandrus in Lariſſa & in coxa marcorem habuit, & os dia luxa-*

In mente captis.

In veris Phrenitibus.

A tremoribus.

A doloribus.

Ab immoderatis vacuationibus,

Ab ilei inflammatione

Ex vulnere.

luxatum. Hic ſectus eſt ſectione magna, etiam ad os ipſum, & deinde uſtus eſt, & tunc die duodecima poſt ſectionem ſpaſmus cœpit, & obtinuit multum: contrahebatur autem crus hoc uſque ad coſtas, tranſiliebat autem & in alteram partem convulſio, contrahebatur autem crus, & extendebatur: & alia membra movebat, & maxillæ adducebantur. Hic mortuus eſt, convulſus octava poſt invaſionem convulſionis. Et de illo, qui a jaculo percuſſus eſt, poſtea *text.* 47. *pag.* 1153. *Qui jaculo acuto percuſſus eſt poſterius, paullo infra cervicem vulnus accepit; aſpectu quidem non dignum mentione, non enim in alto fiebat, non autem multo tempore poſt extracto telo, poſteriora tractus, ut opiſthotonici, & maxillæ ligatæ ſunt, atque ſi quid humidum in os acciperet, & id conaretur bibere, rurſum relidebatur ad nares, & reliqua ſtatim pejora fiebant, & die 2. mortuus eſt.* Sed audiamus caſum virginis illius Nerei pulcræ, a percuſſione convulſæ, de qua *text.* 50. *pag.* 1154. ita habet: *Virgo illa pulcra Nerei, quæ quidem erat viginti annorum, a muliercula amica ludente, lata manu percuſſa eſt ſecundum ſynciput, & tunc quidem vertigine tenebricoſa correpta eſt, & reſpiratione caruit, & quum domum veniſſet, illico febris tenuit, & doluit caput, & rubra circa faciem erat. Quum autem ſeptima jam eſſet dies per aurem dextram pus exiit fœtidum, ſubrubrum plus cyatho & videbatur melius habere, & ſublevata eſt. Rurſus intendebatur febris, & deferebatur in ſomnum, & loqui non poterat & dextra faciei pars trahebatur, & reſpirationem habebat difficilem, & convulſionem, & tremebat lingua, oculus ſtupidus: nona mortua eſt.* Et poſtea *text.* 74. *pag.* 1159. adjunxit caſum ſatis ſpectandum, quum ait: *Magnæ navis gubernatori ancora digitum indicem, & os infernum confregit dextræ manus, inflammatio ſucceſſit, & ſphacelus, & febris, ſubpurgatus eſt moderate, calores mites & dolores. Digiti quoddam decidit, poſt ſeptem dies exibat ſanies moderata: poſt hæc dixit ſe non poſſe omnia lingua enuntiare. Prædictum eſt fore opiſthotonicum, conferebant in hoc buccæ conſertæ deinde in cervicem. Tertia die totus convellebatur in poſteriora cum ſudore. Sexta die a prædictione mortuus.* Eodem modo de Harpali filio *text.* 75. *pag.* 1159. ex magni digiti convulſione 3. die mortuo, ita ſcripſit: *Filius Harpali, qui ex Telephane liberta luxationem infra magni digiti accepit: inflammatus eſt, et cum dolore: et ubi repoſitus eſt, profectus eſt in agrum, rediens lumbus doluit, lavit: maxillæ ad noctem conſerebantur, et opiſthotonus aderat. Spumoſa ſaliva vix per dentes extra exibat. Tertia die mortuus eſt.* Eodem modo & Tychon, in obſidione circa Datum percuſſum in pectus a catapulta, 3. die convulſum ſubito obiiſſe in eod. *lib.* 5. *text.* 94. *pag.* 1161. nobis prodidit. Ex horum itaque hiſtoria apparet plerumque convulſiones ex vulneribus eſſe letales. A medicamentis quoque quum prævalide purgantibus tum venenoſis, convulſiones permanentes ſunt letales, unde Hippoc. dixit *in* 5. *lib. Aphoriſm.* 1. *Ab elleboro convulſionem eſſe letalem.* Et *in lib.* 7 *Aphoriſm.* 25. *Convulſionem ex medicamentorum potione eodem modo eſſe letalem*, in quam, ſane letalem convulſionem, puellam quamdam a medicamento fetum corruptorio incidiſſe Hippoc. *in* 5. *Epid. text.* 53. *pag.* 1155. vidit, de qua

A Medicamentis.

ita

ita ſcribit : *Ei, quæ vigeſimum ætatis annum agebat, et pharmacum corruptorium biberat, accidit labor, vomitus bilioſorum, multorum pallidorum et porraceorum. Quum bibiſſet, convulſio tenebat, linguam mandebat, quum ad quartam veniret et ipſa lingua erat magna, nigra, oculorum autem alba pars rubra: inſomnis quarta die, ad noctem mortua eſt.* Hippoc. ſcribit, in cod. *lib.* 5. *Epid. text.* 85. *pag.* 1160. juvenem ex devorato ſerpente quoque convulſum periiſſe. Cujus hiſtoriam ita expreſſit : *Adoleſcens quidam, quum multum meracum bibiſſet, ſupinus dormivit in umbraculo quodam. Huic ſerpens Arges in os ingreſſus eſt, atque quum ſenſit, non valens loqui, ſtridit dentibus et ſerpentem devoravit, et dolore magno tenebatur, et manus offerebat, ut qui ſtrangularetur: et jactabat ſeipſum, et convulſus mortuus eſt. In libro vero* 7. *text.* 20. *pag.* 1215. Anginoſam mulierem die 7. convulſam interiiſſe. Atque hæ ſunt letales convulſiones in acutis morbis obſervatæ, quæ, ut jam diximus, in acutis ardentibuſque febribus ſunt pernicioſiſſimæ, omniumque maxime, quæ phreniticis ſuccedunt, multum quoque a vulneribus convulſiones eſſe timendas, prædictorum ex Hippoc. narratæ hiſtoriæ ſatis vos docent. Sed dicetis illas, quæ, quum fiant in principiis acutorum morborum, ex repletis nervoſis partibus ipſas concitari neceſſe eſt, atque alias, quæ quovis modo ab eadem cauſa in iiſdem acutis morbis concitantur, qua ratione vel ſalubres vel letales eſſe, cognoſcemus. Ex ſignis aliis tum, quæ præceſſerunt, tum una quæ illuxerunt, aut poſtea ſequentur. Omniumque maxime coctionis & cruditatis ſigna erunt attendenda, apparentibus enim convulſionibus, morbo plane crudo exiſtente, ſemper nobis malum minantur, eodem modo pernicioſæ numquam ſolæ, ſed aliis cum ſignis perniciem indicantibus apparere ſoleant. Qua ratione convulſiones, quas in uxore Philini primo; & poſtea in uxore Dromedai, in Philiſta, in phrenitico, muliere Cyzichi, atque in muliere apud frigidam aquam decumbente *lib.* 1. *Epid. Ægr.* 2. *pag.* 1096. Hippoc. vidit, letales omnes fuerunt. In muliere enim Philini, ut ex 1. *Epid. Ægr.* 4. *pag.* 975. habetur, multæ convulſiones dolorificæ, cum magno delirio die 8. apparuerunt, quæ & diebus nono & undecimo eædem manentes, cum urinis craſſis, albis, turbidis, multo tempore non reſidentibus, mortales abſque dubio fuerunt judicandæ. Non minus, & quæ in uxore Dromedai. De qua Hippoc. *in Epid. lib.* 1. *Ægr.* 11. *pag.* 1070. *Sexto die mane ſuperriguit, cito percaluit, toto corpore ſudavit, extrema frigida, deliravit, ſpiritus magnus, et rarus, paullo poſt convulſiones, a capite cœperunt; Urinis oleoſis apparentibus paucis, et cum ſtillis ſanguinis, quæ præceſſerunt. Mortua eſt.* Quæ omnia ſimul certum exitium indicabant. Idem judicium ex hypochondrii tenſione in Philiſta *lib.* 3. *Epid. Ægr.* 4. *p.* 1070. 5. *obiit, ante diem, quum ex ſepti tranſverſi magna inflammatione facta eſſet convulſa, ſimul cum peſſimis ſignis.* In phrenitico etiam *lib.* 3. *Epid. Ægr.* 4. *pag.* 1100. (præterquam ut nuper a nobis ex Galeno eſt demonſtratum, quod omnes convulſiones in phreniticis exiciales) etiam id convulſiones ipſius habuerunt, ut letalia ſigna ſimul cum convulſionibus tunc illuxerint, quando virulenta vomuerit, febris eſ-

Convulſiones ſalutares unde a letalibus dignoſcuntur.

ſet

ſet horrida, ſudor copioſus prima die, aſſiduus toto corpore, multum delirium, ſecunda die aphonia, febris acuta, ſudavit, non intermiſit, quo tempore exitialiſſimæ factæ ſunt convulſiones, quæ in febribus exitium certe prædicabant. Eodem itidem modo, & quæ in muliere *Cyzichi ibid. Ægrot. 14. pag. 1114.* die decimoquarto, cum extremorum frigiditate, delirio, crudoque plane exiſtente morbo: atque hæc ſunt, quæ de prædictione a convulſionibus fuerant dicenda, ſub quorum genere quum & ſingultus comprehendantur, de ipſis agendum non videretur, tamen quum ſingulares ſtomachi ſint ſingultus convulſiones, de illis quoque ſigillatim agendum merito duximus, atque eo magis, quod Hippocrates de ipſis diſtincte quidem a convulſionibus ſcripſerit.

CAP. IX.

Quid ſingultus in morbis prædicant?

A Singultu quoque eventus morborum venemur, tametſi idem ſit ipſius judicium, atque convulſionis, ſiquidem & ipſe quædam convulſio ſtomachi eſt, ut Gal. docuit *in 5. Aphoriſm. 3. in lib. vero 4. de vict. rat. in morb. acutis*, ſingultus appellat motus convulſorios: de qua clare ſatis *in Comment. ſexti Aphor.* ita habet: *Singultus vero concedatur convulſionem ſtomachi nominari, quando aliud fuerit ſermonis propoſitum, ut ſingultus ſubſtantiam cognoſcamus, melius fortaſſis fuerit non convulſionem ipſum nominare, ſed quemdam motum ejuſdem quidem generis, cujus vomitus, intentum autem & illo vehementiorem. Nam ſtomachus appetens eorum aliquid, quæ in ipſo continentur, expellere, ad duos movetur caſus, vehementiorem quidem in ſingultibus, mediocriorem illo in vomitibus, ſiquidem in vomitibus appetit ea tantum, quæ in ventriculi ſpatio latiori continentur, expellere, in ſingultibus autem ea, quæ ſunt in ipſo ventriculi ore penitiora.* Ex quibus apparet ſingultum eſſe motum expultricis ſtomachi, aliquod noxium expellentis. Veramque ſtomachi convulſionem ſingultum dicimus, ſed eum, quæ cum motu fit, qualis in epilepticis læſo cerebro obſervatur: aut melius dicamus, ſingultus, ut Gal. *in ſect. 4. de vict. rat. in acut. text. 69.* nobis tradidit, eſſe quoſdam motus convulſivos. Concitantur vero ex Hippocr. *in 6. Aphoriſ. 39.* vel ex repletione, vel inanitione, ſcilicet partium nervoſarum, particulatimque oris ventriculi. Replent vero cibi multi, potus, humores, phlegmones, flatus. Siccant calor igneus, immoderatæ omnes vacuationes, purgationes, vigiliæ, jejunia, atque alia hujuſmodi. Ceterum ſingultum fieri ab iis cauſis, uti veræ convulſiones concitantur, præcedit Hippoc. de vera ſtomachi convulſione locutus, quæ ab altera harum cauſarum fit. Quod vero ſæpius fiant ſingultus propter mordicationem oris ventriculi, qui motus ſunt ſimiles convulſionibus, quos convulſivos motus, multi merito appellent, minimeque convulſiones, proinde mirum non eſt, ſi ab aliis cauſis fiant, ab illis quippe omnibus, qui vel copia gravantes ſtomachum, vel moleſta quapiam qualitate ipſum læden-

Singultu quid.

Singultus cauſa.

lædentes. Nam quum ventriculus copia humorum, vel ciborum pravorum, opprimitur, aut acrimonia mordetur, aut diſtenditur flatu, aut calore aut frigore aliave qualitate irritatur, aut reſiccatur, vel revellitur eo motu convulſioni haud abſimili, noxam nititur expellere. Quæ Gal. videtur *in lib. 8. de comp. med. cap.* 8. attigiſſe, quum ait: *Similiter, & ſingultus ſtomacho interdum ob frigiditatem, aut repletionem accedit, interdum ob mordacitatem humorum acrium, & medicamentaria qualitate præditorum*; & paullo poſt: *Singultum autem ſine his fieri video, acribus humoribus aut ſeroſis & medicamentis ſtomachum mordentibus, quos ubi vomitu rejecerint, ſtatim ſingultu liberantur*. Quia & multi devorato pharmaco ex tribus piperis generibus conſtante, ſi ſtatim vinum ſuperbibant, omnino ſingultiunt, ex quorum numero etiam ego ſum. Amplius autem & cibo in mordacem qualitatem corrupto aliqui ſingultiunt, & quod a vomitu ſtatim liberantur, omnibus notum eſt. Quidam etiam ex rigore oris ventris ſingultiunt. Verum pueros maxime ſingultire contingit, tum ob corruptionem alimenti in ventre, tum ob partis frigiditatem, atque ab iis cauſis ſingultus fiunt. Verum in febribus ſingultiunt homines quandoque propter pernicioſam aut ſtomachi, aut cerebri, aut inteſtini tenuis aut hepatis, inflammationem, aut preſſo ore ventris, a cava hepatis parte in tumorem elata, aut propter hepatis fervoris communicationem, aut acri humore e parte inflammata in os ventriculi defluente, & ipſum mordente, itemque acris exhalatio irritans ſtomachum, ſed hæc ſatis ſint de cauſis, quibus ſingultiunt. Hinc illis cognitis ad prognoſticum declinemus, dicamuſque ex ſingultibus eos tantum non eſſe timendos, qui citra febrem ac alium morbum, ex vino aut cibis fiunt, aut etiam ab humoribus acrioribus, vel frigidis, val calidis, vel corruptis. At in febribus quemadmodum & convulſiones perpetuo timendi ſunt, omniumque maxime febri ſupervenientes. Quædam febres dicuntur etiam ſingultuoſæ, ex eo quod in ipſis homines fere perpetuo ſingultiant, augeanturque aucta febre & remittantur eadem remiſſa, quas febres Græci *lygodes* appellant. Quarum quidem Hippocr. meminit *in ſect. 4. lib. de rat. vict. in acut. pag.* 401. *lin.* 39. Et Gal. *in Comment.* dixit, febrem ſingultuoſam appellari, in qua ſingultus permanet, ac per totum morbum ſimul cum febre exacerbatur, ut plurimum vero eæ non parum ſuſpectæ haberi debent, quod fiant inflammato aut ſtomacho, aut tenui inteſtino aut hepate. *Cornel. Celſus* ſcribit, frequentem ſingultum jecur inflammatum ſignificare; non tamen ſimpliciter hepate inflammato ſingultiunt ægri, ſed quando hepar ad maximam attollitur inflammationem, ex Gal. *in* 5. *lib. Aphor.* 3. licet Hippoc. dixerit ſimpliciter: *Hepati inflammationem patienti ſingultus advenit*. Quare in hepatis inflammatione ſingultus exitialis eſſe ſolet. Non minuſque fit cerebro ac ventriculo inflammato, omniumque maxime, ſi a vomitu fiat, de quo Hippoc. *in* 7. *lib. Aphor.* 3. ſcribit: *A vomitu ſingultus, & oculorum rubor, malum*. Gal. de ipſo ita ſentit: Qualis paſſio eſt convulſio muſculis, talis eſt ſingultus ſtomacho, qui humoribus infeſtatur, convenit nonnumquam totum ventriculum, nonnumquam os ejus & gulam. Quos per vo-

Singultus quid præſagit.

mitiones

mitiones abjiciens ſtatim a ſingultu liberatur, qui ſi neque per iſtas ceſſaverit, duorum alterum oſtendit, vel cerebrum nervorum principium, vel ventriculum pati non mediocrem inflammationem, quare a vomitu plerumque perniciem oſtendit concitatus ſingultus, omniumque maxime in ilei affectu, ex quo Hippoc. *in ſect. 7. Aphor.* 10. dixit: *Ab ileo vomitus, ſingultus, convulſio, malum.* Et Galen. *in Comment.* dixit: *non ſemper in iis vomitum adeſſe, ſed quando exitiales ſunt, & ſi vehementius diſtorqueantur, ſtercus eis aſcendit, atque ſingultiunt.* Quare in acutis febribus a vomitu & præſertim malo ſingultus aſcendens, mortalis erit judicandus; qualis fuit obſervatus ab Hippoc. *in 3. Epidem. Ægrot.* 12. *pag.* 1080. in muliere ægrotante in mendacium foro, de qua ait: *Duodecimo vomuit multa, nigra, fœtida, ſingultus multus, ſitis laborioſa: quæ poſtridie obiit.* In quacumque vero febre acuta ſingultus frequentior & moleſtior, futuri exitii nobis erit indicium, omniumque maxime, ſi a vomitu malo, dico vomitum malum ex humoribus aut fœtidis, nigris virulentis, aut ſinceris, qui evacuantur. Ex quo merito in *ſect. 4. Coac. præſ. text.* 565. in vomitionibus ſinceris damnatur ſingultus. Ab immoderata etiam quum evacuatione tum purgatione ſingultus ſolet eſſe exitialis, quod reſiccatis nervoſis partibus ſtomachus convellatur. De quibus Hippocr. *in ſect. 5. Aphor. 3. Ubi ſanguis multus fluxerit, ſingultus aut convulſio, malum*: Et in ſequenti Aphor. *Ex ſuperflua purgatione convulſio aut ſingultus ſuperveniens, malum.* Omniumque exitialiſſimi ſunt ſingultus, qui immodice purgatis corporibus, ac vel etiam ſuapte natura debilibus. De quibus Hippoc. forte *in lib. 7. Aphor.* 41. dixit: *Si ſenioribus ſupra modum purgatis ſingultus ſupervenerit, non bonum.* Similiter ſolent ſingultus in ictericis ex tumore aut inflammatione hepatis concitari. De quibus in *Coacis præſagiis text.* 490. hæc habentur: *Qui fœdati morbo regio non adeo acriter ſentiunt, ſiquidem ſingultiunt, alvi iis exturbantur, fortaſſe ſupprimuntur atque ii valde flaveſcunt. Non ſingultiunt hi, quovis modo affecto hepate, ſed ita pleno aut inflammato, ut vel præ copia exundantis bilis totus ventriculus aut ſtomachus gravetur, aut mordeatur, vel præ magnitudine inflammationis ac fervore opprimatur, quod tum demum evenire ſolet, quum affectus maximus eſt.* Verum, ut letalium ſeu exitialium ſingultuum judicium confirmetur, ſigna alia pernicioſa, quum quæ præceſſerunt, tum quæ una illuxerunt, tum quæ poſtea, quando ſingultus exitiales numquam ſoli erunt, ſed alia ejuſdem pernicioſæ naturæ aut ante aut ſimul conſpecta habebunt ſigna. Quæ auctor Prorrheticorum *in 1. libr. text.* 23. expreſſit, dicens: *Aphoniæ cum ſingultu, peſſimæ.* Et in Coacis præſagiis *text.* 45. *Laſſati, ſingultientes, ſtupore detenti, mali.* Peſſima ſigna erunt, ſudores frigidi, extrema frigida non recaleſcentia in febre ardentiſſima, non ſitire, cibum abhorrere, ſudare copioſius, & febrem non intermittere: ſtilla ſanguinis e naribus, & alia hujuſmodi multa, quæ quiſque videre poterit, in hiſtoria illius mulieris, quæ in mendacium foro decumbebat, de qua, ut dictum eſt, Hippoc. *in lib. 3. Epidem. Ægrot.* 12. *pag.* 1080.

Singultus exitialiſſimi.

Singultus exitioſi unde noſcuntur.

CAP.

CAP. X.

De rigoribus, atque quid in morbis ſignificent.

DE rigoribus quoque in præſentia quatenus ad prognoſticum judicandum maxime faciunt, acturi, in primis ipſorum cognitionem, juxta noſtrum ordinem præmittemus, neque inutiliter, quum non poſſit, eis non probe cognitis, de morbis judicium certum ex rigoribus haberi. Rigor itaque eſt naturalis caloris ſubita ac violenta, ſive, ut ait Gal. *in lib. de trem. palp. convulſ. & rigore. Dolorifica perfrictio cum quadam inæquali totius corporis concuſſione, agitationeque ab expultrice facultate partium ſenſibilium, conante foras expellere humores noxios, oborta.* Diſtinguitur a tremore, quod tremor ſit unius tantum membri vibratio, rigor totius corporis. Ab horrore, quia hic ſit totius cutis & rigor totius corporis. Ceterum dicemus hoc paullo poſt accuratius. Rigor quandoque fit citra ullam febrem, plerumque cum febre una: abſque febre rigorem concitari docuit Gal. *in lib. nuper citato cap.* 7. & *in ſect.* 2. *de cauſ. ſymptomatum cap.* 5. atque *in libr. de inæquali intemperie cap.* 8. qui contra antiquos fieri abſque febre rigores demonſtravit. Viditque ipſe Alexandriæ juvenem citra febrem ex dactilorum immaturorum eſu, quippe ex humore craſſo venas obſtruente, riguiſſe. Antiquis vero cognitum haud fuit, citra febrem corpora rigere. Non tamen Hippoc. quum *in primo lib. Epid. Com.* 3. *Ægr.* 5. *p.* 979. de uxore Epicratis hoc aperte ſcripſerit, dicens: *Epicratis uxor, quæ ægrotabat apud Archegetem inſtante jam partu, rigore correpta eſt, non incaluit, ut ferebant, poſtridie eadem erant.* Datur itaque rigor citra febrem, qui a Galen. *in ſect.* 6. *Comm.* 3. *text.* 9. rigor non potens calefieri & a Græcis *anechtermeton* nuncupatur, veluti ille, qui poteſt calefieri, quippe quem febris ſubſequitur, validus concutienſque ac morbidus dicitur. Sed quomodo quum a frigore, tum ab horrore rigor diſtinguatur, Galen. *in libr. nuper citato de trem. palp. convul. & rig. cap* 6. his verbis expreſſit, dicens: *In ægrotantibus ſane non idem videtur cum eo, quod eſt horrere, aut frigere.* Dicimus igitur ſubinde acceſſionis inſultum, huic ſane cum rigore, alteri cum horrore, alii cum frigiditate ſola oboriri, & in omnium Medicorum commentariis idem uſus verborum exſiſtit. Ita quum quis cum nulla concuſſione corporis & agitatione perfrigeſcit, non hic riget, verum ſi affectus rigor appellari debeat, inæqualem & præter voluntatem motum ei accidere oportet, quod ſi non accidat, ſed cutem quidem inæqualiter commoveat, perfrictionem nominant: ſin autem hanc quidem perturbet, quatiatque per quoſdam inſultus, corpus autem totum non commoveat, horrorem nominant, ut hic cutis ſolius affectus talis exſiſtat, qualis totius corporis rigor. Cauſæ rigorum ſunt primo immoderata quum caliditas tum frigiditas. A calore immodico & frigore confertim corpus alterari horrore & rigore, ii, qui balneum nimis aut calidum aut frigidum ingrediuntur, probe ſciunt, & a Galen. *in lib. ſecundo de cauſ. ſympt. cap.* 5.

Rigor quid.

A tremore & horrore quo modo diſtinguitur.

Perfrictio & horror quid.

Rigorum cauſæ.

cap. 5. demonſtratum eſt. Ex quo merito ab Hippocrate *lib.* 5. *Aphor.* 20. ſcriptum eſt: *Ulceribus frigidum quidem mordax cutem obdurat, dolorem inſuperabilem facit, & rigores febriles.* Quidam etiam ex vehementi timore horrent. Veluti alii tremunt ab ulceribus & abſceſſibus ſuppurantibus, nec non rigere corpora aliquando ab inuſtione & ſectione, Gal. *in ſect. 6. Epid. Comm. 3. text. 19.* nobis prodidit, quum dicit: *Sed ab his cauſis rigent, tamquam ab aliquo acri ſenſibilem carnem ladente.* Ex quo merito præcipuas rigorum cauſas, bilioſos, acres humores *Galenus* ſtatuit. Hi enim admodum ſenſibiles partes mordicantes, ſunt in cauſa, ut calor naturalis ad ipſos quidem ejiciendos, magno impetu exſurgens, motum illum inæqualem concuſſivumque in toto corpore efficiat, quod Galen. *in ſect. 2. ſympt. cauſ. cap.* 5. docuit. Hujuſmodi rigores clare apparent in febribus bilioſi, omniumque maxime in iis, quæ intermittunt. In quibus idem, quando humores bilioſi tenues admodum mordaces extra venas expulſi ab omnibus ſenſibilibus particulis continuatim expellantur, quippe ab hac in aliam partem, atque ab illa in aliam, quouſque humores, vel ad cutim ferantur, per ejuſque poros, ſcilicet per ſudorem vacuantur, aut ad ſtomachum pervenerint, ex quo vomitu rejiciuntur, aut ad alvum, per quem foras demittuntur. Hinc rigores bilioſæ vacuationes ſequi ſolent. Quod a Gal. *in lib. 6. Epidem. Comm. 2. in text. 6.* hiſce verbis ſcriptum eſt: *In ſermonibus de rigore oſtenſum eſt amaram bilem, quæ cum impetu per ſenſibilia corpora ad excretionem fertur, conſequi rigorem.* Rigor vero hujus eſt generatio. Acres enim ac infeſti humores a venarum expultricibus pelluntur extra ad partes, a quibus non minus ii expelluntur, quum has ipſorum acrimonia infeſtet, & excitet expultricem, viciſſim in alias, hæque in alias, quouſque aut, ut nuper dictum eſt, ad cutim, aut ad ſtomachum, aut ad ventrem venerint, & dum conantur partes læſæ humorem expellere, calor naturalis ad eas, ut opem ferat, evocatur. Ex quo extremæ partes algent eo deſtitutæ. Finitaque humorum expulſione, quod eſt ubi ad cutim, aut ad alium locum extimum, per quem excerni poſſint, deventum ſit, rurſum calor foras effertur. Quo tempore extrema denuo incaleſcunt, & multoque magis ſi calor naturalis robuſtus fuerit. Quo prælanguido exiſtente tarde & parum incaleſcunt. In hac itaque humorum expulſione fit illa corporis totius inæqualis concuſſio ac vibratio, quæ rigor eſt. Dumque fit hæc, extrema calore intus recurſo frigeſcunt. Hinc dum rigent corpora, una etiam frigent. Quare rigores ab acribus humoribus concitantur. Quandoque vero fiunt ab humore craſſo venis obſtruente. Cujuſmodi fuit ille, quem Gal. Alexandriæ in juvene obſervavit, de cujus ſane rigoris generatione, *in nuper citato lib. cap. 6.* Gal. ita habet: *Nunc autem naturalis caloris vi impedita rigor occurrit, cupit enim tamquam nec ſubſtantia nec robore oblæſus tum expandi, tum in omnes partes corporis diſtribui. Prohibitus autem & vi in altum repulſus ad proprium principium refugit: Quum autem ibidem manere nequeat (nam ſubſtantiæ ſemper mobili loco conſiſtere mos eſt.) ſeſe ligans ac veluti in unum congregans, æqualiter ſane non intro libero motu protenditur. Sed vehementi latione utens, & veluti a carcere exſiliens nonnumquam inſurgit motu adverſus*

A bilioſis & acribus humoribus.

Ab humore craſſo.

ſus ea, quæ tranſitum ipſius occupant; illa ſane impetuoſa cohibetur, totum autem corpus quum incidit, perturbat. Nam præter alia etiam vaporoſus nunc redditus, dum illiditur in ea, quæ obſiſtunt, intro rurſus reſilit, ſeu ictu repercuſſus ac iterum ad principium revertitur. Inde rurſus erumpens incidit violentius, iterumque reſilit etiam in hoc illapſu, idque frequenter per ſucceſſionem fit, quamdiu noxa perſeverat. Incipiunt vero rigores a dorſo & lumbis, quod Hippoc. *in ſect.* 5. *Aphor.* 69. ita habet: *Rigores incipiunt mulieribus quidem ex lumbis magis, & per dorſum ad caput; ſed & viris parte corporis poſteriore magis quam anteriore. Velut ex cubitis ac femoribus. Sed & cutis viris rara. Hoc quidem pilus indicat.* Sed hæc ſatis pro rigorum illuſtranda notitia, nunc ad ipſorum prædictionem, quam ſane primum a bonis rigoribus venemur. Boni itaque rigores ſunt eorum, qui in febribus obſervantur, periodici, febriumque propria qui ſunt ſymptomata. Periodici, qui aut quotidie aut alternis diebus aut ternis, omnes ſalubres, febres intermittentes antecedunt, quas omnes periculo vacare Hippoc. *in lib.* 4. *Aphor.* 43. tradidit, eoque magis, quo major eſt intermiſſio, & quo minus eſt moleſtiarum tempus. De his enim in *Apho.* 63. ait: *Quibus quotidie rigores fiunt, quotidie febres ſolvuntur.* Quum enim ut Gal. docet in Commento, per omnem corporis habitum mota rigores accidant, atque ideo ſingulis acceſſionibus expurgetur, atque evacuetur, non abſque ratione ad infebricitationem pervenit talium febrium intermiſſio. Hoc igitur eſt, quod nunc dictum eſt ab eo, quotidie rigores fiunt, quotidie etiam febres ceſſant, ſic videlicet ſi & per tertium diem vel etiam per quartum. Quod ſcilicet fieri videtur & in tertianis, & in quartanis circuitibus, in quibus febres ſolvuntur, & rurſus redeunt, quarum proprium eſt, ut cum rigore redeant. Omnium vero optimi ſunt rigores judicatorii optimi. Cujuſmodi ſunt, qui febribus ſuperveniunt continuis in aliquo dierum judicatoriorum, cum ſignis concoctionis, a quibus aut ſudores optimi copioſi, aut vomitiones, aut alvi dejectiones aut ſanguinis e naribus eruptiones ſuccedunt, atque ex ipſis febres aut prorſus tolluntur aut maxime minuuntur. De quibus Hippoc. *in quarto lib. Aphor.* 58. ait: *A febre ardente habito, rigore ſuperveniente, fit ſolutio.* Dum vero optimi rigoris videntur eſſe propria, primum, ut corpora a rigore maxime incaleſcant, idque fieri triplicem ob cauſam, ut Gal. *in libr. de trem. palp. rigore cap. ult.* docuit, primo quia calor naturalis ab ambiente repreſſus in altum colligitur, ut particulis conantibus noxios humores expellere, opem ferat, atque deinde, ut *in ſect.* 3. *lib de temp.* docuit, humore intus exſiſtente enutritus & auctus, totus vehementer foras expanditur. Secundo quod calor ob violentam illam ad partes corporis permanſionem, motionemque non parum accendatur, veluti lapides ferrumque ex mutuo contritu atque aſſiduo motu valde incaleſcunt. Demum calor dum ex alto redit, ferventis aliquid humoris ſecum ducit, quo incaleſcit corpus. Quo vero corporis nativus calor fuerit robuſtior, eo corpus a rigore calidius fiet, & quo minus fortis, eo minus eſt calidum. Hinc corpora probe calefieri a rigoribus, bonum eſt, qui naturam firmam ac viri-

Rigorum prædictio. Rigores boni quinam.

Rigoris optimi quanam propria.

bus

bus potentem significet, veluti e contrario, ut paullo post videbimus, quum nihil aut parum incalescunt, ex rigoribus pessime eos se habere naturamque prælanguidam testatur. Quare a rigore corpora maxime calefieri, quocumque fiat modo, optimum erit. Quod in omnibus, a quibus quum optimæ vacuationes, tum purgationes fiunt, observatur. Alterum est optimorum rigorum proprium, quippe quod optima aut evacuatio aut purgatio succedat. Addamus quoque, quæ aut febrem prorsus tollat, aut saltem diminuat. Quales sane in multis ægrotis Hippoc. observavit, quippe in uxore Epicratis, quæ apud Archegetem decumbebat, in Charione, in Lariſſæ Virgine, in sorore apud Timeneum decumbente, Philistide. De Epicratis uxore *in primo Epidem. Ægrot. 5. pag.* 479. ait: *Die decimo quarto superriguit, febris acuta. Quintodecimo vomuit biliosa, flava, sub. crebra, sudavit, libera febre, sub noctem non febris acuta, urina crassa cum candido sedimento.* Et de Charione *in lib. 3. Epidem. Ægr. 5. p. 1072. septimo superriguit, febris acuta, per totum corpus sudavit, judicatus est, & eodem modo postea in recidiva, septimo decimo superriguit, febris acuta, sudavit, febre est decretorie liberatus*: & de Virgine Lariſſæ *Epid. 3. Ægr. 12. pag. 1110. Sexto ex naribus largiter multum fluxit, inhorruit, ac mox sudavit toto corpore multum & calidum, sine febre est judicata. In lib. vero quarto Epidemior. text. 25. pag. 1131.* meminit sororem, quæ erat apud Timeneum cum rigore judicatam: & *in lib. 7. Epid. text. 130. pag. 1239.* Philistidem Eraclidis uxorem eodem modo cum rigore judicatam. Aliquando in sanguinis profluvio rigor est bonus. De quo *in sect. 3. Prorrhet. lib. 1. text. 150. 151.* legitur: *Quibus in principio largum sanguinis profluvium, rigor fluxionem sistet.* Neque immerito aliquando ex *immodica vacuatione* calore toto una cum sanguine intus recurrente. Nihilominus in morbis hujusmodi rigores longitudinem prænuntiant, nam ut Gal. ait *in Comm. Ubi morbum non sedaverit sanguinis eruptio, exceperitque eam rigor, utrumque longum redditur ex eo, quod corpus difficulter calefiat*: Aliquando etiam decretorie per tremores judicium declarant, ut *in Coacis præsagiis 1. lib. Comm. 1. text. 27.* habetur, atque hi boni censentur rigores in morbis. Mali vero e contrario sunt, a quibus primo corpora minime incalescunt aut parum, quod naturam prælanguidam significent, de quibus in *1. Prorrh. text. 65.* scriptum est: *A rigore refrigeratio non recalescens, malum.* Idemque *in secundo libro* habetur, quod, ut Gal. scribit in Commen. caloris exstinctionem significat, quod in muliere in foro mendacium decumbente Hippocr. *lib. 3. Epid. Ægr. 12. pag. 1080.* observavit. Sunt etiam pernicioſi, quos aut nulla sequitur vacuatio bona, aut mala, meritoque dicuntur Critici, sed mali, qui non judicant. De iis Gal. *in sect. 2. Prorrhet.* scribit: *Nam qui universaliter de rigore intellexerunt, perpetuo eos meminisse oportet, quod si vel tertio vel quarto die fuerit, talium febrium peculiare est symptoma. In morbis vero postea apparens, si judicationem non intulerint, deterrimum exsistit.* Deterrimi sunt, qui cum mala aliqua excretione apparent, quod sint ex judicatoriis non judicantibus, qui aut mortalia, ur Gal. affirmavit, aut judicii difficilis esse solent. De qui-

Rigores mali.

Deterrimi.

bus in *ſect.* 1. *Prorr. lib.* 1. *text.* 66. *Si ex perfrictione ſudantes non recalẽſcant, malum; ex his quoque laterum æſtus, cum dolore & rigore ſuperveniens, malum*. Sudores vero malos eſſe quum frigidos omnes, tum maxime partium ſuperiorum, tum copioſos minime febrem tollentes. De his Hippocr. *in primo Epid. Ægr.* 11. *pag.* 987. de uxore Dromedai ſcribens, ait: *Tertio die circa meridiem ſuperriguit. Febris acuta. Urinæ eadem: hypochondrii dolor: faſtidioſa ac nauſeabunda, nox moleſta, non dormivit. Sudavit per totum ſubfrigida*. Et Mulier *lib.* 3. *Epid. Ægr.* 12. *pag.* 1080. quæ in foro mendacium decumbebat, itidem ſæpius ante mortem riguit, & cum ſudore frigido. Copioſus quoque etſi non frigidus, crudo exſiſtente morbo, neque febrem neque ſymptomata tollens, letalis eſt; præcipueque ſi aut die ſexto aut octavo conſpiciatur. Cujuſmodi obſervatus fuit ab Hippocr. in eo, qui incaleſcens cœnavit. De quo *in primo Epid. Ægr.* 12. *pag.* 988. Hippoc. *Octavo riguit, febris acuta, ſudavit multum, febre carere viſus eſt, non multum dormivit, a ſomno frixit. Qui die undecimo obiit: Et in Coac. præſag. text.* 10. legitur: *Qui ſubinde exſudant & rigent, letale eſt*. Quare rigores omnes mali ſunt, quos aut nulla vacuatio, aut mala ſubſequitur. Qui ad febrem vero ſpectant, deterrimi ſunt, febrem non tollentes, aut non minuentes. Quod apud Hippoc. legitur *in ſect.* 4. *Aphor.* 56. hiſce verbis: *Febricitanti rigor ſuperveniens, febre non deficiente, malum*. Omnium vero maxime ex aliqua copioſa vacuatione ſi id fiat, ut Galen. *in quarto libr. Aphor.* 46. meminit, ita dicens: *Nam ſi aliqua evacuatio rigorem ſubſequatur, quæ nullam febris facit intermiſſionem, propter utrumque diſſolvi hominem veriſimile eſt, & quia vis imbecilla ferre non poteſt rigoris agitationem, & quia ab evacuatione diſſolvitur*. Quod ſi vires prælanguidæ fuerint ex morbo, hujuſmodi rigorem letalem eſſe, Hippoc. *in eo lib.* 4. *Aphor. Aph.* 46. ita ſcripſit: *Si rigor incidat febre non deficiente, ægro jam debili, letalo eſt*. Omnes enim rigores quicumque fuerint prælanguentibus viribus, ſunt perniciales, quoniam exſtinctionem nativi caloris nobis indicant. Cujuſmodi intellexit auctor Prorrhet. *in* 1. *Prorrh. text.* 65. quum dixit: *Refrigeratio cum rigore non recaleſcens, malum*. Et *in ſect.* 2. *lib.* 1. *Epid. pag.* 954. *inter D. & E. poſt oculorum perverſionem in febre laborioſa rigor ſuperveniens mortem fatetur*. Forte & de his Hippoc. quum *in lib.* 7. *Aph.* 7. ait: *Ex multa potatione rigor & deſipientia, malum*. Rigent enim, auctore Galeno, ubi calor multitudine exſtinguitur. Cognoſcuntur etiam rigores deterrimi, qui ſunt ex aliis malis ſignis vel ante ipſos, aut una cum ipſis apparentibus, aut quæ poſtea apparent. Cum malis enim in febribus continuis perpetuo timendi ſunt. De quibus Hippoc. *lib.* 1. *Epidem. ſect.* 2. *pag.* 954. *inter D. & E.* ſcribit: *At, quum febres ardentes inciperent, annuntiabant, quibus exitium impenderet: ſiquidem ſtatim ab initio febris acuta eos corripiebat, a qua ſuperrigebant, inſomnes erant, graviter angebantur, ſitibundi, faſtidioſi*. In phreniticis, in quibus albæ urinæ aut fæces apparent rigores ſunt pernicioſi, ut *in ſect.* 1. *Pror. lib.* 1. *text.* 13. ſcriptum eſt. Scribitur etiam *lib.* 1. *Pror. text.* 64. *cum rigore non agnoſcere familiares, ſeu ignorantiam, malum eſſe: itemque & oblivionem*. Gal. *in Com.* ex inſigni refri-

Cum viribus prælanguentibus letales.

Rigores deterrimi unde cognoſcuntur.

refrigeratione & victum esse calorem judicandum : & postea scribatur *lib. 1. Prorrhet. 67. Æstuosi rigores quadamtenus pernicioſi, flammans quoque cum ſudore facies in his, mala.* Et postea *ibid. 89.* etiam de hujusmodi rigoribus scribit : *In oculorum perverſione cum febre & laſſitudine rigor perniciosus. Comatoſi in his male habent.* Et *in primo Coacorum præſagiorum text. 7. Rigores, quibus multa in ſomnum inclinatio inventa eſt, utcumque letales, quod ſi cum iis facies flammæ in modum exardeſcit cum ſudore, malignum eſt.* Et postea *text. 14. malignos eſſe rigores* scribit, *torporem inferentes.* Quod exstinctionem caloris denotent. Et postea *text. 22. E rigore cum capitis dolore exſolutiones, letales ſunt.* Quod significent cerebrum insigni phlegmone teneri. Quare ex aliis symptomatibus malis augetur malorum rigorum judicium. Quemadmodum quoque intellexit auctor *Coacorum præſagiorum, text. 20.* quum ait: *Quibus rigor in noctem incidit, tumque afflictantur magis & ſine ſomno agunt, multum exæſtuant.* Aut quod *in lib. 1. Pror. 101.* sic clarius legitur: *Supervenientes rigores & nocte magis quodammodo exacerbantes cum vigiliis & venarum agitationibus in ſomnis, atque urinæ præter arbitrium excernentes, in comatoſas aliquando finiunt convulſiones.* Sed dicamus nos letales esse hujusmodi rigores cum eis malis signis conspectis. Quare in acuta febre rigores cum signis malis, judicium exitii augent. Sunt etiam pravi ex *Coacis præſagiis text. 9. 10.* rigores continui, aut frequentes: qui aut interni visceris suppurationem indicant, aut frustra tentatam Crisin, aut denique nativum calorem exstingui. Cujusmodi fuere in muliere in foro mendacium decumbente, cujus historia illustre satis nobis erit exemplum ad illustranda ea, quæ de exitialibus rigoribus hactenus diximus. Quum hæc sæpe in eo morbo riguerit, atque semper cum signis pernicioſis. Quam quidem Hippoc. *in libro tertio Epidemiorum pag. 1080. Ægr. 12.* hisce verbis est complexus: *Mulierem, quæ decumbebat in mendacium foro, primum enixam cum dolore maſculum, corripuit febris. Initio ſtatim ſitibunda cor illi dolebat, faſtidioſa, lingua arida, venter turbatus tenuibus pauciſque, non dormivit. Altero die aliquantulum riguit, febris acuta, modicus ſecundum caput & frigidus ſudor. Tertio cum dolore dejecit alvus cruda, multa, tenuia. Quarto ſubriguit, omnia irrita ſunt in ſomnis. Quintum diem laborioſe tranſegit. Sexto eadem erant, alvus reddidit humida, copioſa. Septimo ſuperriguit, febris acuta, ſitis ingens, ſe jactavit, ſub veſperum per totum corpus ſudavit frigidum : frigus partium extremarum, nec redibat illis calor. Iterumque nocte ſuperriguit, extremitates calorem non recipiebant, non dormivit, nonnihil deliravit, ſtatimque ad mentem rediit. Octavo circa meridiem rediit calor, ſitibunda, comatoſa, faſtidioſa: Vomuit bilioſa, pauca, ſubflava. Nocte graviter ſe habuit, nihil quievit, multum affatim minxit inſcia. Nono omnia fuerunt remiſſa. Sub veſperam comatoſa, aliquantulum ſuperriguit, vomuit amara, bilioſa. Decimo rigor, febris exacerbata eſt, nihil dormivit : Mane multam, in qua nihil ſubſideret, reddidit urinam, extremæ partes receperunt calorem. Undecimo virulenta bilioſa vomuit, non multo poſt riguit, rurſuſque extremæ partes frigeſcebant. Sub veſperam rigor, ſudor frigidus, multum vomuit, nox gravis*

Rigores exitiales.

fuit. Duodecimo vomuit multa, nigra, fœtida: ſingultus multus, ſitis laborioſa. Tertiodecimo nigra virulenta vomuit, rigor: Circa meridiem muta. Quartodecimo die ſanguis de naribus. Defuncta eſt. Huic perpetuo venter erat lubricus, horrebat. Sed tempus eſt, ut quædam etiam de prædictione ab horroribus ſubjiciamus.

CAP. XI.

De horroribus, & ipſorum prædictione.

Horror quid. HOrrorem affectum eſſe pravorum humorum per cutim diſcurrentium. Gal. *in* 1. *lib. de humoribus text.* 17. docuit: *Hic vero affectus motus inæqualis, ſive concuſſio totius cutis eſt, veluti rigor totius corporis. Ab horroreque ex hoc diſtinguitur, atque etiam quia horror eſt motus parvus, vehemenſque, ac magnus rigor.* Ex quo merito horrorem parvum rigorem plures fecere: Gal. *in lib.* 2. *de differ. feb.* dixit medium eſſe inter rigorem *Unde* & frigefactionem. Fiunt horrores ab omnibus cauſis rigorum, quippe obſervamus in balneis horrores quum a calido tum a frigido, ab humoribuſque commordentibus ad cutim motis. Ex Gal. *in* 7. *Aphor.* Omnes enim mali ſucci plenos, quum vehementer calefiunt, horrore vexari Gal. *in* 6. *Epidem. comment.* 3. *text.* 67. tradidit. Calefiunt enim quum in febribus ex febrili quidem calore, tum in phlegmone. Hinc ex interna phlegmone vel etiam hos concitari *in lib.* 2. *Prorrheticor. lib.* 1. 75. ſcribit, præſertim ii, qui celeriter tranſmutantur, uti ægri etiam implacidi ſint: ſed nedum a febribus, ſed quovis modo humores commotos horrores concitare; Galen. *in ſect.* 2. *de cauſ. ſympt. cap.* 5. ita ſcripſit: *Ac mihi quidem ſic videtur. Eumdemque hominem ſicuti quieſcentem quidem ſolam inæqualitatem ſentire, ita motum horrore & exercitatum rigore concutiente urgeri.* Et paullo poſt: *Jam aliquos, qui cruditate laborarunt, ſcimus, quum quieviſſent, nullo affectos dolore: Quum balneum fuiſſent ingreſſi, aut in ſole ſtetiſſent, excrementa, quæ prius quieverunt, calefaciendo, attenuando, ac in ſpiritum vertendo, ad motum excitant, quemadmodum ex animi affectibus ira.* Ubi vero excrementa, ut pituitoſa aut bilioſa acria ſint, cujuſmodi ex præexcellenti putredine fieri ſolent, ad cutim mota atque diſcurrentia horrorum ægrotis ſunt in cauſa. *Horrorum prognoſticum.* Sed his præmiſſis ad Prognoſticum. Horrores primo ſtatuamus numquam bonos, continuis febribus ſuccedentes, iis exceptis, a quibus continuæ febres intermittere cœperunt, boni enim hi ſunt, veluti ſi etiam in ardentibus febribus, qua hora fiebat exacerbatio, frigus, horror aut rigor appareant, indicio enim ſunt, naturam prævalidam eſſe, pravoſque humores expellere a venis foras. *Horrores boni.* Optimi quoque ſunt judicatorii boni, qui concocto quadamtenus morbo apparent, ubi bona quæpiam vacuatio aut purgatio ſucceſſerit. *Optimi.* Quod in Lariſſæ virgine Hippocrates vidit, de qua *in libro tertio Epidemiorum, pagina* 1110. *Ægrot.* 12. ita ſcripſit: *Sexto die ex naribus multum fluxit, inhorruit & mox ſudavit in*

toto

tio corpore multum, & calidum, ſine febre eſt judicata. Apparentibus itaque coctionis ſignis, ſimulque & aliis judicatoriis ſignis; ſi horreant ægri, bonum; Criticas enim vacuationes atque purgationes præcedere ſolent; De quibus *in ſect. 1. coac. præſ. com. text. 19. Inhorreſcentes, anxii, laſſitudine preſſi, lumbis dolentes, in profluvium alvi incidunt.* Non particulatim, ut nos putamus, ſanguinis eruptionem denotant, ſed generatim criticam perturbationem, veluti & auctor Prorrheticorum *lib. 1. 149.* ait: *Qui ab horrore ſimul critice ſudarunt, poſtridie vero ubi inhorruerunt, præter rationem vigilent, eos ſanguinis eruptionem incurſuros, puto.* Quod quicquam certi non habere Gal. *in comm.* affirmavit. Quare boni tantum horrores ſunt, a quibus continuæ febres intermittere incipiunt, atque judicatorii boni. Mali vero ſunt primo, qui purulentos ac tabidos explicant, judicatorii mali, atque ubi in principio peſtiferorum morborum fiunt. Qui quum propter maximam humorum pravitatem, atque ob naturæ infirmitatem fiunt, tentantem movere humores, at nequeuntem. Quod clarius explicare videntur, ubi ab horroribus parum incaluerint. De quibus Hippoc. *in 3. lib. Epidem. com. 3. pag. 1089. G.* ſcribit: plures eorum, qui febribus peſtilentibus laborarunt, horruiſſe: ait enim: *Horrebant, & ſub mortem delirabant.* Quod in Critone, qui tertio die ex tumore peſtilenti interiit, obſervatum eſt, de quo Hippoc. *in 1. epid. 3. pag. 984. Ægr. 9. text. 26.* ait: *Decubuit eodem die horreſcens, faſtidioſus, parum calens*: Eodem quoque modo ſcripſit *in lib. 7. Epid. pag. 1222. text. 52.* Ariſtocratem, qui die tertio ex carbunculo peſtilenti eſt defunctus, principio horruiſſe. Ex judicatoriis malis, qui ex Gal. aut difficilis ſunt judicii aut letales. Cujuſmodi eſt ut *in ſect. 7. Aphor. 4.* Hippoc. ait: *a ſudore horror, non bonum*: Et auctor Prorrh. *lib. 1. 83. Ex lumborum dolore ad os ventriculi recurſiones febriles cum horrore, aquoſa tenuia & multa removentes, mente aberrantes, voce privata, nigra vomentes, moriuntur.* Et *in ſect. 1. coac. præſ. com. 1. text. 8. Qui frequentibus e dorſo levibuſque horroribus deſudant, difficili morbo laborant.* Ex quibus colligitur horrores, qui vomitus malos & exitioſos ſequuntur, eſſe judicatorios malos, qui ut dictum eſt a Gal. *in 7. Aphor. 4.* aut ſunt difficilis judicii, ſcilicet ubi non adſunt ſigna letalia; aut letales, ubi unum aliquod letale illuxerit ſignum, ut in ea adducta oratione apparet, in qua delirium, vocis defectio, & nigra excrementa vomitu excreta. In *Coacis vero præſagiis*, loco modo allegato difficiles eſſe illos horrores, qui ſæpius fiunt, ideſt, crebros ſeu frequentes, quique etiam celeriter permutantur. Quod *in Prorr. lib. 1. 75.* ita expreſſum eſt: *Ex dorſo frequentes horrores, celeriter in aliam tranſeuntes conditionem, implacidique urinæ interceptionem cum dolore indicant.* Quod recte magis *in Coaco* nuper citato præſagio declaratur, quum legatur ibi: *difficiles ſunt; etenim urinæ ſuppreſſionem & laborioſum morbum ſignificant, atque iis tenuis ſudor obortus, peſſimus.* Sed de letalibus hiſce horroribus Hippoc. *in 3. lib. Epidem. comm. 3. pag. 1089. B.* ita ſcribit: *Omnes hæ cum multa turbatione erant conjunctæ. Ventres enim pleriſque turbati, horrores, ſudores non decretorii, cum urinis multis ſupra potum, nullam concoctionem*

Mali.

Letales.

& craſſitudinem habentibus. Quales Hippocrat. *lib. 3. Epidem. pag.* 1096. *Æg.* 2. vidit in muliere apud frigidam aquam in Thaſo decumbente; atque tales ſunt horrores decretorii mali, qui cum ſignis letalibus perpetuo exitium portendunt. Demum ſunt horrores quoque mali, qui nedum febre non tolluntur, ſed cum peſſimis apparent vacuationibus, de quibus *in 1. Coac. præſ. comm. 1. text.* 36. ſcribitur: *Laſſitudine fracti cum horrore, quum exſudaverint judicii modo & recalnerint celeriter, malum, tum alias tum ſi eo tempore ſanguis e naribus ſtillaverit, tabiſque indicia*: Quos in maxima & graviſſima illa tabe, quæ plurimos peremit, crebros apparuiſſe. Hippoc. *in 3. Epid. com. 3. pag.* 1089. *C. D.* ſcripſit, de quibus ait: *Horrebant & ſub mortem delirabant*. Sed non ſatis ſunt crebri horrores ad ſuppurationem & tabem exinde denotandam, ſed alia quoque ſigna deſiderantur, nimirum anhelitus difficultas, febris aſſidua, quæ noctu augetur, cum ſudoribus & tuſſiendi cupiditate, dolore, atque aliis ſignis, quibus Hippoc. *in 2. lib. Prognoſt. pag. 42. lin. 25. & ſeq.* purulentos cognoſci docuit. Sed tamen in febre continua aut cum phlegmone interno, vel materia in pulmonibus putreſcente, perpetuo indicabunt ſuppurationem ſeu purulentiam horrores multi, frequentes, inordinati cum dolore & reſpiratione difficili. Quod *in Coacis præſagiis text.* 17. ſcriptum videtur, quum legatur: *Frequens horror & difficultas ſpiritus in doloribus, tabis indicia ſunt*, quatenus indicant pus, & ab eo tabem futuram. In ſputis enim ſanguinis malignis, aut ubi humores in pulmonibus, aut inflammatio in ſuppurationem vertitur, horrores inordinati, & tuſſes ſunt. Qui membranis pulmonum aut thoracis a putri humore acri reddito commotis fiunt.

Quando ſuppurationem & tabem denotant.

CAP. XII.

De prædictione a torporibus ac paraplegiis.

PEr torporem affectum quidem alias intelligendum diximus facultatis animalis cum ſenſus motuſque difficultate, & aliquando quemdam obtuſum ſenſum & motum partis alicujus. Hujus cauſa eſt, ut docuit Gal. *in 1. de cauſ. ſymptom. cap.* 5. obſtructio, ſeu incraſſatio, ſeu obſcuratio nervorum, quibus cauſis ſpiritus impeditur, perinde enim nervi a frigidis craſſiſque humoribus ſolent obſcurari, ut luto aqua & nubibus aer obſcuratur; aut qualitas frigida aut exterior aut interior. In febribus vero has quoque habet cauſas, a quibus torpeſcere partes ſolent, quippe phlegmonem, ſcirrhum, luxatas intro vertebras, quibus nervi compreſſi obſtruuntur, ſeu anguſtiores ad meatus redduntur. Illius vero, quippe animalis facultatis affectus cum motus & ſenſus difficultate, cauſæ exſiſtunt cerebri refrigeratio tum poſitiva, ut ajunt, tum per exſtinctionem caloris nativi. Sed torporum cauſis perſpectis, quid in morbis portendant, videamus, quando in ſanis apoplexiam prænuntient: de quibus *in Coacis præſagiis text.* 476. ita ſcriptum eſt: *Torpores & ſenſus privationes præter conſuetudinem ortæ futuras apoplexias denuntiant*. Et paullo poſt *text.* 478. ait:

Torpor quid. Unde.

In morbis quid portendit?

Apo-

Apoplecticis perfrictiones & torpores, pravum indicare. Ceterum in febribus continuis perpetuo torporem malum, omniumque maxime mentis, quem ignaviam appellant. Hi enim in acuta quidem febre plane ſunt perniciales, quum ex cerebri refrigeratione, aut caloris nativi exſtinctione proveniant, utrumque enim perniciale eſt. A rigoribus torpores malignos dici voluit auctor *Coac. præſag. lib. 1. text.* 14. quum dixerit: *Rigores multi torporem inducentes, maligni*. Item *in Coac. præſag.* 91. torpores animi ſeu ignaviam in phreniticis eſſe exitialem prodidit; neque immerito, quum aut refrigerato cerebro in phrenitide, quod perniciosiſſimum eſſe ſignum alias oſtendimus, aut exſtinctione caloris nativi fiat. Eodem modo in *lib. 1. text.* 208. & 334. damnat torporem cum ſurditate, a qua prodeant ſtillæ ſanguinis e naribus. Quod nos nedum difficile quippiam, ſed prorſus exitioſum affirmamus. Nec minus in aliqua phlegmone interna, ignavia mentis pernicioſa eſſe videtur, quæ tantum a flammeo calore, diſcuſſo nativo calore, fiat. De qua forte etiam *in lib. 3. Coac. præſag.* 315. ait: *Dolor in pectus firmatus cum torpore, malus in febre*. Ex inflammatione etiam interna, neque reſoluta, neque ſuppurata, neque per exſpuitionem ſolum, pernicioſum eſt, torpentes ægros videre. De qua forte *in lib. 7. Coac. præſag.* 374. ita ſcriptum eſt: *Ex angina citra judicium hypochondrii dolor, cum impotentia & torpore, inſidioſe occidit, etiamſi valde modeſte habere videantur*. Quare mentis ignavia ſeu animæ torpor in acutis morbis perpetuo letalis erit. Alicujus vero partis corporis ſenſum, & motum obtuſum reddi, qui affectus torpor eſt partis cujuſpiam corporis, numquam bonum, niſi critice aliquando appareat, morboque concocto. Non enim impoſſibile eſt, critice humorem a venis ad nervos tranſmiſſum, torporem iis partibus inducere, quæ hiſce nervis utuntur, veluti & tremorem aliquando videri criticum ſuperius fuit demonſtratum. Sed hoc raro contingit, & ex ſignis criticis facile cognoſcitur. Eodem modo paralyſin, ſeu paraplexiam, ſeu particularem apoplexiam judicabimus, quas in morbis quandoque utiliter concitari, humore a venis protruſo, aut ad ſpinalem medullam, aut ad partium particularium nervos, quibus obſtructis paralyſis fit; ſed ubi cerebri vitio fit in acutis morbis, id plane eſt pernicioſum, propterea in vulneribus nuper illatis, ubi partes aliquæ reſolvuntur, haud procul abeſſe exitium prædicant. Minus periculoſum poſt apoplexiam aliquas partes motu privari, quas proprie Hippoc. paraplexias vocare ſolet. Fit vero aliquando, ut materia paraplexias faciens, prout ab una ruit ad aliam partem, eas reſolvat paraplectico modo, & has mutet in convulſiones. Quas mutationes auctor Prorrheticorum *lib. 1. Prorrhet.* 118. vidiſſe his verbis, meminit: *Quæ ex lumbis ad collum, caputque redundant, reſolvuntque paraplectico modo, convulſiva & mentis vacillationem patientia, an & talia convulſione ſolvantur? Ex his varie ægrotant per ea profecti*. Hocque ex vario humorum motu fieri affirmandum eſt. Quod & Gal. fatetur ſe vidiſſe hiſce verbis: *Nempe & ſemel ego ita affectum quemdam, permutationemque varie ſeſe mutuo excipientium ſymptomatum habentem vidi. Fiebant autem & illi hæc prægreſſis lumborum, colliique, & capitis doloribus, manus*

Mentis torpor quando omnium maxime malus.

Torpor alicujus partis corporis numquam bonus.

Paraplexia quid.

nus tota ab his ægre tum ſentiebatur, tum movebatur, ſicuti & in dictione dictum eſt paraplectico modo, quum non eſſet exacta paraplegia, mox ſuperveniens convulſio ſenſiliorem eam, atque ad motiones expeditiorem fecit, placata autem convulſione ſenſim rurſum deterior reddebatur. Deinde rurſus tum lumborum, tum colli, tum capitis dolore correptus, univerſam ſubitamque habebat paraplegiæ in manu adductionem, atque rurſus poſtea non parum convellebatur. Quæ etſi veriſſima ſint, tamen quicquam certi non docent, neque enim convulſio paralyſi ſuperveniens affectum ſolvit, neque contra. Quocumque modo ægroti ex acutis febribus paraplectici evadunt, perpetuo malum. Omnium vero maxime apoplexia, & in ægrotis & in ſanis timenda erit, de qua Hippoc. *in 6. Aphor.* 51. ait: *Quicumque ſani dolore capitis repente capiuntur, & ſtatim muti fiunt, & ſtertunt, in ſeptem diebus pereunt, niſi febris eos apprehenderit.* Sed de his affectibus, quum poſterius ſeorſum acturi fuſius ſimus, ſermonem hunc claudemus, & quoniam linguæ reſolutio ſeu defectio ſolet eſſe magni momenti ad venandum prognoſticum in acutis morbis, propterea de hoc ſymptomate ſigillatim quoque agendum duximus.

CAP. XIII.

De prædictione ex aphonia, ideſt, vocis interceptione, nec non ex aliis vocis differentiis.

Lingua reſolutio.

QUum ex omnibus partibus corporis reſolutis ac torpeſcentibus, linguæ reſolutio, quam teſte Gal. *in* 1. *Pror. text.* 23. Græci aphoniam appellant, non parvi ſit momenti ad aſſequendam in morbis prædictionem, ideo de ipſa in præſentia agendum quoque duximus. Ceterum, quia aphonia vocis privationem ſeu interceptionem denotat, veluti vox tremula, clangoſa, acuta, querula ſeu plorabunda ejus vitium, idcirco, clarioris hujus ſymptomatis notitiæ cauſa, de voce pauca præmittemus: Hæc enim aut prorſus tollitur, aut minuitur, aut vitiatur. Vitiatam vocem dicimus raucam, clangoſam, acutam, ſtridulam, intrerruptam, quam plorabundam vocant, querulam, lugubrem, tremulam, quæ omnes ſunt vitiatæ vocis differentiæ, veluti obſcura, balba ſeu balbutiens, tarda, imminutæ ſunt ſymptomata. Prorſus vero ubi ægri loqui non poſſunt, ſilentium, ſed proprie magis linguæ privationem, interceptionemque dicimus. Silentii vero nomine nedum ſublatam vocem, atque ægros voce defectos, ſeu mutos, intelligimus, ſed eos quoque, qui cum nullo vocis vitio teneantur, loqui tamen non volunt. Proinde ſilentium ac taciturnitas, quod quum affectum melancholicum declaret, merito in *prorrheticis lib.* 1. 54. inſaniæ ſignum in multiloquis habetur, mutos vero ac voce defectos dicimus, qui loqui non poſſuut. Rauca vox & balbutiens, acuta, tarda, tremula, nulli eſt non cognita. Non uſque adeo nobis notum, eſt quæ clangoſa, ſtridula, interrupta, ſeu effracta, plorabunda, querula, lugubrisque dicatur. Clangoſa enim ſtridula, querula, plorabunda, ejuſdem generis cum acuta eſſe

Vocis vitiatæ quales differentiæ.

viden-

videntur, quando teſte Gal. *in lib. 2. Prorrh. text.* 12. cum ſiccatione vocificorum organorum, meatu anguſtiore affecto, in acutum maxime vox efferatur : nam acuta in morbis fit, maxime organis ſiccatis, aut ſiccatione aſperæ arteriæ communicata, quæ, quum magis acuta fit, clangoſa dicitur, & adhuc magis, querula, plorabunda, ſtridula. Arteria enim humiditate irrigata rauca vox editur, ſiccitate exareſcens, primum quidem clara, deinde acuta redditur, quia in anguſtum coguntur vocalia inſtrumenta, hinc ſi magis adhuc intendatur ſiccitas, κλαγγώδης clangoſa, ac ſtridula exauditur, qualis eſt gruum, aut qualis a gravi tono inchoata in acutam deſinit. Alii interciſam, inæqualem & obſcuram appellant, eique ſimilem faciunt, quam temulenti edunt : Poſtremo aucta adhuc ſiccitate evadit lugubris, aut flebilis, aut querula, ac plorabunda, aut ſuſpirioſa, cujuſmodi flentibus pueris editur, quæ voces fiunt, ut nobis auctor eſt Gal. *in lib. 6. Aphor.* 49. eo modo quo luctuoſæ, interciſæ, atque offenſantes fiunt reſpirationes, quas Hipp. *Aphor. ſect. 6.* 54. luctuoſa ſuſpiria vocat ; quippe aut potentia ipſa fatigata, aut duritie inſtrumentorum, quæ cauſa eſt præcipua, aut ambabus cauſis concurrentibus, aut propter aliquam muſculorum voci ſervientium ſimilem convulſioni diſpoſitionem. Effractas quoque ejuſmodi eſſe voces dicunt, ubi videntur voces in faucibus confractæ eliſo quodammodo ſpiritu. Quomodo & in follibus, qui muſica organa ſpiritu implent, ſi imbecillior is eſt, qui folles movet, ſonus interrumpitur. Ceterum jam ſatis circa haſce vocis differentias. Nunc priusquam ad aphoniam deſcendamus, brevi oratione prognoſticum perſtringamus. Omnes enim eæ voces vitiatæ in continuis acutisque febribus malæ ſunt, omniumque maxime in phreniticis & in febribus ardentibus. In quibus ſummum vitæ diſcrimen minantur, quum maximam ſiccationem vocalium inſtrumentorum ſequantur, & aliquando prælanguidam potentiam, aut diſpoſitionem convulſioni ſimile, quæ quum a ſiccitate fiat, pernicialis erit. Proinde auctor Pror. *libr.* 1. 47. ait : *Vox acuta, elangoſa, mala eſt.* Galenusque *in Comm.* tanto pejorem eſſe clangoſam & plorabundam, quanto majorem indicant ſiccitatis affectionem. Antea de acuta *lib.* 1. 45. dixerat : *Quibus vox acuta eſt, his hypochondria introtracta ſunt.* Galenusque ait, *plerisque, qui in morbis vocem mittunt acutam, ad infernam ſedem trahi hypochondria, ſepti tranſverſi aut propter inflammationem, aut quum propter igneam caliditatem areſcit, aut quum a pleura membrana inflammata, aut ſiccatione indurata trahitur.* Ex quibus colligito in morbis cum voce acuta, ubi intro hypochondria tracta ſunt, eſſe pernicioſum, quod ſi cum letali aliquo alio ſigno fuerit, periculi judicium quoque una augeri neceſſe eſt. Utpote legitur *in libr.* 1. *Prorrhet. text.* 17. *Ex vomitu gravi, faſtidioſoque, vox clangoſa, oculique concretum pulviſculoſum habentes, inſaniam oſtendunt, ut Hermozygæ uxori, quæ vehementer furens muta obiit.* Neque mirum, ut poſterius declarabitur, ab acuta clangoſaque voce, poſtea morbo in pejus abeunte, mutos fieri, quippe aut a ſiccitate induratis, convulſisve vocalibus muſculis. Meritoque hinc Auctor *Coac. præſag. text.* 257. ſcripſit : *Acuta vox & lugubris, & oculorum obſcuratio, convulſiones accerſunt.* Quod indicent hæ vo-

Voces vitiatæ quid in malis præſagiunt.

ces

ces maximam ſiccationem, a qua convelluntur partes nervoſæ. Clangoſam vero vocem, cum linguæ convulſione, vehementi inſania, cum tremore, & duritie, prorſus eſſe pernicialem *in libr. 3. Coac. præſagiorum text. 99. & lib. 1. Prorrhet.* 19. memoriæ proditum eſt. De tremula vero voce *in lib. 2. Coac. præſ. ſect. 2. text. 31. Coac. præſ.* 258. ſcribit: *Cum voce tremula alvi præter rationem ſolutio in iis longiore tempore corpus male habentibus, letale.* Sed jam ſatis de prædictione ex voce vitiata ac imminuta. Nunc de iis ſcribamus, qui prorſus voce deficiunt; Græci *aphoniam*, & noſtri vocis privationem, ſeu interceptionem appellant. Gal. *in primo Prorrhet. text.* 23. *& in* 24. ſcribit: vocis privationes fieri, & propter voci aſſervientium inſtrumentorum læſionem, & propter principium nervorum affectum. Principium nervorum cerebrum eſt, atque principium ſpinalis medullæ. Quo affecto muteſcere ægrotos cognoſcimus, vel ex eo, quod cum voce aliæ ſimul functiones lædantur, quippe ſenſus, motuſque; idque fit cerebro oppreſſo, ut in apoplexia & in comitiali morbo; aut quia venæ craſſo ſanguine intercipiuntur, ac organa valde reſiccata ſunt, aut ipſo cerebro reſoluto. Voci partes ſervientes, quarum læſione vox læditur, atque intercipitur, eſt larynx, ejus muſculi, atque thoracis, nec non pulmones nervi recurrentes. Quibus convulſorio modo læſis, vox intercipitur aut læditur, manentibus aliis functionibus integris. Addunt alii vitalis ſpiritus reſolutionem, ut in iis, qui nimio gaudio afficiuntur, qui reſoluto calore loqui non poſſunt, aut ſuffocatione, ut in hyſtericis affectibus, aut contractione, ut in metu, ex quo multi tremuli & aphoni evadunt, aut demum ipſius refrigeratione, aut exſtinctione, eodem itidem modo & animalibus ſpiritibus ita affectis. Quibus quidem ita præmiſſis reliquum eſt, ut quid particulatim aphonia in morbis portendat, explicemus. An vero aphonia quicquam boni aliquando ſignificet? non per ſe, quum omnis aphonia mala ſit, ſed aliquando quidem ſalutem prænuntiat. Critica quæ eſt, a qua optima vacuatio fit, qualem meminit Hippoc. *in lib. 7. Epidem. text.* 26. in Theoclis cognata, in qua ſudor non multo poſt judicatorius erupit. Auctor vero Coac. præſag. in *lib. 1. Coac. præſ. text.* 27. ſcribit, quandoque tremores ſolvere aphonias ex rigore concitatas. Quæ etiam brevi tolluntur, non ita malæ cenſeri debent, neque eæ, quas ſequantur urinæ copioſæ. De quibus, *in quarto libro Coac. præſag. ſec. 2. text. 35. Coac. præſag. 359.* ſcriptum eſt: *In convulſionibus aphonia diutius durans, malum: quæ durant brevius, vel linguæ reſolutionem vel brachii, & partium dexterarum ſignificat. Solvitur autem derepente prodeuntibus urinis multis affatim.* In iis etiam, qui ſuffocantur, aphonia, a qua poſtea recte loquantur, non letalis eſſe ſolet. De qua Hippocrat. *in quinto Aphoriſm.* 5. ait: *Si ebrius quispiam repente obmutuerit, convulſus moritur, niſi eum febris corripiat, aut ad eam horam veniens, qua ſolent ſolvi crapulæ, loquatur.* Quæ etiam in principiis fiunt morborum, tametſi numquam bonæ, tamen aliquando ſolam multitudinem humorum teſtantur. Cujuſmodi in muliere, quæ trimeſtri fetu gravida in litore habitabat, conſpecta eſt *Lib. 1. Epidem. p. 990. Ægr.* 15. Nonnumquam ſolent aphoni reddi ægroti ventriculo ab aliquo humore læſo, quo

Aphoniæ cauſæ.

Aphonia quid in morbis portendit.

Aphoniæ quædam non ita malæ.

aut

aut ſponte, aut arte vomitu rejecto, liberantur, de qua Hippoc. *in lib. 5. Epidem. p.* 1152. *Text.* 40. ſcribit: *Hermophili filius ægrotavit undecim dies, febris autem tenebat ipſum, & non deſcendebant cibi, & primum quidem deliravit, nocte vero ceſſavit, ſequenti die ſine voce, jacebat ſtertens, diſtortos habens oculos, febricitans. Penna vero immiſſa vomuit bilem atram, & clyſtere immiſſo, ſtercus multum ſubiit.* Quomodo etiam plures a vermibus aphonias obſervavi ſine periculo. Non perpetuo etiam ex vulneribus aphoniæ ſunt perniciales, æque præſertim, quæ parum durant, & a quibus vox probe reſtituitur ægrotis, qualem vidit Hippocrat. (*ut in lib. quinto Epidemior. p.* 1155. *text.* 55. legitur,) in puella, quæ a rupe ceciderat, voce ſtatim privata. Indicat tamen [illegible]ſum cerebrum cum vomitu & ſanguinis fluxu. Non tamen ita affectis perpetuo aphoniæ malæ exſiſtunt, ut auctor *Coacorum præſagiorum* docet *Coac. præſ.* 77. *in lib. primo ſec.* 2. *tom.* 27. 28. *&* 29. Peſſimæ vero ſunt, quæ ſunt ex judicatoriis non judicantibus, pernicialiſſimæ, quæ cum letalibus ſignis apparent, juxta illam univerſalem Epidem. Lib. 2. *p.* 999. *lin.* 1. propoſitionem, *quod judicatoriorum non judicantium quædam letalia, & quædam difficilis judicii.* Quare aphoniæ judicatoriæ non judicantes peſſimæ ſunt de quibus *in ſeptimo Coac. præſag. text.* 51. *Coac. præſ.* 247. *Quibus vox in febre intercepta ſine judicatione, cum tremore moriuntur. Ibid.* 255. *Subinde rigentibus mutitates letales ſunt, iis vero moderatus capitis dolor eſt*: & in ſequenti textu: *Mutitates in febre acuta cum exſolutione non ſudanti quidem letales, minus autem exſudanti, diuturnitatem ſignificant*: & in *lib. Prorrhet.* 83. *Ex lumborum dolore ad cor recurſiones febriles cum horrore, aquoſa tenuia, multa revomentes, mente aberrantes, voce privatæ, nigra vomentes, moriuntur*: hæc eſt aphonia ex non judicatoriis letalibus, quod vomitiones nigræ & deliria exitium portendentia, ſimul illuxerint, & poſtea *lib.* 1. *Prorrh.* 90. *In febribus ad hypochondrium dolores ſine voce, ſudore ſi* (*Addunt alii* non, *ut ſit*, ſi ſudore non ſolvantur) *ſolvantur, maligni, his ad coxas dolores cum ardente febre, & ſi alvus eruperit, pernicioſum*: & poſtea *text.* 91. *Quibus voces cum febre deficiunt, poſt judicationem, hi tremente et comatoſi pereunt*: & Gal. *in Comm.* clarius ait: *Quibus apparente ſolum febre aphonia fit, et poſt judicationem, hi tremente et comatoſi pereunt.* Febribus ſcilicet, non ſine ſignis, ſed cum mala judicatione, viſis: & *in libr.* 3. *Prorrheticorum* ex Galeno: (*Textum Hippocratis reperies lib.* 1. *Prorrhet.* 94.) *Si ex capitis dolore aphonia fiat, febriente ægro cum ſudore abſque arbitrio ſuperflua excernantur, & ſi repetitio quædam ſymptomatum pari modo fiat, in longius excidunt ejusmodi morbi tempus.* Cum ſignis pernicioſis prorſus letales. Qualia ſunt ſudores capitis in febri vehementi, ſudores frigidi, extrema livida, quum intus urunt, vehementia deliria, comata, catochi, convulſiones, tremores, difficilis ſpiritus, frigidus, ſublimis & alia hujuſmodi multa. De quibus Hippoc. *in Philiſci hiſtoria lib.* 1. *Epid. pag.* 966. *Ægr.* 1. ait: *Extremitates undequaque frigebant, nec jam ad calorem illæ amplius redibant, minxit nigra, aliquantum dormivit. Sub diem obmutuit, frigida ſudavit. Extremæ partes liveſcebant.* Cum vehe-

Quanam peſſimæ.

menti

menti delirio, aut in delirium vehemens desinentes, aut a vehementi desirio, aphoniæ sunt letales. De quibus *in 2. lib. Prorrheticorum* (*Verba Hippocratis lege lib. 1. Prorrhet. 94.*) ex Galeno legitur: *Si in febre aphoniæ, quæ convulsivo modo fiunt, desinunt in eam, quæ cum silentio fit, ecstasin, perniciosum.* Auctor vero *Coacorum præsag. text. 254. in 2. Coac. præs. sec. 2. text. 37.* insanias vehementes, cum vocis interceptione, letales esse scribit. Cujusmodi fuere, quæ in phrenitico Hippoc. *Epid. lib. 3. pag. 1100. Ægr. 4.* observavit, atque in Hippia sorore phrenitica ante mortem, ut *in Epidemiis lib. 7. pag. 1225. num. 62.* legitur. Quem affectum, scilicet aphoniam cum vehementi delirio conjunctam, & ab exsoluta facultate animali provenire mortuis aut languentibus instrumentis, quæ vocem edunt, affirmamus veluti in phrenitide, tremore, palpitatione spectatur. De quibus auctor *Prorrheticor. in primo libr. text. 24.* ait: *Quæ cum exsolutione fiunt aphoniæ, pessimæ.* Sed hic videtur de vitalis facultatis resolutione loqui. Sunt non minus letales, quæ una cum spiritu sublimi phænomeno quoque; ideſt, apparente, de quo Galen. in *primo Prorrheticor.* (*Huc pertinet lib. 1. Prorrhet. text. 25.*) dixit: Videntur autem omnes, qui talem inspirant inspirationem, scapulas movere totas, ita, ut per vestimenta motio conspicue appareat, tamquam valide ipsi superioribus thoracis partibus operentur. De quo etiam Auctor *Coac. præsag. text. 252. in lib. 2. sec. 2. text. 25.* scripsit: *In vocis interceptione spiritus veluti iis, qui suffocantur, commotis sursum scapulis redditus, malus.* Qui ita respirant, sublimes thoracis partes ad omoplotas usque movere videntur. Nam quum inspirando diaphragma satis esse non potest, thoracis musculi superiores, qui e collo in thoracem protenduntur, una adjuvant. Etiam cum brevi spiritu vocis interceptio est letalis, cujusmodi fuit, quæ altera die in Pythione visa est *Epidem. lib. 3. p. 1098. Ægr. 3.* Ex convulsionibus etiam, quæ resiccatis nervis fiunt, aphoniæ letales sunt. In quo sensu Auctor Prorrhetic. *lib. primo text. 23.* habet: *aphonias cum singultu esse pessimas.* Quæ etiam ex humorum multitudine fiunt convulsiones, si aphoni fiant anginosi, letalissimum est. Cujusmodi fuisse anginosam, de qua Hippocrat. *in quinto Epidem. text. 104. p. 1162.* scriptum reliquit: *Quarta die convulsa, sine voce, stertor, dentium contritio, maxillarum rubor, mortua est quinta die.* Ceterum aphoniæ, quæ una convulsis partibus ex copia humorum fiunt, perpetuo letales non sunt, veluti & tremores, convulsiones, & alia hujusmodi symptomata, a copia humorum in morborum principiis facta: Cujusmodi fuere observata ab Hippocrat. *lib. 1. Epidem. pag. 990. Ægr. 13.* in muliere trimestri fetu gravida, in litore decumbente, quæ tamen cum signis aliis exitiosis præter artis, ut Gal. visum est, exspectationem evasit. Sed perpetuo in exitiosis morbis virium robur attendere oportet, bonam respirationem & recte ægrotum se habere ad omnia, quæ ei offeruntur. Nam his apparentibus, ut Galen. testatur in Herophyti historiæ commento, vel etiam in moribundis, prorsus non est desperandum, indicant enim robustissimam naturam.

Aphoniæ minus pernicioſæ, quomodo a letalibus dignoſcuntur.

Qui vero fiunt resoluta facultate animali, ac vitali vel maxime languente, exitium in foribus prænuntiant, cujusmodi fuere, quæ in Philini uxo-

re

re *lib.* 1. *Epidemiorum pag.* 976. *Ægr.* 4. in phrenitico *lib.* 3. *Epidemiorum pag.* 1100. *Ægr.* 4. in muliere apud frigidam aquam decumbente *lib.* 3. *Epidem. pag.* 1096. *Ægr.* 2. in phrenitica muliere *ibid. pag.* 1114. *Ægr.* 5. ante mortem obſervatæ ſunt. Cum catoche quoque ſunt pernicioſæ, ut docet Auctor *Prorrheticor. lib.* 1. 96. Cum comate non minus frequentes: quæ in unico morbo fiunt, ut *in* 2. *lib. Coac. præſag. ſec.* 2. *text.* 33. (*An Coac. præſag.* 259.? *Confer. & lib.* 1. *Prorrhet.* 91.) ſcriptum eſt. Ex capitis quoque dolore pernicioſæ, nam phlegmonem in cerebro factum teſtantur, de quibus *in lib.* 1. *Prorrhet.* 55. ſcriptum eſt: *Quibus ex dolore aphoniæ, moriuntur*: & *in* 2. *Coac. præſag.* 249. ait: *Qui ex dolore muti fiunt ægri, moriuntur*. Iis etiam aphoniæ, quibus caput percuſſum eſt (quod cerebri inſignem læſionem denotant) exitium prænuntiant. Cognoſcuntur vero cerebri inſigni offenſa aphoniæ, ex aliis functionibus ſublatis. Quod Hippocrates *lib.* 1. *Epidemiorum p.* 969. *Ægr.* 2. ita expreſſit: *Cui caput lapide percuſſum eſt a macedone cecidit, tertia ſine voce erat, anxietas, febris tenuis, nihil audiebat, neque ſapiebat, non ſine tremore*. Chirurgi ad cognoſcendum cerebrum vulneratum, vocis interceptionem, ſanguinem ex ore aut ex auribus, vomitum, obſervant. Ut vero ex his colligam, aphonia letalis, perpetuo cum malis exitioſisque ſignis, obſervabitur, aut ipſam aphoniam præcedent, aut ſubſequentur, veluti in Sileno *ibid. p.* 976. *Ægr.* 4. uxore Philini *lib.* 3. *Epid. p.* 1100. *Ægr.* 4. phrenitico *ibid. pag.* 1096. *Ægr.* 2. muliere apud frigidam aquam *ibid. p.* 1075. *Ægr.* 7. anginoſa *p.* 1098. *Ægr.* 3. atque Pythione ab Hippocrate, fuit obſervatum. Sed Pythionis hiſtoriam prodamus, qui ſæpe in morbo aphonus evaſit. De quo ita *in* 3. *Epid. ſect.* 3. *Ægr. p.* 1059. *text.* 55. ſcripſit: *lingua inaruit, ſitibundus erat, biliosus, non dormivit: Urinæ ſubnigræ, ſuſpenſio ſublimis, non ſubſidebat. Altero die ſub meridiem extremæ partes frigebant, præcipue circa manus & caput, obmutuit, voce defectus eſt, din breviſpirus, rediit calor, ſitiit. Nocte quievit, circa caput modicum ſudavit. Die tertio interdum quievit. Veſperi ſub ſolis occaſum aliquantum frixit, turbatio. Nox laborioſa fuit; nihil dormivit, ab alvo pauca compacta ſtercora deſcenderunt. Quarto mane quievit, ad meridiem omnia irritata ſunt, frigus, mutus, ſine voce, in deterius*, & ſic porro: *Octavo frixit, voxque eum defecit, ſpiritus exilis & imminutus, & decimo mane ſine voce, multum frigus, febris acuta, multus ſudor. Obiit*. Sed age, finem huic libro imponamus.

FINIS TERTII LIBRI.

PRO-

PROSPERI ALPINI MAROSTICENSIS, DE PRÆSAGIENDA VITA & MORTE ÆGROTANTIUM,

LIBER QUARTUS.

CAP. I.

Quantum vitalis facultatis cognitio ad venandum in agrotis Prognoſticum conducat?

Vitalis facultatis cognitionis utilitas.



Eminem Medicorum latere arbitror, cognitionem facultatis vitalis maxime facere ad illuſtrandam in morbis prædictionem. Addimus nihil hac ipſa cognitione eſſe opportunius, ad denotandum naturæ totius robur, atque infirmitatem. Hanc facultatem ſedem habere in Corde, Medici omnes fatentur, veluti in Cerebro animalem & in Hepate naturalem fundari diximus: non minuſque etiam hujuſce facultatis (quam vires vulgus Medicorum appellat) robur ſeu firmitatem, ad futuram ſalutis ſpem in ægrotis prædicendam, magni profecto eſſe momenti. Ex quo merito Gal. *in libro de Pulſibus cap.* 34. dicebat: *Si facultas vitalis poteſt morbi ferre vigorem, neceſſe eſt, ſervari hominem, atque ipſa nequeunte, mori.* Cognoſcitur vero facultatis hujus firmitas, ſeu robur, a robuſtis, nulloque modo læſis, actionibus, veluti ab infirmis languor, ſeu infirmitas, nobis quoque innoteſcit. Vitales vero actiones & operationes ſunt arteriarum pulſationes, quas vulgus pulſus ſimpliciter vocat, atque reſpirationes. Ex ipſisque facile vitæ ſtatus, qualis ſit futurus, intelligitur, præſertimque a pulſibus. Vita enim nihil aliud eſt, quam actio quædam ipſius animalis in partibus, quæ vivunt; actio vero omnis prodit a propria ejus facultate, idcirco vitæ actio a propria venit facultate, quæ vitalis appellatur. Facultas autem omnis veluti actione indiget, ut innoteſcat, ita & actio inſtrumento: actionis vero vitalis primum inſtrumentum eſt ſpiritus vitalis, qui quum a corde ad omnes corporis particulas confluat, ut eum illis communicetur, aliis quoque opus habuit inſtrumentis, ſcilicet arteriis, per quas ipſe ad quaſvis corporis partes ducitur. At quoniam vita-

Robur unde noſcitur.

Actionis vitalis inſtrumenta.

lis.

ſis hic ſpiritus calidam maxime efferveſcentemque naturam habuit, ideo, ut conſervaretur, aliqua ipſe opus habebat refrigeratione, alioquin ſeipſum ocyus conſumſiſſet, vitaque privaſſet animal. Siquidem corpus aliquod actu calidum ſine aliqua eventilatione, & refrigeratione diu manere incorruptum non poteſt. Itaque & vitalis ſpiritus a natura, ut diu conſervaretur, pluries ventilandus, ac refrigerandus erat. Hinc natura (quæ numquam in neceſſariis defecit) alia inſtrumenta animali conceſſit, quippe aſperam arteriam, & pulmones, qui quum dilatarentur, intus aerem frigidiorem exciperent, cordique per arterias communicarent, quo cordis caliditas, atque igneus ſpiritus refrigeretur, compeſcatur; & quum comprimerentur, ipſum quoque calorem eventarent: expellunt enim compreſſione vapores, ſeu fumos fuliginoſos a corde, purioremque reddunt vitalem ſpiritum. Erant igitur neceſſaria omnia hæc inſtrumenta facultati vitali. Quæ quidem a quolibet vel etiam illorum vitiato læditur, & infirma redditur. Quod ſane a pulſuum accurata obſervatione nobis maxime innoteſcit, non minuſque & a reſpirationibus. Nulla vero operatio ſpectatur, quæ robur & infirmitatem hujus facultatis vitalis præclare magis manifeſtat, quam pulſus & ipſa reſpiratio. De quibus in hoc libro, ut una cum ex aliis ſuperius illuſtratis, prognoſticum in ægrotis venari poſſimus, accurate a nobis eſt agendum.

CAP. II.

Quid ſit pulſus, atque quot generibus pulſus omnes comprehendantur?

UT ex pulſibus prognoſticum in ægrotis venari poſſimus, hæc primo nos noviſſe oportet; ſcilicet quid pulſus dicatur, atque pulſuum differentias, & cauſas. Pulſus vero nihil quidem aliud eſt, quam ſenſibilis cordis & arteriarum motus, quo hæ attolluntur & ſubmittuntur. Dividitur pulſus primum in motum dilatationis, quem *Diaſtolen* nuncupant, atque in motum contractionis, quem etiam *Syſtolen* Græci dicunt. Ab hisque duobus motibus cordis, arteriarumque, nativus calor generatur, ac conſervatur. Diaſtolis enim motu aer frigidus ad cor attrahitur, qui vitale robur, unde ſpiritus quoque vitalis generatur, excitat, ac recreat. Syſtolis vero motu fumidum excrementum, quod ex humorum deuſtione generatur, expellitur. Quamobrem ex dilatatione cordis & arteriarum perpetuo quantum caloris cor habeat, facile deprehenditur, atque non minus, quibus excrementis fuliginoſis exuberet, ex motu contractionis nobis innoteſcit. Comprehenduntur vero omnes pulſus ex Galeni doctrina, *in primo de Pulſuum differentiis*, decem generibus. Quorum primum ex motus quantitate accipitur, tresque habet differentias, utpote quoniam ipſorum alius eſt magnus, parvus, atque demum alius mediocris, quippe neque magnus omnino, neque parvus, ſed medio modo ſe habens. Dividitur vero quilibet ipſorum rurſus in latum, longum, profundum, anguſtum, brevem, humilem. Magnus dicitur longitudine, latitudine, ac profunditate,

Pulſus quid.

Pulſuum differentiæ habentur.

Ex motus quantitate.

vel

vel omnibus iis una junctis. Veluti parvus dicitur, anguſtia, brevitate, humilitate, vel omnibus iis una copulatis. Mediocris vero dicitur, qui neque parvus, neque magnus, quod ad latitudinem, longitudinem, profunditatem, anguſtiam, brevitatem atque humilitatem attinet, exiſtit, ſed qui medio ſe habet modo. Secundum genus in motionis tempore, vel ut Gal. ait in motus qualitate conſiſtit, cujus tres ſunt differentiæ, quod alii ipſorum ſint celeres, alii tardi, & alii medio ſe habeant modo. Celeres quidem fiunt pulſus, quando arteria modico tempore movetur, atque e contrario, quum longiori movetur tempore, tardi evadunt, mediocres vero, quum medio modo ſe habet arteria ad temporis motum. Tertium ex ictus qualitate, vel melius a virtutis potentia accipitur, cujus etiam tres obſervantur differentiæ, utpote vehementia, languiditas, ſeu infirmitas, ſeu humilitas, & quæ ad has medio modo ſe habet; ſcilicet pulſus vehemens, languidus, ſeu remiſſus, ſeu humilis, atque mediocris: vehemens autem eſt, qui tangentis manum valide percutit, & pulſat, & ex oppoſito languidus, humilisve, ſive remiſſus, qui perdebiliter tactum ferit: mediocris, qui mediam ſervat ad utrumque proportionem. Quartum vero genus ex tunicæ arteriæ qualitate ſpectatur, quippe aut prima aut ſecunda; prima quando ex temperamento arteriarum alii calidi, ſcilicet a calida arteria, alii frigidi ex frigida, alii humidi ab humida, alli ſicci ex ſicca, ſentiantur. Ex qualitate ſecunda, alii duri ob arteriam induratam, alii molles ex arteria molli, aliique medii inter utrumque ex arteriæ duritie, & mollitie temperata: duri pulſus dicuntur, qui tactui valide reſiſtunt, & e contrario plurimum cedentes, molles. Ii a vehementibus diſtinguuntur, quod duri valide tactu preſſi humillimi reddantur, & vehementes perpetuo digitis preſſa arteria valide percutiant, & pulſent. Quintum pulſuum genus a tempore quietis accipitur; tresque itidem habet differentias; quippe una crebritatis ſeu frequentiæ, altera raritatis, & tertia mediæ conditionis: pulſus creber dicitur, qui breve habet tempus, quietis, contra rarus, qui longum. Sextum genus ſpectatur penes arteriarum, quæ digitis tanguntur, plenitudinem atque vacuitatem. Ex qua pulſus alii pleni, alii vacui appellantur, ex eo quod ii plenam & iſti vacuam arteriam denotent. Septimum genus a rythmi ratione accipitur, qui quidem ſpectatur comparato ictus tempore cum tempore quietis, quæ proportio, ut Gal. *in Sect.* 1. *de differ. pulſ.* docuit, temporis eſt ictus ad tempus quietis. Alii rythmum in pulſibus ordinem dixerunt, alii convenientiam duorum eſſe temporum inter ſeſe, ictus & intervalli. Hujus generis duæ ſpectantur differentiæ, quippe quæ *Eurythmus* dicitur, & *Arythmus*. Idem ac ſi dixerimus conſonum & diſſonum, ſeu ordinem ſervantem, atque ordine turbatum. Eurythmus pulſus appellatur, qui ſecundum vel ætatem, vel tempus anni, vel regionem, temporis proportionem ſervat; veluti, qui temporis proportioni non reſpondet, Arythmus dicitur, cujus tres ſpectantur differentiæ, prout tribus ſane modis in ipſo rythmum vitiari contingit. Primus ſcilicet, qui mediocrem Eurythmi digreſſionem habet, pararythmusque ob id appellatur, & qui multum arythmo receſſit, heterorythmus vocatur, veluti Echirythmum vocat Gal. qui plane omnem rythmum ſeu conſonantiam corrumpit. Octavum genus pulſuum ſpectatur penes ipſorum

In motionis tempore.

Ex ictus qualitate.

Ex tunicæ arteriæ qualitate.

A tempore quietis.

Ex plenitudine, & vacuitate arteriarum.

A rythmi ratione.

Ex pulſuum æqualitate.

ipſorum æqualitatem & inæqualitatem, hujusque duplex eſt differentia, ſcilicet æqualitas & inæqualitas. Æqualis pulſus dicitur, ubi multorum vel unius tantum pulſus differentiæ ad ſe invicem pares ac æquales exſiſtunt, & contra inæqualis. Pulſuum vero inæqualitas duplex obſervatur, quippe, una in uno tantum pulſu, atque altera, quæ in multis pulſuum generibus ſpectatur. Rurſus inæqualitas in uno pulſu, aut in una parte arteriæ, aut in multis fit. His propoſitis, de iis modo agamus pulſibus, qui in uno pulſu & in una tantum arteriæ parte ſentiuntur: qui duobus modis conſiderantur, uno modo penes arteriæ motæ ſitum ſpectantur, uti quando arteria ſurſum, deorſum, antrorſum, retrorſum, ſiniſtrorſum, ac dextrorſum deducta. Atque altero in motu, quum aliter inceperit, & aliter finierit moveri, juxta unum digitum citatior, & deſinens tardior, aut e contra incipiens tardior, & deſinens citatior. Hocque fit tribus modis, quippe aut quum motus continuus apparet, vel quum intercidit, vel quum recurrit, atque veluti bis ferit: ſi itaque manens continuus, & non interpolatus, a celeritate ad tarditatem tranſierit, aut a tarditate ad celeritatem, fit pulſus a noſtris *impar citatus* dictus. Quemadmodum ſi quiete intercisus, ſyſtole ac diaſtole citatior ſeu velocior appareat, capras ſalientes imitatur, quæ cito ad aliquam arborem ſaliunt, inibique morantes, mox cito deorſum præcipitantur, ex qua merito ſimilitudine pulſus *caprizans* a priſcis Medicis fuit appellatus. Eſt & alius hujuſce generis pulſus *dicrotus*, atque bis feriens dictus, quod digitos arteriam comprimentes aliquando bis feriat, & pulſet: qui aliquando a robuſta facultate fit, arteria tamen vitiata, utpote immodice indurata. Nunc de ea pulſuum inæqualitate agamus, quæ etſi in unico pulſu fiat, tamen in multis arteriæ partibus etiam ſpectatur. Hæc vero bifariam fit, uno modo, quum motus manet continuus, & arteria juxta aliquos digitos moveatur celerius, & juxta aliquos tardius. Secundo quum motus intercidit ita, ut aliqui digiti motum ſentiant, & aliqui non. Juxta autem diaſtolis quantitatem in pluribus quidem arteriæ partibus inæqualitas eſt manifeſta. Ex quo genere plane ſunt myuri, ſive decurtati, in una diaſtole, atque illi quoque, qui innuentes, ſive circumnuentes, appellantur, veluti ejusdem generis quoque ſunt pulſus hi, quippe undoſus, vermiculans, formicans, hecticus, convulſivus, vibratus, ſive turbulentus & ſerratus. Sunt vero myuri ſive decurtatati hi, qui magnitudine in una diaſtole diminuuntur, & decurtantur, ut, ſi primum manu magnum latitudine quis tetigerit, paullo poſt anguſtiorem illum evaſiſſe, viderit, ac perinde myurum illum vocavit, quod caudæ modo imminuatur. Circumnuentes vero ſignificant diaſtolis brevitatem cum extremorum utrorumque veluti mutatione. Undoſus pulſus, a quibusdam fluctuoſus appellatus, fit, quando non ſimul univerſa arteria dilatatur, attolliturve, ſed per ſe ejus prima, deinde ſecunda, mox tertia, ab hac quarta, motu continuo manente, in modum undarum ſeſe elevantium, ſic quidem, ut altera unda ſemper priorem excipiat. Undoſus vero, ſi totus in parvitatem deſinat, ac minuatur, vermis greſſui fit ſimilis, ex quo vermicularis & vermiculans vocatur. Formicans quoque dictus fit, quum motibus multis amiſſis in unum prorſus exiguum deſierit, eſtque omnium pulſuum languidiſſimus, &

Pulſuum inæqualitas duplex.

Prima.

Pulſuum inæqualium altera ſpecies.

creberrimus. Hecticus etiam habita ad febrem hecticam ſimilitudine eſt appellatus, quoniam veluti hectica febris nullam magnam habet mutationem, ita & hic pulſus hecticus dicitur, quod perpetuo ſibi ſimilis conſtet, ſed duret. Convulſivus, qui convulſionis modo retractus videtur, aut ubi arteria retracta ſit. Vibratus motui jaculorum maxime comparatur, atque digiti ab arteriis quaſi jaculorum modo feriuntur. Serratus quoque dicitur, quando alia pars arteriæ magis & alia minus præ duritie dilatatur, qualis in pleuriticis obſervatur. Sed his pulſibus cognitis, tempus eſt, ut ad illos inæquales declinemus, quorum inæqualitas non in uno genere pulſuum fit, ſed in multis, quæ æqualitas a noſtris collectiva, & a Græcis ὁνικμακτικὰ dicitur. Hoc vero genere comprehenduntur pulſus, deficientes, intercidentes, decurtati, Græcis *myuri* dicti. Hi tamen differunt a myuris quos nuper explicavimus, quod hi in uno tantum pulſuum genere fiant, atque iſti in multis. Deficientes autem pulſus fiunt, ubi non ſolum in uno aut etiam in multis magnis unus minor apparet, ſed aliquando totus motus ab arteria aufertur. Hos Galen. proprie magis *in* 1. *lib. de differ. pulſ.* intermittentes appellat. Tollitur vero motus arteriæ quandoque totus ita, ut per duas & plures pulſationes arteria maneat immobilis. His contrarii ſeu oppoſiti ſunt intercidentes, quippe quum exſpectata quiete in medio tamquam ſuperflua quæpiam intercidat percuſſio. Myurus autem, ſive mutilus, ſive decurtatus pulſus vocetur, ille quidem eſt, ubi primo ſecundus pulſus paullo minor fit, & tertius ſecundo, & tertio quartus, & ita uſque ad plures pulſus magnitudine ac vehementia fit minutio. Horum alii ad arteriæ immobilitatem perveniunt, ipſique myuri deficientes appellantur. Alii poſt arteriæ immobilitatem denuo pulſare incipiunt, qui ob eam cauſſam deficientes recurrentes nuncupantur; & alii non ad abſolutam immobilitatem veniunt, ſed ubi valde imbecilli & obſcuri, languidiſſimique evaſere, poſtea rurſum paullulum augeri incipiunt, hique myuri recurrentes vocantur. Demum ad poſtremum pulſuum genus accedamus, cujus quidem generis ſunt, ordinati & inordinati. Ordinatus dicitur, qui ordinem pulſando aliquem ſervat, etiamſi fuerit inæqualis. Neque obſtat, eſſe inæqualem pulſum, & ordinem poſſe ſervare: contra inordinatus eſt cujusvis ordinis expers, tametſi etiam ex æqualium ſit numero. Et hæc ſunt, quæ breviter hic de pulſibus perſtringenda duximus, ex Galen. *libr.* 1. *de differen. pulſ.* depromta. Qui de ipſis plura deſiderant, legant libros *Galeni*, quos *de differ. pulſ.* ſcripſit, accuratius: ſed his pulſuum differentiis præmiſſis, atque ſedulo perſpectis, ipſorum modo cauſas conſideremus, ut nihil ad pulſuum notitiam deſideretur.

Expulſibus inæqualibus in multis.

Expulſibus ordinatio & inordinatio.

CAP.

CAP. III.

De cauſis pulſuum, & quales robuſtam facultatem, & quales imbecillam indicent?

PRæcipuæ cauſæ pulſuum tres numero, ex Galen. *in* 1. *de cauſ. pulſuum*, exiſtunt, quippe pulſandi neceſſitas una, ſecunda facultas ipſa vitalis, & tertia inſtrumentum facultati ſerviens. Neceſſitas pulſandi, ſive uſus animalis caloris inſiti tuendi gratia eſt factus, ut ſcilicet ab eo refrigeretur, &, ſi quid halituum fuliginoſorum ex humorum uſtione contractum ſit, excernat; ad gignendum enim vitalem ſpiritum, ut calor cordis perfrigeretur, animalis caliditas, quæ ignea eſt, deſiderat, quod diaſtole ſive dilatatione facile fit, perinde ac ſyſtole ſive contractione fuliginoſum excrementum expellitur. Ex caloris autem ſpirituoſi ſeu vitalis varia quantitate, varia quoque in pulſibus fit dilatatio, veluti quum maxime igneus eſt ſpiritus, frequenter, maximeque ac celeriter dilatantur, pulſusque fiunt celeres, veluti calore a frigiditate commoderato atque imminuto oppoſitus pulſus efficitur, quippe rarus, tardus, parvus. Simili etiam modo facultas pulſationem efficiens, ſi multa ſit, & robuſta, magnum pulſum ac vehementem efficit, & exilis, imbecillave languidum & parvum. Inſtrumentum quoque vitiatum pulſus evariat, etenim dura arteria durum, mollis mollem, plena plenum, & vacua vacuum pulſum reddit. Poſſunt vero hæ cauſæ pulſuum quum a multis cauſis extrinſecis, tum intrinſecis impediri, atque exinde & pulſus mutari. Extrinſecas intelligimus cauſas, quas vulgus Medicorum res non naturales & Gal. *in lib. artis medicinalis* conſervatrices appellat, a quibus omnibus cauſæ pulſuum, & pulſus ipſi poſſunt mutari: & intrinſecus vero ſunt ætates corporum, temperamenta, humores qualitate, aut quantitate, aut putredine, viſcera gravantes, lædentesque, & omnes morbi ac ſymptomata, quæ pulſus permutant. Sed age ſingularium pulſuum cauſas nunc ſpectemus: quas qui accuratius ſcire deſiderant, legant libros Galeni *de pulſuum cauſis cap.* 2. Nos circa has pauca quidem ſcribemus, eaque ſolum, quorum cognitio ad prognoſin ex pulſibus indagandam nobis viſa eſt opportuna. Sed rem ipſam aggrediamur, a pulſu magno incipientes. Magnus itaque pulſus fit ex vitalis facultatis magno robore ſeu firmitate, ex multo calore in corde exſuperante, ſive ex uſu multo, accedente quoque arteria facile dilatabili, ſeu quæ facile dilatari, & comprimi poſſit. Veluti parvum contrariis a cauſis fieri, Gal. *in* 1. *lib. de præſag.* ex *pulſib.* prodidit, quippe ubi aut facultas infirmior aut imbecillior evaſerit, aut propter arterias induratas, vel denique propter paucum uſum, ideſt, paucum calorem in corde exſuperantem. Mediocris cum medio ad hæc omnia ſe habet modo, atque ita de aliis omnibus, qui mediocres appellantur, utpote quorum natura, & cauſæ mediæ ſunt inter extremas. Pulſus longus fit ob corporis ſeu arteriæ gracilitatem, & virtutis firmitatem, atque ob caliditatem etiam colliquantem, ut Galen. *in* 2.

Pulſuum cauſæ præcipuæ.

Pulſuum ſingularium cauſæ.

lib. de præſag. ex pulſibus docuit. Ab oppoſitis vero cauſis, ſcilicet a craſſitie arteriarum, facultatis imbecillitate, ac a refrigeratione pulſus brevis efficitur. Anguſtus prodit nobis ex anguſtia circumpoſitarum regionum arteriæ, facultatis imbecillitate, atque ab inſtrumenti duritie, atque cutis rugoſitate & craſſitie; veluti latus ab oppoſitis fit, ſed potiſſimum propter exſuperantem humiditatem, & ſecundum naturam, vel ab externis cauſis. Altus ob auctam facultatem, & ob arteriarum mollitiem. Humilis a diminuta & infirma facultate, & ab inſtrumenti duritie. Celeres, & propter facultatis robur, & propter uſum multum, ideſt, plurimum calorem. Tardi e contrario propter facultatis infirmitatem, diminutum calorem, præſertimque ob frigiditatem. Dicebat enim Galen. *in eodem nuper citato lib. cap.* 2. Celeriorem pulſum calidum oſtendere temperamentum, veluti tardiorem frigidius. Frequentes vero fiunt ob multum uſum, ideſt, multam caliditatem, & rari ob paucum uſum. Vehemens pulſus a facultatis robore ſemper fit, cujus & languidi cauſas Gal. *in eodem 2. lib. de præſag. ex pulſibus cap.* 7. hiſce præſertim verbis expreſſit, dicens: *Vehemens pulſus a facultatis ſemper robore fit, ac quo ſit vehementior, tanto robur majus eſſe facultatis; languidus ex facultatis imbecillitate, ac quo ſit languidior, hoc facultatem quoque imbecilliorem eſſe demonſtrat.* Durus vero, uti Gal. nobis auctor eſt *in libello de pulſibus*, fit ob arteriæ corpus ab immoderato frigore congelatum, vel ab excedente ſiccitate, vel ab alicujus viſceris ſcirrho, vel a magna phlegmone, vel denique a convulſiva aliqua paſſione, in nervoſa aliqua parte facta. Mollis ab humectato inſtrumento; quippe arteria: quæ humectatio ſæpius fit arteria ab extrinſeca aliqua cauſa humectata, veluti ab uſu dulcium balneorum, ab otio & ſomno multo, & ab humida victus ratione: veluti & ab intrinſecis cauſis, omnes quum morbi, tum ſymptomata, ab humiditate concitata, arterias humectare poſſunt, qualia ſunt comata, lethargi, hydropes aquoſæ, ac alii humidi affectus. Pulſus plenus proficiſcitur, aut ab humorum copia, aut a vini potatione, aut denique a maxima ciborum repletione. Veluti a fame, inedia, evacuationeque pulſus inanis ſeu vacuus fit. Rhythmum habentes in motu, & in quiete æqualem probamque corporis adeſſe temperiem teſtantur, veluti qui diaſtolen ſyſtole habent celeriorem, calorem oſtendunt corpori prævalere. Sed ad inæqualium generationem declinemus. Fiunt omnes inæquales pulſus, ut Gal. docuit *in* 2. *de præſag. ex pulſibus cap.* 4. ab obſtructionibus, aut ex compreſſione inſtrumentorum, aut humorum abundantia ad facultatem quidem collata, aut demum ex cordis inæquali intemperie. De cauſis vero intermittentium, quos etiam alii deficientes vocant, Gal. ibid. hiſce verbis ſcripſit: *humorum copia creat impedimenta, quominus motum debito tempore auſpicetur, vel per craſſitudinem, vel per copiam humorum, quæ obruat, aut oſcilla cordi vicinarum arteriarum, quæ attrahit materiam, rurſusque emittit, aut ex oſcillis quadamtenus univerſam vaſorum capedinem, ſæpe etiam foris illis, quaſi vinculum ſit, copia ejuſmodi effunditur, nonnumquam inſtar oneris gravat, interdum etiam ſpatia, in quibus diſtenduntur, occupat. Intercidentes quoque pulſus ab iisdem cauſis proficiſcuntur, minori tamen cum noxa fiunt,*

quam

quam intermittentes. Recurrentes ex facultate quadam imbecilla, ſed renuente ac reſiſtente tamen, oriuntur. Myurorum cauſas Gal. *in nuper citato libello de puſſ. ad tyrones cap.* 5. ita complexus eſt: *Conſtat autem omnes tales pulſus fieri ob imbecillitatem facultatis, quæ interdum quidem ipſa ſola ex propria ratione infirma fit, interdum vero & ob aliquam multitudinem, vel compreſſionem, vel obſtructionem arteriarum cordi vicinarum, ita, ut mixta efficiatur affectio.* Et intercurrentium cauſas *in* 2. *de præſ. ex pulſib.* prodidit, dicens, *nam intercurrens ex crebritate fit in æquali, quod functionem cor obiit minus plenam, ac poſtularet uſus. Jam id ipſum fit, ubi a copia humorum oneratum cor ſit, aut inſtrumenta obſtructa, aut in arctum coacta. Caprizans pulſus ex inæqualibus interdum cordis intemperiebus efficitur: & Dicrotus, ſive bis feriens ex inſtrumenti duritie, atque a virtute valida naſcitur, & nonnumquam etiam ob inæqualem cordis temperiem. Undoſi pulſus & ipſi fiunt arteria quidem humectata, & facultate aliquando forti, ſeu robuſta.* Ex qua ſolent non raro ejuſmodi pulſus undoſi ſudorem fluxurum prænuntiare. Aliquando etiam a prælanguida facultate fiunt, qui facile in vermiculantes tranſeunt, utpote quando facultas magis ac magis eſt diminuta; ob id Gal. *in libello de pulſib. cap.* 22. ait, vermiculantes fieri pulſus prælanguente facultate, quæ ſi in pejus labatur, nulloque modo reſtauretur, & vivificetur, facillime in formicantes mutari, qui omnium ſunt exitioſiſſimi, quod ad extremum facultatem veniſſe denotent. Convulſivi excitantur principio nervorum inflammationem aliquam ſuſtinente, & turbulenti, quum uſus pulſandi magnam ſublationem requirit, & vitale robur ſua functione uti non poteſt. Vibroſi ex facultate, robore, atque caloris copia ortum ducunt. Et ſerrati a nervoſarum partium aliqua oborta inflammatione, hinc pleuriticorum proprium eſſe pulſum, non paucis viſum eſt, quoniam pleura dicta membrana coſtas ſubcingens inflammatur. Atque hæc de pulſuum cauſis ſufficiant. Quibus præmiſſis facile agnoſcemus, quales pulſus facultatem robuſtam, & quales præimbecillam ſignificent. Firmam & robuſtam facultatem, quæ in corde quidem ſedem habet, judicant hi pulſus, quippe magnus, longus, latus, celer, vehemens, dicrotus, vibroſus, undoſus, atque major, altior, longior, vehementior. Ex extremis vero ſolum vehementiſſimus robore valere facultatem demonſtrat. Horum pulſuum primo vehemens, vehementior, vehementiſſimusque, & ſecundo loco magnus, tertio altus, quarto vibroſus, quinto undoſus, atque omnium poſtremo bis feriens, robur in facultate denotant. Vehemens enim pulſus, Gal. *in* 1. *de præſ. ex pulſib. cap.* 7. docente, a facultatis robore ſemper fit, ac quo ſit vehementior, tanto robur majus eſſe facultatis: & paullo poſt ait: at robuſtiſſima quum vehementiſſimum, tum etiam majorem, excitat pulſum, ſimulque, ſi nihil variet uſus, rariorem. *In libello de pulſibus* ſcribit Galen. vibroſum pulſum, quoniam robur facultatis ſignificat, caloriſque copiam, idcirco optimam aliquando Criſin prænuntiare. Horum vero pulſuum majores, & auctiores majorem quoque virium firmitatem denotant, & ad extremum deducti, excepto vehementiſſimo, qui omnium maxime robur perpetuo teſtatur, infirmam facultatem ſignificant. Pulſus prælanguidam facultatem denotan-

Pulſus quinam facultatem vitalem robuſtam, ſignificant.

tes hi profecto exſiſtunt, ſcilicet, parvi, anguſti, humiles, languidive, hi intercurrentes, myuri omnes, vermiculantes, formicantes, atque ad extremum qui pervenerunt, vehementiſſimo excepto. Iſtorum quoque vim imbecillam declarantes, alii diminutam, alii humorum multitudine, aut vitio, gravatam ac oneratam eſſe decernunt, & alii quum per ſe infirmitatem, tum ab humoribus, ut dictum eſt, auctam, denotant, uti Gal. demonſtravit *in libello de pulſib. nuper citato cap.* 34. Ex ſe ipſa imbecillam facultatem oſtendunt pulſus, nullam habentes inæqualitatem, veluti ab inæqualibus gravatam coarctatamque aut ab humoribus, aut ab aliquo morbo, facile dignoſcitur. Horum vero omnium inæqualium vermiculantes, formicantes, intermittentes, & myuri deficientes; & ex æqualibus, languidi, parvi, ſubmiſſi, maxime ſunt exitioſi, virtutemque maxime languere decernunt, omniumque maxime languidiſſimi, minimi, tardiſſimi, humillimi. Quare ii omnes prælanguidam facultatem oſtendunt, alii ipſorum magnam, alii majorem, atque alii maximam, cujuſmodi ſunt formicantes, & languidiſſimi.

Quinam prælanguidam.

CAP. IV.

De pulſibus ſalutem & exitium indicantibus.

PUlſus optimi, qui ſalutem in ægrotis pollicentur, hi profecto exſiſtunt, quippe parum aut nihilo a ſtatu bene valentium mutati, atque æquales, ordinati, magni, vehementes, & languidi, parvi, inæquales, ac inordinati, ſi minus languidi, majores, æqualiores, atque ordinatiores evadant, quod ipſi virtutem languentem augeri atque inſtaurari ſignificent, veluti exitiales habentur, magni, vehementes, æquales, ordinati, qui minuuntur, & languidi evadunt, inæquales atque inordinati. De quibus Galen. *in lib.* 3. *de criſibus cap.* 9. ita ſcripſit: *Sed manifeſtiſſime ex pulſibus cognoſcuntur, neque enim parvo interſtitio differunt, qui mortis ratione citius, quam ſperabatur, ad quamdam falſam declinationem perveniunt, ab iis, qui vere declinant.* In utriſque enim febrilis calor diſſolvitur. Fit vero hoc ex cauſis maxime contrariis, ſiquidem naturæ robur maxime contraria eſt imbecillitas. Vehementior igitur fit continue magis pulſus & æqualior atque ordinatior in bona declinatione, expellit enim natura fortis omnem ſubito febrilem calorem. Debilior vero atque inordinatior & inæqualis eſt pulſus in mortalibus declinationibus. Languidi itaque inæquales, inordinati, qui continuo ſubito fortiores, æqualiores, atque ordinatiores evadunt, ſi modo in melius ipſorum mutatio conſtans ſit, ſalutem non obſcure promittunt. Sed illorum ſermonem proſequamur, qui non ex accidenti ſalutem prædicere videntur, ſed per ſe, cujuſmodi ſunt primo adnumerandi magnus atque vehemens pulſus, qui facultatis roboris nobis indicio ſunt, omniumque maxime, ſi probam in ipſorum differentiis ſervaverint æqualitatem. Ad hoc quoque genus attinere videntur hi omnes, quippe altus, longus, latus, celer, major, longior, altior, latior, celerior, vehementior, non tamen ad extremitatem in ſua ſpecie aucti, vehementiſſimo excepto, qui omnium certiſſime ſalutem præſagit futu-

Pulſus optimi quinam.

futuram. Salutares quoque judicantur, vibroſus, undoſus, & dicrotus; de Undoſo Galen. *in lib. de pulſ. ad tyr. cap.* 35. ita ſcribit: *Hic enim pulſus undoſus*, inquam, *ſudorem ut plurimum nuntiat, ac tanto magis, quanto mollior quidem fuerit, non tamen tenoris vacuus, ſi vero ipſi intercurrat altus, firmiſſimum habebis ſudoris ſignum, ſemper enim hic aliquam excretionem ſignificat: cum undoſo quidem vel abſolute magno, non tamen duro, criticum ſudorum, cum vibroſo autem, vel abſolute duro, menſtruorum potius, vel eruptionis ſanguinis e naribus, vel per hemorrhoidas, vel alvo exturbata.* Ceterum quum dictum a nobis ſit, pulſus omnes, ſanorum pulſibus ſimiles, bonum prænuntiare, diſtinguendum erit, in quo morbo fiant, ſiquidem in quibusdam uſque adeo maligniſſimis febribus perquam ſanis ſimiles apparent, atque quando exitio quoque proximi exiſtunt. Sed de iis poſterius accurate. Nunc de illis, qui exitium præſagiunt, ſermonem habeamus. Sed in memoriæ prius mandandum, ut numquam ex ſolis pulſibus malis judicium feramus; ſed aliis ſignis una conſpectis, ac ſimul collatis. Nam pulſus parvi, humiles, tardi, atque alii facultatem impotentem ſignificantes, ſi una alia mala ſigna illuxerint, exitioſi judicabuntur. Cauti quoque eſſe debebimus, ne ii ex aliqua extrinſecarum cauſſarum tales prodierint, ne judicium fallax reddatur. Hinc rogatos velim Medicos medicinam factitantes, ne pulſus ægrotorum tangant, ni prius cauſas procatarcticas ſeu prægreſſas intellexerint, atque cognoverint, quales ex iis pulſus fieri debeant, atque ut ſi corpus ægrotum, omni prorſus alteratione animi vacuum. Hinc prudentes Medici perdocti, antequam pulſus in ægrotis tangant, non parum temporis conterunt, ut prius jucundas hiſtorias, vel aliqua jucunda, referant, ad ſedandum alteratum in ægrotis animum. Quique poſtea pulſus tangunt, neque ſubito ex eo pulſu judicant, ſed ad minimum, ubi quindecim aut plures pulſationes obſervarint, quum pleriſque ægrotorum principio pulſus a Medico contactus, vel a timore, vel aliqua alia alteratione appareat alteratus, proinde nonniſi plurimis obſervatis pulſibus de ſalute aut de morte erit judicandum. Sed ad propoſitum redeamus. Pulſus itaque nuper ſcripti, ſi una cum ſignis malis obſervantur, exitium certum portendent. Ad extremitatem quoque omnes deducti, excepto vehementiſſimo, qui perpetuo ſalutarior, letales ſunt. Minimi vero languidiſſimi, tardiſſimique omnium exitioſiſſimi habentur. De quibus Gal. *in libello de pulſib. cap.* 22. ita ſcribens, ea, quæ a nobis ſunt dicta confirmavit: *Sed omnes pulſus, qui a naturali ſymmetria multum recedunt, non boni ſunt, at certo languidiſſimus & tardiſſimus & rariſſimus omnium eſt deterrimus; pulſus autem minimus, & molliſſimus, & duriſſimus poſtea frequentiſſimus, at non celerrimus, neque maximus, ſed hi ſunt modice periculoſi, ſolus autem in extremis optimus eſt omnium vehementiſſimus.* Sunt vero alii ex inæqualibus valde exitioſi, ſcilicet formicantes, vermiculantes, intermittentes, intercurrentes, rari & myuri. Formicantes enim omnium ſunt exitioſiſſimi, quoniam, ut Galeno nobis *in eodem citato lib. cap.* 4. eſt auctor, ad extremum naturam veniſſe denotant. Atque ſi ipſi poſtea augeantur, in foribus exitium ſignificant. Pulſuum vero intermittentium alii prorſus letales,

Pulſus exitium præſagientes.

atque alii ad exitioſos proxime accedunt, horum etiam alii in uno tantum pulſu intermittunt, ac alii in multis, & alii intervallo unius pulſationis, atque demum alii multarum. Qui in uno tantum pulſu intermittunt, maxime timeri debent, præſertimque ſi ſubſequens ipſorum motus anteriori ſit minor, quemadmodum qui motum ſubſequentem habent majorem anteriori, minori cum periculo obſervantur, eoque etiam minus periculi portendunt, ſi quies intervallum unius pulſationis non ſuperaverit. Namque Gal. *in 2. de præſ. ex pul.* multos cum iis pulſibus evaſiſſe mortalium memoriæ prodidit. Ex hisque pulſibus maxime ſenes atque pueri evadunt, nam in juvenibus plane ſunt exitioſi, ut Gal. ibidem tradidit, dicens: *Quies vero tempore unius pulſus inter omnes intermiſſiones moderatiſſima eſt, multique ex ea ſenes pariter & pueri evaſerunt. Juvenum autem ne ex hac quidem ullus. Qui vero duorum aut plurium pulſuum tempus arteriam quieſcentem habuerunt, certum ſemper exitium indicarunt.* Ex pulſu vero unius pulſationis intervallum intermittente plures evaſerunt, puerique & ſenes facilius. *Cayri* in *Ægypto* dominicum a rege pharmacopolam quinquagenarium vidi, qui ex mala victus ratione quum copiam vitioſorum humorum coacervaſſet, ſine febre in tantam corporis debilitatem incidit, ut vix moveri, ac vel etiam loqui poſſet. In ipſo pulſus intermittens per plures dies fuit obſervatus, qui eo uſque perſeveravit, quoad probe medicamentis purgatus atque vacuatus ſanguine vires recuperavit, quo tempore ceſſavit intermiſſio. Quare ſenes atque pueri ex hoc pulſu non ita peſſime ſe habent, ut juvenes, in quibus plane exitioſos eſſe hos pulſus intermittentes voluit *Gal.* Tamen, etſi plerumque hoc verum experiatur, *Baſſani* juvenem annos natam ſupra viginti, pleuriticam ab hinc multos annos apud Hermetem Furcaturam Juriſconſultum clariſſimum vidi, in qua uſque ad diem quintam pulſus ita intermittebat, ut prima die ſingulis ſeptem aut decem pulſibus intermitteret ſpatio unius pulſationis, & ſecunda ſingulis ſex aut quatuor, & tertia ſingulis tribus, & quarta (qua die morituram quiſque merito judicaſſet) quum delira prorſus eſſet, nihil exſpueret, difficillima reſpiratio, inquietiſſima, & quum pulſus ſingulis pulſatis duabus pulſationibus ita intermiſerit, ut immobilis multo intervallo arteria maneret, pulſuſque ſubſequentes languidi exileſque eſſent. Nihilominus præter omnium ſpem ſimul cum urina multa materia craſſa pituitoſa excreta, nulla alia obſervata vacuatione, aut judicio a natura facto. Sed hujuſmodi caſus raro fiunt, ſuntque in arte medendi veluti monſtra. Sunt vero pleriſque juvenum ejuſmodi pulſus intermittentes exitiales, quod in juvenibus maximum receſſum a ſtatu ſalubri declarent, idque propterea, quod juvenes ob validum virium robur nonniſi a fortiſſima cauſa in talem affectum incidunt, indicio enim nobis ſunt, naturam magna humorum multitudine aggravari, quos curatione ſanari maxime eſt difficile, quum fortiſſima cauſa morbifica ægerrime tolli poſſit, veluti levis cauſa facili negotio tollitur, a qua ſenes ob invalidum facultatis robur facilius juvenibus in morbum labuntur, qui etiam ob id facilius (quod facilius levis quam fortis cauſa adimatur) ſanantur. Ex intermittentibus etiam, qui ſubſequentes motus ſi-

ve

ve pulſus anteriori habent debiliores, apprime ſunt perniciales, tametſi arteria in ipſis minus, quam ſit unius pulſus intervallum, conquieſcat. Ex ipſis facultatem magis ac magis debilitari nobis indicatur. Hiſque pulſibus myuri maxime comparantur, quod ipſi ſemper magis ac magis diminuantur, ex quo & ipſi creduntur perniciales, ipſorumque maxime myuri deficientes, ſive intermittentes, quippe qui eo uſque decreſcunt, quoad immobilis arteria remaneat, veluti qui ad imperfectam venerunt immobilitatem, quippe myuri deficientes appellati, & qui ab arteria reddita immobili denuo pulſare incipiunt, minus ſunt timendi, modo ſigna alia meliora una illuceant. Quidam etiam obſervantur, qui ex natura hos pulſus vel etiam recte valentes habeant, ex quo caute Medici ad judicandum agere debent, ne decipiantur: exitioſiſſimi quoque ſunt, languidiſſimi, minimi, tardiſſimi, atque rariſſimi, de quibus Galen. *in lib. 2. de præſag. ex pulſibus* ita ſcripſit: *Eſt autem eorum pulſuum ingens frigiditas cauſa generandorum, quæ occupet vel corpus cordis, vel ſpiritum, vel ſanguinem, quem continet ejus ſinus, vel partem aliquam vicinam. Atque ſi corpus ipſum cordis teneat ingens frigiditas, ita languidiſſimos reddit pulſus, & tardiſſimos, & minimos, ut maxime hæc viget. Quæ vero proficiſcetur ex parte alia, raritatem longius, quam cetera, quæ diximus, genera a natura avertit.* Itaque quidam in illis ſunt, quum pulſus habeant non longe minores juſto, at tardiores languidioreſque, tamen e veſtigio pereunt. Mors autem tum minus poteſt declinari, quum teneat frigiditas corpus ipſum cordis. Repentina porro & in altera differentia fit. At moriuntur priores illi inter dormiendum potius, ut jam non amplius expergiſcantur, alteri hi quum illo modo, tum etiam inter loquendum nonnulli eorum, ut imperitis commode videantur habere, ſubito, ut qui animo deficiuntur, exſpirant. Quorum quibuſdam ſimul prorupit ſudor, aliquibus non prorupit. Quamobrem ex iis apparet, raros pulſus, multoque magis rariores, ſimulque minores, languidioreſque, exitiales utique eſſe. Sed age dicamus, cur pulſus ſæpius in moribundis ſanis ſimiles appareant. Ex quibus Medici plane decipiantur, neceſſe eſt.

CAP. V.

Cur pulſus in quibusdam febribus exitioſis appareant aliquando recte valentium ſimiles?

SÆpius fit, ut in ægrotis, malignis morbis laborantibus, pulſus ita ſanorum ſimiles obſerventur, ut non raro vel etiam doctiſſimi Medici decipiantur; non minuſque urinæ, quum boni coloris, tum ſubſtantiæ, tum etiam in quibus laudabilia contenta reſideant, in exitioſis morbis apparent: quæ artis medicæ ignaris mira, ſeu monſtra in natura, videntur, quum tamen hæc docti Medici, quibus rerum cauſæ non ſunt ignotæ, non admirentur. Nunc de pulſibus agemus, & quomodo, etſi bene valentium ſimiles ac optimi appareant, futurum exitium ſignificent, dicemus. De urinis

vero,

vero, quum hic de his loquendi non ſit locus, poſtea ſuis locis agemus. Sed modo rem ipſam de pulſibus dicamus. Hujuſmodi pulſuum obſervatio non in omnibus morbis fieri ſolet, ſed in maligniſſimis tantum, & præſertim in febribus peſtilentibus, neque in omnibus: Gal. *in lib. 3. de præſag. ex pulſib. cap. 3.* ait, hujuſmodi pulſus in peſtiferis febribus obſervari, quas hecticas peſtilentes Medici vocant, quod æquales, exterius obſcuræ, ſine ulla alteratione, calore quidem exili appareant, ex quo ægrotantes ſe febre vexari neque putent. Diſtinguuntur etiam peſtiferæ febres in ephemeras, putridas, atque hecticas. Ephemeras vocant, quæ ephemerarum modo invadunt, atque cordis ſpiritibus corruptis generantur; putridæ quoque putrefactis humoribus cordis fiunt, ab ephemeris maxime diſtinguuntur ex eo, quod putridæ putredinis ſignis non careant, nam in ipſis, urinæ crudæ, tenues, turbidæ, ſubjugales, cum contentis aliquando craſſis malis apparent: in ipſis quoque aliquando exanthemata apparent, aliquando tumores. In ephemeris vero, quæ ſpatio unius diei interimunt, aut ſaltem tribus ad plus, nullum putredinis in humoribus ſignum apparet. Gal. itaque vult in hecticis quum pulſus tum urinas bonas videri, proptera quod aut arteriæ ſint corde frigidiores, aut quod temperamentorum in corde ſit pugnantia, de illa ita ſcribit: *Quocirca contingit aliquando, ut arteria, quæ frigida eſt, ſed a corde caleſit, nec parvum pulſum, qui frigidus eſt, edat, nec magnum, qui calidus, ſed inter utrumque medium, qui moderatus eſt, & naturalis. Et celeritate etiam moderata pulſus erit horum affectuum, itemque & vehementia moderata.* Pugnantia vero temperamenta in corde hos facere poſſe non eſt mirum, ſiquidem, ut ait Galen. aliquando cordis corpus æquo ſit frigidius, & humores, ſeu ſubſtantia contenta in ventriculis calidior, quod forte fit in peſtiferis febribus, ubi ingens putredo cordis corpus affecit, ex quo calore fere exſtincto redditus corpus cordis frigidius, quum humores tamen contenti inflammati ſint, aut aliquando contra, quippe ubi humores æquo ſint frigidiores, & cordis corpus calidius, quovis horum modorum contingit fieri pulſus moderatos & fere naturales, de quibus Gal. ita ſcripſit: *Qui ſane affectus vel optimos Medicos fallunt, quod nunc quoque in maxima peſtilentia accidit. Quidam inde ab initio ad finem uſque, alii per totum morbum, probum pulſum habebant, qui perparum deflexiſſet de natura, qui quidem præter ceteros perierunt.* Animadvertimuſque eos primis ſtatim diebus & peſtilentia laborare, & peſſime affectos eſſe ex acredine caloris, atque ipſa caloris ſpecie, denique quod pulſus, parum præter naturam immutati, iis in eo ſtatu perpetuo maneant; nam in ſpeciem præcipue hecticarum, quas vocant, febrium incidunt hujuſmodi pulſus. Si qui eſſent inter ægrotos, qui ſe negarent febricitare, his febris, occupato ipſo cordis corpore, plane erat confirmata, & ut ita dicam, in habitu. Demum tertiam cauſam pulſuum moderatorum in peſtiferis quibuſdam & exitioſis morbis, ita expreſſit: *Quod vero in ſermone præterivimus, ubi aer, quem ſpirando attrahimus, infectus putredine ſit, ac putredo corpus cordis attigerit, illi pulſus fiunt.* Nec jam quicquam habet admirationis, ſi eos pulſus, quos

Pulſus in exitioſis morbis unde aliquando recte valentium ſimiles.

Febrium peſtiferarum diſtinctio.

nemo-

memoravimus, tali affecti peſte habeant, ob peſtilentem reſpirationem; nec ſi omnino morituri ſint: atque propter haſce cauſas in febribus; vel etiam letiferi pulſus recte valentium ſimiles obſervari ſolent.

CAP. VI.

De prædictione ex reſpiratione, quidque primo ipſa ſit, atque quot ipſius differentiæ obſerventur?

VAriarum in ægrotis reſpirationum obſervationem ad prædictionem nedum utilem eſſe, ſed quinimmo multum neceſſariam, neminem latere, certe ſcio; ſed ex ipſa firmiorem quoque quam ex pulſibus haberi in morbis prædictionem, non paucis viſum eſt, ac vel etiam eſſe certiorem, quod pulſus facile a qualibet etiam cauſa extrinſeca mutantur, hinc Medici, ſi alterationes extrinſecus pulſibus illatas incaute perſpectas habuerint, ſæpe decipiantur. Hinc Hippoc. nulla, vel ſaltem pauca, de pulſibus ſcripſiſſe, non paucis eſt perſuaſum. De reſpiratione vero, quod ab ipſa certiorem ad prognoſin notitiam Medici aſſequi poſſint, ſatis accurate multa nobis tradidiſſe, & varias non minus in multis ægrotis (ut apud ipſum in Epidemiis legitur) ſpirationum differentias ad prognoſis judicium adnotaſſe. Quare de hac quoque ad prædicendi rationem accurate nobis in præſentia eſt agendum. Sed antequam de prædictione a reſpirationibus agamus, primo quid ipſa ſit reſpiratio, quæque ipſius ſint differentiæ, atque cauſæ, cognoſcamus. Quid vero ſit non æque omnes ſentiunt. Aſclepiades reſpirationem eſſe animæ generationem affirmavit. Praxagoræ vero animæ dici corroborationem placuit. Sed Philiſtion, & Diocles caloris innati eſſe ventilationem, & refrigerationem voluerunt. Ex Hippocrat. rectius caloris nutritionem atque refrigerationem. Porro hi, cujus tantum gratia reſpiratio fiat, enarrant. Nos vero dicemus reſpirationem nihil quidem aliud eſſe, quam pulmonum pectoriſque ſenſibilem motum, quo pulmones dilatantur, ac comprimuntur. Ex quo duplex apparet, primo inſpiratio quippe & expiratio. Atque his duabus reſpirationibus duplex quies, ſive ut Galeno placuit, duæ ceſſationes æque reſpondent, una ſcilicet, quæ eſt ante dilatationem, at poſt ipſam altera, quæ ante quoque compreſſionem eſt. Dilatatione enim frigidus aer inſpiratur, quo ſane innati caloris (ſi Galeno *de libro cauſis reſpirat.* credimus) ſymmetria conſervatur, animaliſque ſpiritus ſubſtantia nutritur. Galenus ſcripſit *in primo libro de reſpirat. differ. cap. 3.* reſpirationem calori, qui circa cor eſt, eſſe utilem, ac pulſus calori, qui per totum animal eſt diſperſus: hic quidem a pulſibus refrigeratur, veluti cordis calor a reſpiratione. Exſpiratione vero fumoſum halituoſumve excrementum a corde expellitur. Ceterum, ut recte fiat reſpiratio, cerebrum recte valere eſt neceſſe, utpote, quod ſeptum transverſum, thoracem, ac omnes muſculos reſpirationi ſervientes facultate moveat, itemque cor, pulmoneſque. Quibus quidem membris ſeu partibus læſis, reſpirationem vitiari, eſt neceſſe. Ex quibus medicinæ ſcriptores

Reſpiratio quid.

tores triplicem reſpirationis cauſam faciunt, unam quidem animalem facultatem, moventem muſculos, ſeptum transverſum, pectus, pulmones, & quæ in cerebro ſedem habet; alteramque inſtrumenta reſpirationi ſervientia, prænarrata; atque tertium uſum, qui eſt innati caloris refrigeratio, ſpiritus naturalis nutritio, atque genitarum fuliginum expurgatio. Sed his præmiſſis ad reſpirationis notitiam pertinentibus, reſpirationis quoque differentias in medium afferamus. Primo itaque per reſpirationem tum inſpirationem, qua frigidum aerem attrahimus, tum exſpirationem, qua fuligines excernimus, intelligimus. Cujus quidem reſpirationis duæ in primis apparent differentiæ, quippe quædam motum reſpicientes, & quædam quietem: ad motum attinentes penes magnitudinem, parvitatem, velocitatem, tarditatem, ſpectantur, quatuorque numero exſiſtunt, quippe magna, parva, velox & tarda: ad quietem vero quæ referuntur, ſunt frequentia reſpirandi, atque raritas. Ex quibus colligamus reſpirationis differentias eſſe, magnitudinem, parvitatem, celeritatem, tarditatem, frequentiam, & raritatem, quas Galen. *in* 1. *different. reſpirat.* complexus eſt. Sunt vero hæ omnes aut in tempore motus, uti eſt velox & tarda reſpiratio, aut in quantitate diſtentionis, veluti magna, & parva, aut in quantitate contractionis, veluti eſt etiam magna, & parva, aut denique in quiete reſpirationis, quæ eſt frequentia atque raritas, atque hæ ſimplices ſunt reſpirationis differentiæ: quibus varie complicatis octo compoſitæ differentiæ depromuntur, quippe magna velox, magna tarda: parva velox, parva tarda: frequens magna, frequens parva: rara magna, & rara parva. Magnam illam dicimus reſpirationem, in qua magnam copiam aeris attrahimus, atque magnam fuliginum copiam exſpiramus, ſive expellimus, atque e contrario parvam, in qua exiguum aeris inſpiratur, & parum fuliginum genitarum exſpiratur, ſeu expellitur. Celer vero eſt, in qua parvo quidem tempore pulmones moventur, & tarda, quæ longo tempore fit. Frequens etiam ſeu denſa appellatur, cui breve eſt tempus quietis, contra cui longum eſt, rara. Addamus alias reſpirationis differentias, quarum una penes æqualitatem atque inæqualitatem accipitur, & altera penes ordinem, prout reſpirationum aliæ ſervant ordinem, & aliæ non, atque tertia penes caliditatem & frigiditatem, quod quædam calida ſit, & quædam frigida. Æquales reſpirationes illas dicimus, in quibus multarum quidem reſpirationum vel unius tantum pares differentiæ, mutuoque æquales exſiſtunt. Inæqualeſque, ubi inæquales reſpirationes obſervamus. Ordinatæ quoque hæ ſunt, quæ aliquem ordinem ſervant, atque contra, inordinatæ. Et calidæ item dicuntur reſpirationes, ut poſterius accurate intelligemus, in quibus halituoſus caliduſque ſpiritus expellitur; & frigidæ, ubi frigidus. Sunt demum aliæ quoque rythmæ, & arythmæ, ideſt, quæ rythmum ſervant, & quæ non. Ex proportionatam habent reſpirationem tempori, annis, locis, regioni, ætati atque temperiei, & ex oppoſito arythmæ. Ex quibus omnes vidimus reſpirationis differentias, quas Hippoc. quum *in lib.* 2. *pag.* 1025. tum *in* 6. *Epidemior. ſect.* 2. *text.* 8. *pag.* 1169. ubi quædam addita ſunt, *comm.* 5. *text.* 11. ita perſtrinxit, dicens: *Denſi ſpiritus, parvi, magni, rari, exit extra magnus, intro parvus,*

Reſpirationis differentiæ.

In tempore motus.

In æqualitate & inæqualitate.

In reſpirationibus ordinatio, & inordinatio.

In Rythmi ratione.

vus, hic quidem tardans, ille festinans, duplex intro revocatio velut super inspirantibus, calidus, frigidus.

CAP. VII.

De causis respirationis.

Respirationis causæ communes.

NUnc causas respirationis attingamus, quæ duplicis sunt differentiæ; quippe quædam communes, & quædam particularium respirationum, quæ particulares exsistunt; de communibus primo agamus, quæ ex Galeno in libro *de causis respiration.* sunt facultas voluntaria motiva, quæ organa movet respiratoria, instrumenta voluntati ac respirationi servientia, atque demum usus seu utilitas, in cujus gratiam respiratio fit. Ab his quidem causis omnis fit respiratio, ac optima ipsis nihilo a naturali statu mutatis, & vitiata vel omnibus, vel aliquibus ex ipsis a naturali statu mutatis. Ex voluntariæ quidem motivæ facultatis observatione, naturæ quum robur tum imbecillitas nobis innotescit, non minusque ab instrumentorum respirationis, & utilitatis, seu usus notitia. Sed quomodo fiat respiratio, quibusque instrumentis ad ipsam agendam facultas utatur, ac ad respirationis utilitatem, Galen. *in* 1. *lib. de differ. respiration. cap.* 4. ita docuit: *facultas quædam animalis movet thoracem, quum hoc simul pulmo movetur, ad hujus vero motus ubi distenditur, sequitur inspiratio, ubi contrahitur, exspiratio.* Demonstratum etiam ibidem est, maximam & principalissimam respirationis utilitatem esse insitæ caliditatis conservationem, jam vero & animalis spiritus nutritionem. His itaque sic habentibus, siquidem facultas, & utilitas, & unumquodque organum recte ac prospere habuerint, juxta naturæ legem animal respirat. Si vero quid ex eis vitiatum fuerit, juxta illud etiam respirationem impediri necesse est: & hæc de causis respirationis in communi. Quibus præmissis ad singularium respirationum causas attingendas declinemus, sine quibus ex respiratione quicquam certi ad prædictionem habere non possumus. Exordiamur vero a simplicissimis respirationum differentiis, & primo a magna parvaque respiratione. Magna vero respiratio, ut Galen. *in eodem libro* docuit, ab urgente fit utilitate, & parva ab utilitate exsoluta, aut ab aliquo dolore partis, moventis thoracem. Ceterum cavendum est, ne decipiamur, nimirum ut magnam illam esse respirationem credamus, in qua plurimum pectus dilatatur, sed in qua plurimus spiritus attrahitur; nam quibus vel tumor, vel anguſtia sine flammeo calore, spiritalibus membris insidet, in his thoracis quidem dilatatio maxima est, id vero, quod inspiratur, parum est. Aliquando etiam maxime usu urgente, sed facultate exstincta fere fit maxime thoracis dilatatio, in qua aliquando moventur scapulæ, nares, quam spirationem sublimem, & phænomenam, idest apparentem, Medici appellant. Quare prudenter se gerere debent Medici, per magnam quidem respirationem ut non magnam thoracis dilatationem intelligant, sed in qua plurimus spiritus attrahitur, & contra parvam, in qua parum spiritus suspiratur, tametsi thorax maxime dilatetur

Singularium respirationum causæ

Respiratio magna unde.

Velox unde. ac diſtendatur. Velox vero reſpiratio fit & ipſa ab urgente utilitate, ſeu a magno calore, ac facultate ei ſervire potente, ideſt, robuſta, atque nullo organorum reluctante. Tarda a contrariis fit cauſis, utpote a diminuta utilitate, ac virtutis imbecillitate. Frequentem vero reſpirationem, aut dolorem, aut inflammationem ſupra ſeptum transverſum, Gal. quum *in* 1. *Epidem. comm.* 3. *text.* 18. tum *in tertio libro comm.* 3. *text.* 74. tum alibi teſtatum reliquit, quod ab Hippocrat. accepit, qui *in primo libro prognoſtic. pag.* 38. *lin.* 7. de frequenti reſpiratione ita habet: *Spiritus autem, qui creber eſt, ſignat dolorem aut inflammationem in regionibus, quæ ſupra præcordia ſunt*: quæ fit a dolore frequens ſeu denſa, ex dolore in parte affecta nobis innoteſcit: ab inflammatione ſimplici, phlogoſi Græcis dicta, perinde ſi dixerimus a flammeo calore, cognoſcitur ex eo, quod ſpiritus, præterquam quod denſus eſt, etiam calidus appareat. Addamus nos denſum ſeu frequentem reddi ſpiritum propter vel aliquam phlegmonem, aut humorem, aut tumorem, naturam gravantem, & anguſtiam inducentem, quæ quidem reſpiratio ſolet una cum ſtertore obſervari. Quæ vero longo intervallo fit, rara dicta, aut cordis refrigerationem, aut delirium ſignificat; atque hæ ſunt primarum ſimplicium reſpirationum differentiarum cauſæ, quibus tamen quicquam certi ad prognoſticum Medicis non oſtendi, Galen. *in primo de different. reſpirat. cap.* 22. nobis prodidit, quo loco docet, judicium fieri tantum oportere a compoſitis, ut poſſimus certum de ſalute ac morte ægrotantium ferre judicium. De compoſitarum vero reſpirationum cauſis ibi ita ſcripſit: *Itaque ad ſolas illas compoſitas reſpirandi difficultates animum intendere nos oportet, in quibus ſimplices quidem communes ſunt plurium affectionum, & ob id nihil certi indicant, conjugatæ vero aliis quibuſdam ad certum ac minime fallax diſcrimen veniant. Magnitudo enim reſpirationis ipſa per ſe reſpirandi difficultas quædam eſt ſimplex, verum nullius certæ cognitionis eſt ſignum, ſiquidem & urgente utilitate, & læſa mente fieri ſolet. At vero ſi cum denſitate conſiſtat, ingentem vitalitatem, ſi cum raritate, delirium indicat. Similiter autem & parvitas, ipſa quidem per ſe ipſam, aut dolore afflictam aliquam particulam, aut utilitatem exſolutam oſtendit. Itaque neque ipſa aliquid certi indicat. Quando vero componitur, cum denſitate quidem dolorem, cum raritate vero, facultatis exſolutionem portendit. Quin etiam ſi ipſam denſitatem per ſe ſolam aut raritatem in manus ſumas, ipſarum neutram per ſe inveneris quicquam certi ſignificantem, niſi hoc diſcrimen accedat, ut videlicet cum altera quapiam reſpirandi difficultatis ſpecie copuletur. Denſa enim ſimulque magna utilitatis augmentum indicat. Denſa vero ſimulque parva organi alicujus, quod cum reſpirationibus commovetur, dolorem: ipſa etiam rara, quæ ad deliria & perfrigerationes conſequitur, ſi quidem cum magnitudine fuerit copulata, prius ex prædictis, ſi vero cum parvitate, poſterius indicat, & ob id ſane omnium compoſitarum reſpirandi difficultatum hujuſmodi conjugationes utiliſſimæ ſunt, utpote & manifeſte & conſtanter unamquamque affectionem indicantes. Denſitas quidem cum parvitate, dolorem, cum magnitudine vero, utilitatis augmentum.*

Tarda unde.

Frequens unde.

Rara unde.

Reſpirationum compoſitarum cauſæ.

tum. Raritas autem cum magnitudine, delirium; cum parvitate, facultatis exſolutionem notat. Hactenus Gal. de ſimplicium compoſitarumque reſpirationum cauſis. Nunc ad æquales, ordinatas, & inæquales, & inordinatas deſcendamus, ipſarumque cauſas ſpectemus. Æquales enim, & ordinatæ reſpirationes fiunt a facultate vitali recte valente, nulloque inſtrumentorum ſervientium reſpirationi vitiato, aut quovis modo læſo. Veluti inæquales inordinatæque contrariis a cauſis efficiuntur. Non ſecus quam & pulſus inæquales inordinatoſque fieri diximus. Quarum quidem reſpirationum eadem eſt generatio, ut Gal. *in eod. lib. de differ. reſpir. cap.* 17. hiſce verbis tradidit: *Viſum eſt autem aliquando, raro tamen, non alteram tantum, ſed ambas totius reſpirationis partes in uno & eodem homine ita habere, & maxime hoc fieri, quum humorum copia in aſperis arteriis coacervata hominem ſuffocet ex pleuritide perniciosa, aut peripneumonia non expurgata, aut ſuppuratione iſtic conſiſtente, ita ut in hac parte reſpiratio cum pulſibus conveniat. Monſtratum eſt, & in illis propter obturationes organorum, compreſſioneſque, & omnino coarctationes inæqualitatem fieri.* Hoc idem etiam clarius ſcripſit *cap.* 19. ita dicens: *Quare omnium inæqualitatum, tum quæ ſecundum unam actionem, tum quæ circa plures ex ordine conſiſtunt, aut aſperarum arteriarum coarctatio, aut thoracis muſculorum aberrans motus, aut facultatis ipſam efficientis debilitas, cauſa fiet.* Ab iiſdem ipſis cauſis & inordinatæ reſpirationes, ſed ab aliis etiam quippe convulſis muſculis, moventibus thoracem; cujuſmodi eſſe videntur luctuoſæ ſuppurationes appellatæ, Gal. *in 6. Aphor.* 54. docente. Rythmum etiam reſpirationes quæ ſervant probam, continuitatem naturalis caloris ſignificant, veluti rythmum non ſervantes fiunt a coloris corrupta ſeu vitiata ſymmetria: Calidæ omnes reſpirationes a calore maxime aucto oriuntur, veluti a ſpiritu frigido exſpirato illum admodum defeciſſe, exilemque effectum eſſe declarant quippe frigidæ reſpirationes. De his Hipp. *in Prognoſt. p.* 38. *lin.* 10. *text.* 24. *Qui verofrigidus de naſo, & ore exſpiratur, admodum exitialis jam eſt*, quod emortuam facultatem, ſeu calorem exſtinctum, denotat. Sed caute eſt agendum, ne per reſpirationem frigidam intelligamus parvam & raram, cum & ipſa inſiti caloris refrigerationem ſignificet, ſed exſpirationem frigidam: atque ita de calida, ubi ex ore & nare calidum exſpiratur, & non, quæ magna & frequens eſt, tametſi calida & ipſa, quod magnum calorem denotet, dici poſſit, non tamen actu calida eſt, de qua Hipp. & Gal. intelligunt. Sed jam ſatis circa reſpirationum cauſas verſati ſumus, nunc de prædictione ab ipſis petenda ſcribamus.

CAP. VIII.

Quid bene, & male, ſpirare in morbis ſignificet?

Bene ſpirare in morbis quid ſignificet.

BEne ac recte ſecundum naturam ægrotis ſpirare ad ſalutem prædicendam perpetuo magni momenti eſſe, neminem latere, arbitror, Hipp. *in* 1. *Pro-*

Prognoſt. p. 38. *lin.* 11. *text.* 25. ita de hoc ſcripſit: *Spirationis autem facilitatem exiſtimari oportet perquam magnam vim habere ad ſalutem in omnibus morbis acutis, qui in quadraginta diebus judicantur.* Neque immerito quidem, quum, Galen. ita *in comment.* docente, *bona reſpiratio thoracem, cor, pulmones, ſeptum transverſum, pleuram membranam, & denique omnes partes ſervientes reſpirationi recte valere demonſtret: neque enim fieri poteſt, aliquo ipſorum membrorum reſpirationi ſervientium læſo, ut agroti naturaliter reſpirent.* Ex quo merito quoque Gal. bonam reſpirationem *in lib.* 1. *de Criſib.* inter bona ſigna recenſuit. Ceterum, ut a reſpiratione bona quicquam certi judicemus, duo alia quoque ſigna attendere debebimus quippe pulſus prævalidos, atque ægrotos recte ſe habere ad omnia, quæ illis offeruntur. Hæc enim tria ſigna, ſimul obſervata, quippe ægrotos recte ac ſecundum naturam reſpirare, bene ſe habere ad ea, quæ illis offeruntur, atque demum ubi pulſus ſatis robuſti apparent, magni momenti eſſe ad ſalutem prædicendam, Gal. *in* 3. *lib. Epiaem.* memoriæ prodidit. Hisque hæc ſigna, vel etiam in moribundis, ſalutis ſpem indicaſſe, non raro vidimus. Quare recte ſpirare in omnibus acutis morbis, bonum eſt, atque contra, malum; quod neceſſario ſignificetur, aliquod organum reſpirationi deſtinatum non recte valere: non tamen exitium hoc ſolum ſignum exprimere poteſt, ſed una cum aliis exitialibus, omniumque certiſſimum exitium præſagit, ſi una ægrotus cibum abhorreat, non ſitiat, tametſi lingua præarida maximeque exuſta ſit, cum peſſimis excrementis, pulſuſque prælangueſcant, ſatis tuto ex his mors præſagiri poterit. Quare reſpiratio mala, ſemper mala eſt, tametſi non ſemper in acutis morbis letalis; peſſima vero, ubi cum peſſimo aliquo ſigno apparet, & plus ſi cum multis. De quibus Hippoc. *in* 4. *lib. Aphoriſ.* 50. ait: *In febre non intermittente, ſi ſpiritus difficultas acciderit, & deſipientia, letale eſt.* Ceterum dicet Lector, quales malæ reſpirationes exiſtunt? Cui has eſſe reſpondebimus, quippe magnam raram, parvam frequentem, quam in moribundis Hipp. conſuevit dicere breviſpiram, ſpiritum exilem, ſpiritum imminutum: peſſimæ quoque ſunt, quæ cum ſtrepitu thoracis ſpectantur, veluti quomodo hi reſpirant, qui ex ſubmerſione ſpirant, hæque obſcuræ, ſtertoroſæ, interruptæque dicuntur, de quibus Hipp. *in eod. lib. Aphor.* 68. ſcribit: *In febribus ſpiritus offendens, malum; convulſionem enim ſignificat.* Per quem ſpiritum offendentem, Gal. auctore in ejus Aph. comm. intelligit ſpiritum, qui medio ſui interruptus ſubſtiterit; luctuoſæ itidem reſpirationes peſſimæ haberi debent, quod Hippocr. *in* 6. *lib. Aphoriſm.* 54. nos docuit. Omnium peſſimæ, quæque in moribundis obſervantur, ſunt frigidæ, quippe quum ex naribus ac ore frigidum exſpiratur: demum ſublimes, obſcuræ, urgentes, quem ſpiritum *in lib.* 2. *coac. præſag. text.* 260. ita expreſſit, dicens: *Peſſimus autem morti propinquus, extendens, urgens, & obſcurus*: quibus verbis intelligit, primo ſpiritum ſublimem & phænomenon, ſeu apparentem appellatum, in quo pectus maxime diſtenditur, atque aliquando ſcapulæ, & pinnæ narium naſi moventur, quod vero inſpiratur, ita parum eſt, ut vix ſenſu percipiatur, denſiſſimum tamen eſt propter urgentiſſimam caliditatem: atque hæ ſunt malæ reſpirationes, de quarum quidem

Male ſpirare in morbis quid ſignificet.

Reſpirationes quanam malæ.

dem Prognoſtico ſigillatim a nobis erit agendum, ut accuratius ab ipſis ſingulis prædictionem aſſequi quiſque ſtudioſus poſſit.

CAP. IX.

Quid reſpiratio magna velox, magna tarda, parva velox, parva tarda, & magna frequens, magna rara, in morbis ſignificet?

Reſpiratio magna velox quid in morbis ſignificat.

MAgna & velox reſpiratio, quamquam in corporibus, ut Galen. ſcribit *in lib.* 1. *de difficult. reſpir. cap.* 20. plurimum fuliginoſorum excrementorum adeſſe declarat, facultatem tamen integram eſſe, viribuſque potentem, nullumque organum ex reſpiratoriis vitiatum denotat, ſiquidem magna ſimulque velox fit, ſi utilitas urget, & organa ſint promta, & facultas integram ſanitatem ſervet, ſimiliter autem, & magnam ſimulque tardam in delirantibus fieri, nuper oſtendimus, ſic & parvam ac velocem, quibus eſt congregatum fumoſum excrementum, & dolet ſimul aliqua particula, quæ circa reſpirationem movetur, aut quæpiam inflammatio; ut Hippocrat. 1. *Prognoſtic. pag.* 38. *lin.* 7. *text.* 24. & Galen. *in* 3. *Epidem. comm.* 3. *tex.* 74. de Pythione *Lib.* 3. *Epidem. pag.* 1098. *Ægr.* 3. qui ſuper Herculis fanum, docent, parvam ſimulque tardam iis fieri, quibus nullum fumoſum excrementum eſt coacervatum, cum dolore, ut dictum eſt, alicujus organi ex reſpiratoriis, aut inflammatione: hæ duæ differentiæ reſpirationis cum malis ſignis plus duabus prioribus ſunt timendæ, quod facultatem prælanguidam, aut exſolutam, aut denique partem quampiam thoracem moventem dolere, denotent. Magna & velox reſpiratio plurimum fuliginum, & incendii, ſed cum facultate integra, & forti ſignificat. Quæ vero ſimul & tarda melior eſt, quum ipſa ad recte valentem plus accedat, integramque & fortem facultatem, ſine calore multo & abſque fumoſis excrementis. Hæ omnes cum aliis ſignis erunt a Medicis ſpectandæ, & ex ipſis ſimulque cum aliis, quæ illuxerint, judicium deliberari. Sed ad magnas ſimul frequentes reſpirationes, & ad magnas ſimul & raras declinemus, quum ab ipſis præſagiendi ratio magis illuceat. Magna reſpiratio, & ſimul frequens ea eſt, in qua plurimus ſpiritus trahitur, & calidus, & fervens ex ore & naribus efflatur. Quæque fit aut, uti docet Hippoc. *in* 1. *Prognoſtic. text.* 24. (*Vide loc. modo allegat.*) quod aliqua pars ex reſpiratoriis ſeu thoracis inflammationem aut dolorem patitur. Cujuſmodi ſunt cor, ſeptum tranſverſum, pulmones, aut pleura membrana, aut muſculi etiam thoracis: nam hæ partes dolentes, ac inflammatæ, quod non, ut opus eſt, dilatentur, ſpiritum frequentem ſeu denſum fieri neceſſe eſt. Signant vero ex magnitudine cum facultatis robore hæc fieri. In quo non levis ſalutis ſit ſpes. Quæ vero cum magnitudine etiam raro fit, nobis in acutis morbis delirium ſubeſſe declarat. De quibus quidem Hippocrat. *in primo Prognoſticorum pagin.* 38. *lin.* 8. *text.* 24. ita ſcripſit: *Qui vero ſpiratur magnus multoque interpoſito tempore, delirium indicat.* Sed quomodo

Magna & tarda.

Parva & velox.

Parva & tarda.

Magna & frequens.

magnum ſpiritum intelligemus? an ubi magna thoracis ſit dilatatio? nequaquam magna thoracis dilatatione magnam fieri reſpirationem obſervamus, nam, ut umquam dictum eſt, quibus vel tumor, vel anguſtia ſine flammeo calore ſpiritalibus membris inſidet, in his thoracis quædam dilatatio maxima eſt, id vero quod inſpiratur parum eſt. Ex quo magnam dicimus reſpirationem magni inſpirati aeris, atque inſpiratarum fuliginum multarum, ratione. Quod vel ipſe Hipp. expreſſiſſe viſus eſt, quum dixerit, qui vero ſpiratur magnus, quæ de ſpiritu, qui effertur, magnitudinem intelligendam denotant, minimeque de thoracis dilatatione. Addamus in differentiis reſpirationum ſublimem ac phænomenam vocatam reſpirationem, in qua maxime thorax dilatatur, parvam atque exilem eſſe, ex Gal. conſtare. Quare dicatis ſpiritum magnum & rarum delirii nobis eſſe ſignum? Gal. *in lib. 2. de difficult. reſpir.* uberiori ſermone demonſtravit hoc verum eſſe, quippe hujuſcemodi reſpirationem delirium ſignificare. Verum non exinde neceſſarium, ut omnes, qui delirant, eo modo reſpirent, fore dicamus; quando hæc fieri ſimul poſſint, quippe delirantes ut ſimul anguſtiam thoracis, vel dolorem ſentiant, vel virium languorem. Quæ omnia in ipſis quidem deliris parvum atque rarum ſpiritum efficiunt. Omnes vero, in quibus magnus & rarus fit ſpiritus, delirare non erit dubitandum. Cujuſmodi in Philiſco, Sileno, uxore Dromeadai, atque in aliis ab Hippocr. fuit obſervatum. At quid ad prognoſticum hac reſpiratione? magni ſemper ad id erit momenti, idque præſagiet, quod delirium perpetuo malum eſt, non tamen ſemper exitiale, ſed ſolummodo ubi una alia ſigna prava & letalia illuxerint, quæ cum reſpiratione in Philiſco, Sileno, uxore Dromeadai, adoleſcente Mœlibeæ phrenitico, illuxerunt. De Philiſco, Hipp. *Epid. lib. 1. Ægr. 1. pag. 966. text.* 18. ita habet: *Spiritus huic erat perpetuo quaſi revocatus, rarus & magnus. Lien in tumorem rotundum elatus erat: ſudores perpetuo frigidi, acceſſiones diebus paribus.* In hoc ſudores frigidi, ut ſuis locis demonſtrabimus, fuerunt ex ſignis exitialibus. Et de Sileno *ibidem Ægr. 2. p. 969. A primo hic ad finem uſque ſpiritum magnum habuit & rarum, & hypochondrii perpetuam palpitationem*, quæ in proceſſu fuere letalia, quippe primo inter initia urinæ nigræ cum nigro ſedimento, delirium, dejectiones pingues, ſudor capitis ſexto die, extrema frigida lividaque, atque alia, quæ cum illa reſpiratione magna ac rara, miſerum Silenum nedum delirum eſſe, ſed certe moribundum, proculdubio denotabant: & de uxore Dromeadai *Ibidem Ægr. 11. p. 987. Sexto mane riguit, cito percaluit toto corpore, ſudavit, extrema membra frigida, deliravit, ſpiritus magnus & rarus. Paullo poſt convulſiones a capite cœperunt, ſubito obiit.* De adoleſcente vero Moelibeæ *Epidem. lib. 3. Ægr. 16. p. 1117. ſpiritus rarus & magnus per intervallum. Hypochondrii contentio ſubmollis ex utriſque oblonga, perpetua cordis palpitatio, reddidit urinam oleoſam.* Sed age de aliis reſpirationum differentiis agamus, præſertimque de parvis.

Magna & rara.

CAP.

CAP. X.

Quid respiratio parva frequens, parva rara, significet?

PArvum spiritum Gal. *Epidem. comm.* 3. *text.* 74. appellat exilem, atque imminutum, atque etiam obscurum, vix enim respirare ægrotos videmus. Hujusmodi respiratio perpetuo mala est, ut quod propter caloris nativi, seu naturæ exsolutionem fiat: quæ si etiam frequens sit, ut Galen. docet eodem in loco dolorem signat, vel inflammationem supra septum transversum. Sed auctor Coacorum præsag. *Text.* 260. ait: spiritum frequentem inflammationem & dolorem in locis principibus significare. Hujusmodi respiratio in acuto morbo maxime est timenda, & plus ea etiam, si post magnam quidem respirationem fiat. Nobis sane denotat, aut naturam resolutam esse, ut dictum est, aut principem aliquam partem maxime lædi aut dolore aut inflammatione, aut utrisque simul vexari: judicium vero ex sola hac respiratione certum non erit, nisi fuerit aliis signis confirmatum. Plures enim fuere ita in acuto morbo respirantes, qui incolumes evasere. Sed ubi alia signa illuxerint prava, proculdubio ex ipsa exitium erit timendum, omniumque maxime, si e frequenti parva evaserit, qualis postremo in tabidis solet observari: frequens itaque & parva cum pravis signis, letalis est. Qualis ab Hipp. *Epidem. lib.* 4. *pag.* 131. *text.* 28. in sorore *Temenei* fuit observatus: in qua die decima sexta spiritus gracilis factus est & densus, & mortua est. Sed age de parva & rara agamus. Quæ omnium fortasse est pessima, quod naturam viribus exsolutam morbo succumbere nobis declaret. Ex quo hunc spiritum Medici frigidum merito appellant, quia summum frigus & naturæ exstinctionem ostendit, quod Galen. *in* 3. *Epidemiorum comm.* 3. *text.* 74. ita meminit: Parvum esse quemdam pariter & rarum spiritum, qui quum refrigeratur, emoritur jam vitalis facultas, & hoc symptoma esse quoddam admodum letale, hisce verbis expressit: *Hippocr. Prognost. p.* 38. *lin.* 10. *Si frigidum è naribus exspiretur, exitiale jam est admodum.* Cujusmodi fuit observatum in *Pythione, lib.* 3. *Epidem. Ægr.* 3. *p.* 1098. moribundo, atque in aliis, ab Hippocrate. Sed his perspectis respirationum judiciis, breviter eas omnes perstringamus respirationes, quæ in moribundis solent observari.

Respiratio parva & frequens in morbis quid significat.

Respiratio parva & rara.

CAP. XI.

De respirationibus exitialibus, quæ in moribundis fiunt.

DE respiratione rara & magna, magna & frequenti, parva, frequenti & rara, quomodo aliquando exitium portendant, satis dictum est: nunc reliquum, ut exitiales adnumeremus, cujusmodi est, frigida, sublimis seu Phœnomena appellata, stertorosa, quæ cum strepitu fit, & aliquando luctuosa & interrupta. De frigida omnium exitialissima, quæ non-

Respirationes exitiales.

Respiratio frigida.

niſi in proxime moribundis attenditur, Hippocr. *in lib. 6. Epidemiorum; comment. 4. text. 27. pag.* 1181. ita habet: *Signa mortifera per cutem, nares, calidus vapor, ſi prius frigidum ſpiritum reddunt*: quæ melius Galen. hiſce verbis expreſſit: *Maxime ſigna mortifera, per cutem calidus vapor exiens poſt frigidum ſpiritum, prius exſpiratione egreſſum. Sed calido vapore exſpirato per nares & per cutim, non in omnibus mors exit prædicenda.* De quo quidem Galen. ibidem ita ſcripſit: *Illis enim ſolis id evenire comperies, quorum mortem calidiſſima febris anteceſſit, quæ corpus ipſum totum torruit, atque ideo poſtremo ipſum refrigeravit.* Vitali ergo tenore, moriente jam corde, evaneſcente, in aliis quidem ſudores ſyncopen inferentes proveniunt, multis ſcilicet humoribus pleno corpore; illis autem, qui ex præfervida febre antea exaruerunt, pro ſudoribus calidus vapor tangenti tibi difflari videbitur; hinc in *Coacis præſagiis Text.* 160. merito ſcribitur: *letalis autem eſt & febrilis & fuliginoſus, verum minus quam frigidus*: ex quo Medici tria mortifera ſolent hæc vocare, quippe febrem urentem: frigidam exſpirationem cum raritate: atque tertio vaporem in cute calidum, aliquando ſudorem ſeu madorem, qui in febribus mortem prænuntiat. Obſcuram quoque reſpirationem, ut quando vix reſpirare ægroti dignoſcuntur, perinde atque frigidam eſſe exitialem, de qua quidem, ubi de parva & rara egimus, ſatis dictum eſt. Ceterum per obſcuram reſpirationem intelligimus eam, quæ fit, ubi vix aliquis ſpiritus ex ore & naribus exſpiratur. Nam fieri poteſt, ut obſcuriſſima ſit, & tamen manifeſtiſſima omnibus appareat, ubi ſcapulæ, thorax, nariumque pinnæ ad ſpirationem moveantur, quam reſpirationem ſublimem & phænomenam, id-eſt, apparentem, Medici merito appellant, tametſi pauciſſimus ſpiritus exſpiretur, & hac ratione ſit obſcuriſſima. De qua *in 2. Coa. præſag. Text.* 260. ſcriptum eſt: *Peſſima autem & morti propinqua, extendens, urgens, & obſcura.* Sed jam de ſtertoroſo, & qui cum ſtrepitu fit: intelligimus autem per ſtertoroſum ſpiritum, quando inter reſpirandum ſentitur in gutture quædam veluti ebullitio, aut ſtrepitus, nimirum ſtertor, hoc eſt, cujuſmodi fit in ſtertentibus. Hic ſtrepitus, ſeu ſonus, ſeu ebullitio latinis, Hippocrat. vero ῥάγος atque ῥόγξις & alias κίρχνος dicitur. In acutis morbis perpetuo ante exitium per diem, & parum plus, hic fervor gutturis in multis auditur. Indicat enim plane facultatem exſtinctam, ut neque valeat a faucibus excrementa expellere; in aliis vero, pectoris morbis laborantibus, uti in pleuriticis, peripneumonicis, fit ſtertor ille propter anguſtiam, aut ſputi retentionem, quum & ſpiratio eſt parva, & non raro orthopnoica, id-eſt, maxime difficilis. Proprium eſt fere omnium morientium, ut ante exitium eum fervorem, ſeu ſtertorem, patiantur; ſed omnium maxime, pleuriticorum, & peripneumonicorum, ſuppurationumque. Quibus omnibus fervor, ſeu ſtertor ille, antequam moriantur, fit: eſt itaque unum ex letalibus ſignis. Sed accurate tamen diſtinguendum, quo tempore incipiat, aut in morbi principio, aut poſtea ingrave.

Obſcura.

Stertoroſa.

graveſcente morbo; nam ſi exitioſum eſt, numquam apparet priuſque alia illuxerint ſigna exitialia. Cujuſmodi viſum fuit in *Antiphonis filio* pleuritico, *Epidem. lib. 7. text. 28. p. 1217.* atque in *Menone* pleuritico. De Menone enim pleuritico Hippoc. *in lib. 7. Epid.* text. 47. *p.* 1220. habet: *Die decimaſexta, ſpiritus jam ſtertoroſus, ſudor circa frontem & cervicem, raro ad pectus, extrema & frons moderate perſeverabant frigida, ſaltatio vero venarum circa tempora detinebat, Somni comatoſi & nocte & die poſtremis temporibus.* Quare ſtertoroſus ſpiritus in morbis acutis plerumque eſt pernicialis, omniumque certiſſimum, ubi ſigna letalia ſimul, aut antea, illuxerint, cujuſmodi ab Hippoc. in *Menone* pleuritico fuit obſervatum; in quo præter alia ſigna, ſudor circa frontem & cervicem apparuit, quem Hippoc. *in Prognoſt. p.* 38. *lin.* 21. letalem in acutis morbis eſſe affirmavit, & extremorum perſeverans frigiditas, quo nihil pernicioſius. In principio vero pleuritidis & peripneumoniæ, & febris (ut vocant) catharralis, quæ catharrum ſequitur, vel una cum ipſo fit, aliquando ob excrementorum multitudinem, ſeu (ut dicunt) ob catharri defluentis ad fauces atque ad pectus copiam, non letaliter ſtertunt; non ſecus quam aſthmatici & orthopnoici multi, qui poſtea humore aut excreto, aut reſoluto, liberantur. Ceterum in his ſtertorem non letalem a letali diſtinguemus, quod hic nedum incipiat, ſed indies magis morbo quippe augeſcente augeatur, & magis ſentiatur. Hic enim prorſus letalis eſt, neque aliquo letalium ſignorum carebit. Ille vero, quum in principio ſtertere incipiunt, & paullo poſt augeſcente morbo, aut humore multo per tuſſim excreto, aut ab igneo calore febris conſumto, ſtertor amplius non accenditur, & fit ex multitudine humorum, neque admodum timendus ſtertor ille eſt, præſertim ubi ex ratione deſierit. Verum ille, qui in principio, licet ex multitudine catarrhi, factus non ceſſat, ſed indies magis augetur, pernicialis utique eſt, quod naturam multitudine humorum gravatam, & oppreſſam ita eſſe, ut nequeat excernere excrementa, & quaſi exinde ſuffocari, nobis certo ſignificet. Cujuſmodi in *uxore Polemarchi* Hipp., ut *ex lib. 5. Epid. Text. 62. pag. 1156.* colligitur, vidit, de qua ait: *Circa quintam genu dolor, tumor ſiniſtri, & circa cor videbatur aliquid eſſe collectum, & reſpirabat, ut qui ex ſubmerſione reſpirant, & ex pectore ſubſtrepebat. Quæ obiit die ſeptima. Antiphonis* itidem *filium* ſuppuratum Hipp. *in 7. Epid. text. 28. pag. 1217.* ſcripſit, cum ſtertore obiiſſe. Cui addamus, quod Hippoc. *in 1. Prorrhet.* 25. ſcripſit: *Spirituſque in aphonia veluti his, qui ſtrangulantur, promtus, pernicioſus.* Atque hæc de ſtertoroſa reſpiratione, quam *regmon* & *cerehmon* quoque aliqui appellant. Nunc de ſublimi, atque phænomena, ſeu apparente appellata, quæ nonniſi in moribundis quoque apparet. Vocant hunc ſpiritum alii ſublimem, alii phænomenon, ſcilicet apparentem, alii promtum, aliique perperam magnam reſpirationem dicunt, quod thoracem maxime dilatari & moveri obſervemus. De qua Gal. *in 1. Prorrhet.* ita habet: *Strangulantur jure optimo, quoniam aeris copia non fit*; eſtque ipſi conſuetudo, ut talem ſpiritum Phænomenum, ideſt, apparentem, dicat. Videntur autem omnes talem inſpirationem habentes ſcapulas movere

Sublimis atq; phænomena.

totas, ita, ut per veſtimenta motio conſpicue appareat, tamquam valide ipſi ſuperioribus thoracis partibus operentur; μετεώρον itaque, apparentem, at ſublimem ſpiritum vocavit, quoniam, qui ita reſpirant, altiores ſublimioreſque thoracis partes movere videantur, addidit hujus reſpirationis cauſſas, ita dicens: *Poteſt ſane reſpiratio hujuſmodi fieri & propter reſpirationi delegatorum inſtrumentorum anguſtiam, & ob affectum nervorum principium. Quod ſi læſum fuerit, magnam efficere reſpirationem, recte Hippocratem exiſtimare, oſtendimus; rectius dixiſſet, non magnam reſpirationem, ſed magnam thoracis dilatationem, ex quo decepti quidam hanc falſo magnam reſpirationem appellant, etſi in hac parum exſpiretur.* Addamus nedum hanc Galenum, & Hippocratem dicere ſublimem reſpirationem, ſed vel etiam, quando, & pinnæ, ſeu alæ narium muſculique circa ſcapulas manifeſte moventur, quæ reſpiratio fit in acutis morbis propter virium abſolutam infirmitatem, aut proſtrationem. De qua reſpiratione Galen. *in lib. 3. Epidem. text.* 24. ait dicens: *Equidem illas eum reſpirare puto ſignificare ſummis naribus, qui reſpirando narium pinnas movent, ſiquidem multos nos ægros ſic vidimus ſpirare, ut eas in exſpirando contraherent, inſpirando vero dilatarent.* Quod quidem incidit iis, qui ab angina ſuffocantur, vel a peripneumonia vel ſuppuratione, præterea iis, qui infirma ſunt facultate, idque fiebat, quod ex arteriæ inflammatione præcluſum eſſet viæ ſpatium, nec jam ſpiritus attractio poſſet in pulmonem fieri, & propterea compelluntur, ut, qui ita ſuſpirant, continue omnique thorace peragant reſpirationem, contenduntque etiam qui ſuffocantur exſurgere, & toto thorace extremum aerem magna vi attrahere; ex quo forte etiam Hipp. ſpiritum ſublimem vocavit, quod ſublime ægri velint ſe erigere, atque hæc ſublimis reſpiratio anginoſis, pneumonicis, ſuppuratis; atque has habet cauſſas. In aliis vero morbis acutis, in quibus ægri non ſuffocantur propter anguſtiam inſtrumentorum, reſpirationi deſtinatorum ſummis naribus reſpirare aliam cauſam habet, quam Gal. *in 1. de diffic. reſpir. cap.* 23. ſic habet: *Quod ſi quis ipſius reſpiratoriæ facultatis ægrotantis, atque in communi, omnis facultatis animalis, propria ſigna habere velit, & maxime perfrigeratum is alarum naſi motum habebit, & omnium muſculorum circa ſcapulas actionem & coacervatam thoracis collapſionem.* Quando enim hæc debilius, quam convenit, movetur, circa inſpirationem quidem ſpiritus ductum juvant alæ naſi, externum aerem etiam ipſum ſimul attrahentes eodem modo, quo per os aliquid attrahere volentes, labia contrahimus; rurſus vero circa exſpirationes coacervata fit thoracis collapſio, non paullatim demiſſio. Quare ex iis ſtatuamus reſpirationem ſublimem, quomodocumque fit, perpetuo letalem eſſe, aut quod ſummam inſtrumentorum reſpiratoriorum anguſtiam, ex qua natura ſuffocetur, aut virium ſeu naturæ abſolutiſſimam infirmitatem ac exſtinctionem denotet. Ex quo nonniſi in moribundis apparent. Verum exitialia alia ſigna, antea aut ſimul aut poſtea apparentia maxime confirmantur, quum ea reſpiratio numquam ſine aliquo ſignorum exitialium appareat. Hanc intelligens etiam auctor. 2. *Coac. præſ. ſect.* 2. *text.* 260. dixit: *Peſſima autem & morti propinqua, extendens, urgens,*

obſcu-

obſcura. Diximus tamen, etſi ſolum hoc ſignum mortem certam ſignificet, perpetuo ipſum alia exitialia concomitari. Uti in *uxore Olympiadis* Hipp. vidit, de qua *in lib. 7. Epid. text. 49. pag. 1221.* ita habet: *Oculi triſtes, ſpiritus ſublimis per nares trahebatur, color pravus, ſudor circa pedes & crura, quum jam circa mortem eſſet*. Non minus & in *Ariſtocrate* moribundo hæc viſa ſunt, de quo Hipp. 7. *Epid. text. 52. pag. 1222.* paullo poſt ſic ſcripſit: *Ad noctem ſpiritus ſublimis eſt factus, ſudor exiguus circa frontem, infernæ partes frigidæ, anxius*. Addamus reſpirationem luctuoſam, ſed parvam & raram, quæ ex exitialibus quoque eſt reſpirationibus, ut ex Hippoc. *in 6. Aph. 54.* ita legitur: *In acutis paſſionibus, quæ cum febre ſunt, luctuoſa ſuſpiria, malum*: eodem modo & interrupta, exitialis eſt, quæ forte eadem eſt cum luctuoſa. Quod & Gal. nuper propoſiti aphoriſmi commentario affirmare videtur, quum dicat: *Infantes ſæpe videntur, quo plorant, tempore inſpirantes, inſpiratione interrupta, ſtante interim thorace, deinde rurſus id quod deeſt, adjiciente*: accidit hoc nonnumquam, ut ait Gal:, potentia fatigata, nonnumquam ex duritie inſtrumentorum, nonnumquam vero ambabus cauſis ſimul convenientibus, ſed & aliquando propter aliquam muſculorum pectoris ſimilem convulſioni diſpoſitionem. Quæ vero in febre acuta ſit, luctuoſa & interrupta reſpiratio, alias cauſas habet, ut Galen. placuit, quippe aut duritiem inſtrumentorum, vel virium imbecillitatem, vel convulſioni ſimilem diſpoſitionem; quicquid vero horum in cauſa ſit, pravum eſt, ſi in morbo acuto contingat; maxime pernicioſum, ſi cum virium languore ægri ita ſpirant. Sed hujuſmodi reſpiratio etiam una exilis eſt, & duritiem quoque aut diſpoſitionem convulſioni ſimilem habet in acutis ardentibuſque febribus, & perpetuum prava dicitur. Non minus quam convulſiones, ſiccatis partibus nervoſis ab ea cauſa, exitioſas merito eſſe antea monſtraverimus. De qua ſpiratione Hippoc. *in lib. 4. Aph. 68.* dixit: *In febribus ſpiritus offendens, malum. Convulſionem enim ſignificat*: quæ a ſiccitatibus in calidiſſimis morbis concitatæ, curabiles non ſunt. Ex quo etiam letales eſſe in morbis acutis ſuperius nobis fuit demonſtratum. Ut vero ex ipſis recte de futuro morborum exitu prædicere queamus, alia ſigna quum antea, tum ſimul poſteaque conſpecta, erunt conſulenda, quorum nulla ſi prava erunt, ad perniciem judicium pendebit. Atque hæc ſunt, quæ ex vitalis facultatis actionibus, ad morborum prognoſin depromta conducunt. Nunc idem ex naturalis facultatis actionibus eodem modo perſcrutabimur.

Luctuoſa.

CAP. XII.

Quæ a naturalis facultatis cognitione ad intelligendam præſagii rationem ſit utilitas?

AD naturalis facultatis robur, impotentiamque cognoſcendam nunc etiam declinemus, quum ipſa ceteris aliis ad prædicendi rationem non minus ſit utilis. Aliæ quidem facultates, animalis quippe ac vitalis, a natu-

rali videntur procedere; quum ipſa materiam cordi cerebroque ſubminiſtret; a qua vitales in corde, animales in cerebro, vocati ſpiritus generantur. Præterea excrementorum in ægrotis corporibus, plurimum ad præſagii rationem facientium, cauſa ad naturalem facultatem maxime attinet: itaque de hac ipſa quidem facultate, noſtro quippe ordine ſervato, accuratius in præſentia eſt agendum. Quod ut probe fiat, videndum primo eſt iſtius facultatis robur ac impotentia, ex quibus nobis innoteſcat. Scimus vero ipſius vim a variis facultatum operibus, quæ propriis actionibus obeuntur, cognoſci. Tres ſunt actiones præcipuæ facultatis naturalis, ut Galeno viſum eſt *in libro naturalium facult.* quippe *generativa*, *augmentativa*, & denique *nutritiva*. De hac magni intereſt, ut ad prædictionem aſſequendam agamus; de aliis vero duabus nequaquam, quum ad inſtitutum noſtrum parum, aut nihil faciant. Ad nutritionem itaque corporum, partiumque ipſarum agendam omnium quatuor naturalium actionum, quippe *attractricis*, *retentricis*, *concoctricis* ſeu *alteratricis*, atque demum *expultricis*, opera requiritur, ſeu iſtarum omnium operatione nutritio omnis in corpore perficitur. Proinde ex ipſarum operatione apparet, ſeu cognoſcitur, quanta in ipſis ſit vis, aut impotentia, aut exſtinctio, vel denique vitium. Ex quo naturalem facultatem, aut viribus potentem, aut vitiatam, aut aliquo pacto deficientem, aut denique prorſus collapſam & exſtinctam, cognoſcimus. Quæ cognitio, quantum ad prædictionem ſalutis & exitii in morbis, Medicis conducat, ex iis, quæ ſuperioribus libris dicta ſunt, liquido cuique noſtrum conſtabit. Sed age, rem ipſam aggrediamur, ab appetentia ciborum & potus in ægrotis principium facientes.

Naturalis facultatis robur & impotentia unde innoteſcit.

CAP. XIII.

De appetentia ſymptomatis ad prædicendi rationem.

NAtura, ut docuit Gal. *in primo lib. de ſymptom. cauſ. Cap.* 7. animalibus alimenti penuriæ ſenſum eſt impertita, ut ipſo ad cibum potumque proritata in tempore expleantur: vocaturque ejuſmodi implendi deſiderium, *appetentia*, quæ a penuriæ ſenſu ortum habet, quum ſcilicet venæ ab ipſo ventriculo veluti emulgentes ſugenteſque aliud trahunt, non ferens autem eum ſuctum ventriculus, ſed veluti offenſæ medelam cibum comparat, quippe venæ hoc pacto ad objectos cibos converteruntur, atque ex his nutrimentum trahunt. Fitque poſt cibi conſumtionem, ut venæ ſimul ad cibos ſe convertant, & ventriculus ex iis, quantum prius in venis collectum eſt, in ſeipſum trahat. Duplex vero dicitur appetentia, quippe cibi una, quæ *fames* appellatur, altera potus, *ſitis* & ipſa vocata. Cibi vero appetentia alimenti, ſitis humoris fit inopia. Dividitur quoque appetentia utraque in eam, quæ eſt naturalis, ac in non naturalem. Illa perpetuo ex alimenti penuriæ ſenſu excitatur, innaturalis vero eſt, quæ præter naturæ fit deſiderium. Cujus quidem ſymptomata, auctore *Galeno in lib. de different. ſymptom. Cap.*

Appetentia duplex.

Appetentiæ innaturalis ſymptomata.

4. vel

4. vel in actionibus non obitis, vel male obitis consistunt; in non obitis aut quum prorsus non appetunt, aut parum & pauca quidem. In male obitis sunt immoderatæ appetentiæ, & ubi quicquam vitiosum appetunt. Ex quibus fit, ut quidam nedum nullos cibos appetant, sed quinimmo, ut quosvis cibos ita abhorreant, & odio habeant, ut mori malint, quam cibum aliquem assumere, quod Gal. *in lib. 3. Epidem. Com. 3. in text.* 58. multis contigisse, tradidit. Aliquando non ex toto appetitu privantur, quod detegit aliquis cibus, quem ipsi non abhorrent. Nihil vero appetentiæ adesse, vel ex eo scimus, quum ægri prorsus omni careant appetitu, quicquamque nequeunt imaginari, quo appetitus excitetur: de quibus Hippoc. *in eodem lib. Epidemior. lib. 3. sect. 2. Ægr. 6. pag.* 1074. de virgine *Euryanactis* filia moribunda scripsit: *Quosvis cibos toto hoc tempore fastidivit, neque appetivit quicquam. Non sitiit, & nihil effatu dignum bibebat.* In similem vero inappetentiam veniunt ægroti, aut, ut *Galen.* docuit *in 3. Epidem. com. 1. text.* 11. quando os ventriculi ab aliqua humorum aliena qualitate afficitur, aut propter insignem plethoram, seu plenitudinem, ex qua nulla in ventriculo fit consumtio, neque sensus suctus ullius in ipso sentitur, aut denique, quod in acutis morbis plerumque evenit, propter ipsius facultatis exstinctionem, cujus erat in secunda valetudine munus, indigentiam alimenti sentire. Ceterum nos interstinguere debebimus veram exstinctionem facultatis, quæ sæpe in delirantibus quibusdam observatur, qui quosvis cibos etsi abhorrere videantur, tamen id ex delirio, non ex facultate diminuta fit. Quemadmodum ii, qui etsi intensissimum calorem sentiant, quo maxime sitiunt, tamen potum non postulant. Quam rem Galen. *in eodem tertio Epid. Com. 1. text. 11.* ita expressit, dicens: *Nam, quoniam sitiunt, nec potum appetunt quidem in morbis, vel propter delirium non sentiunt, quæ patiuntur, aut propter exstinctionem naturalis in ventriculo facultatis, si id citra delirium habeant, facultatem relinquetur eorum naturalem exstingui.* Vitiatur vero appetentia cibi & potus quum in quantitate tum in qualitate. In quantitate vitium appetentiæ inesse cognoscitur, quum ægroti plus quam ipsis conveniat appetunt, quippe qui copiosius, quam ferat ventriculi facultas, cupiunt, atque devorant, idque aut ex humore frigido, aut ex frigiditate ventriculi fieri, Galen. *in lib. 6. Epidem.* nobis tradidit, qua ratione frigus appetentiam augere dixit. Ex quo frigidiorum ventriculorum proprium esse Galen. *in libr. artis medicin.* docuit ut plus appetant, quam concoquere possint; idem & de potu quum immoderatius potui indulgent præ multo febrili incendio, aut ex humore salso, aut bilioso, os ventriculi occupante. In qualitate etiam ciborum & potuum vitiatam habere appetentiam dicuntur, qui alienam quum in cibo, tum in potu, qualitatem desiderant, & appetunt, ut quædam uterum gerentes mulieres propterea sunt, quæ carbones, aliæ terram, aliæ calcem, & aliæ lunæ flores avidissime appetant & esitent: quidam vinum ardentius, quod in multis pleuriticis observari solet: ex quo vini desiderio plures, vel etiam mulierculæ, ægroti pleuritici esse suspicantur, alii libentius aquam, quidam omnia calida, alii actu frigida, exposcunt. De harum vero vitiatarum

Appetentia cibi & potus, quomodo vitiatur.

tarum appetentiarum caufis Gal. *in primo lib. de ſympt. cauſ.* perbelle ita ſcripſit: *Vitioſæ appetentiæ, quæ in quantitate modum excedunt, vocanturque a quibuſdam caninæ, tum exſiſtunt, vel quum acidus quiſpiam vitioſus ſuccus ventriculum mordet, vel totum corpus immodico digeſtu inops alimenti redditur vitioſum; namque ſuccus, qui frigidus eſt, ſimilem ſuctui morſum infert, appetentiam vero proritat naturalis affectus ſimilitudine, alimenti at non potus deſiderium excitat propter frigus, at vitioſo ſucco, qui ſalſus & bilioſus ſit, ventrem mordente, potio magis quam cibus appetitur.* Hinc merito Hipp. quoque *in 6. Epidem. Com. 4. text.* 18. *p.* 1180. dixit: *Aqua edax*, quaſi caninæ appetentiæ frigiditatem pro una cauſſarum indicarit. Et *in lib. 2. Aphor. Aph.* 21. dixit, *Famen thorexis ſolvit*, hoc, Galeno docente, vini potio, quaſi illius appetentiæ medelam eſſe expreſſerit. Sitis quoque augetur, aut ex calore immoderato, cujuſmodi fit in ardentibus febribus, aut ex ſiccitate, quæ præcipua ſitis eſt cauſa, ex quo ubi corpora plurimum exſiccantur, plurimum ſitiunt, qualem Galen. *in primo de ſymptom. cauſ.* quibuſdam epota aqua marina contigiſſe vidit. Sed age ad optimæ appetentiæ in morbis jam prognoſticum veniamus.

CAP. XIV.

Quid cibi & potus optima appetentia in morbis ſignificet.

PRius conſideremus, quid optima appetentia in morbis oſtendat, & mox de non obita & vitiata agemus. Maxime utile nobis erit ſupponi, ægrotos rectius agere, quum actiones omnes utriuſque facultatis recte, perinde ac in optima valetudine eſſe ſolent, obeant. Scimus enim, urinas, dejectioneſque optimas eſſe, ſi fuerint ſimiles iis, quæ antea per ſanitatem excernebantur. Eodem quoque modo bona erit in ægrotis illa quum cibi tum potus appetentia, quæ ad bene valentium appetentiam accidit, eique maxime eſt ſimilis. Ægrotos vero bene ſe habere ad ea, quæ ipſis offeruntur, perpetuo bonum, recte enim facultatem naturalem exinde valere, non minuſque & ventriculum. Itaque ægrotos integram habere appetentiam, bonum eſt, omniumque maxime in morbis diuturnis, ut docuit Gal. *in libr. 7. Aphoriſm.* a quibus qui ſunt evaſuri, vehementem appetentiam ſolent habere. Ceterum diſtincte cognoſcenda erit optima appetentia, quum ſæpius in ipſa judicanda plures decipiantur, vitiatam ac exitialem bonam putantes. Bona autem eſt, quæ naturalis eſt, quæque fit a cauſa naturali, quippe a penuriæ ſenſu: quandoque ægroti videntur bene appetere, ipſorumque creditur appetentia optima, propterea quod cibum avide appetant, & aſſumant, quæ tamen in multis moribundis ſæpius obſervatur, aut propter vitioſum humorem, quod minus malum eſt, ad os ventriculi defluxum, quippe frigidum & acidum, aut, quod ſumme eſt pernicioſum, ubi natura a morbo maxime eſt reſoluta a nimia ſubſtantiæ corporis digeſtione. Hinc plures, priuſquam moriantur, cibum avi-

Appetentia cibi & potus quanam bona.

de po-

de poſtulant, ac aſſumunt. Potus vero appetitus, etſi bonus cenſetur, qui benevalenti eſt ſimilis, & moderatus ſeu temperatus, nihilominus in quibuſdam optima erit cenſenda ſitis, nimirum in æſtuoſis ardentibuſque morbis, in quibus non ſitire, ut poſterius dicemus, perpetuo malum, & quandoque mortale, ubi ſcilicet linguam ægroti habuerint præaridam, ſqualidam, & nigram, in his melius eſt, ut multum ſitiant, ſicut etiam optimum eſt, ut febris exterius appareat, in primis quum urinæ coloratiores ſpectentur. Veluti in iiſdem morbis excrementa diſcoloratiora ſpectari, & ægros non ſitire, ſumme eſt exitioſum, quod aut ex delirio fit, aut quia naturalis facultas exſtinguitur. Non ſitire vero in iis perpetuo malum, ſed hujus ſigni perniciem alia exitialia ſigna tunc conſpecta declarabunt. Intenſiſſimam tamen ſitim numquam utilem fore ægrotis, addimus, quæ viſcera interna ardentiſſimo incendio uri declarat; aut maximam ſiccitatem; aut ex utraque ſimul, de qua Gal. *in primo, de cauſ. ſympt.* ait: *Inexplebili vero novimus cruciari ſiti, ex qua etiam tum eum, qui viperam comederat,* (erat autem fortaſſe dipſas) *tum meſſores, qui vetus vinum uſque ad ebrietatem, non minus eum, qui pertinaciter ſuſtinere ſitim ſibi imperaverat. Ad hæc alii in navigio, quum deficeret eis aqua dulcis, quorum qui auſi ſunt marinam bibere, quum immodice ſupra ceteros ſitirent, & alvi fluxum haberent, nec id ſine morſu vehementi & celerius quam alii perierunt.* Sed age agamus de abolita quum cibi tum potus appetentia.

CAP. XV.

Quid in morbis ciborum appetentia prorſus ſublata ſignificet?

Appetentia ciborum ſublata perpetuo mala in morbis.

Ciborum ſublatam appetentiam perpetuo malam, omniumque peſſimam eſſe, quæ prorſus, periit, ratum eſt. Hæc in iis, qui recte valent, graviſſimum morbum minatur, quod aut ab inſigni plethora, aut cacochymia fiat, quippe natura multitudine excrementorum aggravata. In iis qui ægrotant, letalis primo in morbis longis, quod ſignificet naturam a morbo conſumtam iri, priuſquam morbum ſuperare queat: de qua inappetentia Gal. *in libro 6. Aphoriſmorum Aph. 6.* ait: *Faſtidium cibi per ſeipſum pravum eſt ſignum in morbis diuturnis, nam in iis, qui a talibus morbis ſunt evaſuri, contrarius affectus ſolet accidere, vehemens ſcilicet ciborum appetentia.* Idem fere Hippocrates ſcripſit *in ſexto Aporiſmorum, Aph. 3.* dicens: *In difficultatibus inteſtinorum cibi faſtidium, malum, & cum febre pejus*; in longis difficultatibus inteſtinorum quum hic caſus, ait Galen. evenerit, mortificationem quamdam ipſi jam adveniſſe ventriculo compatiendi ratione ſignificat, ex qua omnino interiit appetentia, opus ad vitam neceſſarium. In morbis quoque acutis cibi faſtidium, perpetuo malum, omniumque maxime quum prorſus appetentia fuerit exſtincta. De qua Hippocr. de *Euryanactis filia in tertio Epidemiorum ſect. 2. Ægr. 6. pag.* 1074. ait: *Quoſvis cibos toto hoc tempore faſtidivit, neque*

que appetivit quicquam. Hujuſmodi fieri inappetentiam, docuit Gal. *in 3. Epidemior. Com. 3. tex.* 11. aut ore ventriculi, ab aliqua humorum qualitate affecto, aut ab ipſius facultatis exſtinctione, cujus erant in ſecunda valetudine munera indigentiam ſentire, & quæ ſunt ſe curatura appetere. De hac Hippocr *in 1. Epidem. comment. primo, text. 30. pag. 940. lin. ult.* de tabidis in Epidemica conſtitutione mortuis, ait: *cibos quoſvis perpetuo faſtidiebant, non ſitiebant.*

Inappetentiæ exitialia ſigna.

Hanc inappetentiam notant alia ſigna letalia, & quod perpetua ſit, quando & ſi quidam quoſvis cibos faſtidiant, tamen non ſemper: addamus inappetentiam ſumme exitialem, ubi ægroti maxime oderint quoſvis cibos. Narrat Gal. *in 3. Epid. Com. 3. in text.* 58. ſe quoſdam vidiſſe in quadam peſtilenti conſtitutione, qui mori maluerunt, quam cibum aliquem aſſumere. Quidam tamen, ut Galen. ait, fortiores quippe, qui vim ſibi ipſis afferentes cibum oblatum aſſumſerunt, ſuperſtites fuerunt. Sed præterquam quod ciborum faſtidium & odium in acutis morbis perpetuo ſit per ſe ſolum ſatis efficax ſignum ad exitium prædicendum, tamen ſimul alia ſigna pernicioſa, aut una, ante, aut poſtea conſpecta aderunt. De quibus *in Coacis præſagiis text. 67.* legitur: *Quibus vero faſtidia cibi accedunt, & ſudores cum bono faciei colore, & liquida alvo, aut dolore cordis, hi peripneumonicorum aut pulmonariorum more intereunt, poſteaquam longius ægrotaverint.* Et *in 3. Epid. ſect. 1. Ægr. 2. p. 1063. Com. 3. text.* 5. de Hermocrate moribundo ait: *Vigeſimo perpetuo a cibo abhorrebat, omnino mente conſtabat, loqui non valebat, lingua inaruit, non ſitiebat, obdormiſcebat aliquantiſper, comatoſus periit vigeſimo ſeptimo.* Idem fere viſum eſt & in *Euryanactis filia* virgine, (*Vide locum ſupra allegat.*) quæ quicquam guſtare non ſuſtinebat, de qua ait: *Quoſvis cibos toto hoc tempore faſtidivit, neque appetivit quicquam: neque ſitiit, etſi acri & calida deſtillatione vexaretur*; quibus Gal. auctore *in lib. 1. de ſymptom. cauſis*, ſiticuloſos fieri ægrotos, obſervatur. Idem in Pario *Lib. 3. Epid. Ægr. 1. Sect. 3. p.* 1093. obſervaſſe ſcripſit, atque non minus in muliere, quæ apud frigidam aquam decumbebat *Lib. 3. Epid. Sect. 3. Ægr. 2. p.* 1096. De qua: *Tertio a partu die, febre correpta eſt acuta, horrida, multo tamen ante partum febriculoſa decubuerat, cibumque faſtidierat. Quarto cibum faſtidiebat*: Et paullo poſt: *Ceterum ad cibos averſo animo ſe habuit*: Et demum ait: *Hac perpetuo cibum faſtidierat, animo linquebat*, quæ & ipſa obiit. Ex quibus ægrotantium exemplis confirmamus, quæ diximus, quippe ægrotos quoſvis cibos in acutis faſtidire & abhorrere, exitiale eſſe ſignum, cujus quidem pernicioſam naturam confirmare ſolent prava alia ſigna, quæ aut ante, aut una cum illa inappetentia, aut quæ poſtea illuxerant; cujuſmodi ſunt, alvus fluida, ſudores mali, vomitus virulenti, æruginoſi, nigri, urinæ nigræ, turbidæ non clareſcentes, claræ, albæ, perſpicuæ, deliria, vigiliæ, lethargicæ paſſiones atque alia hujuſmodi omnia, quæ numquam bona ſed plerumque letalia exſiſtunt, atque ita ex inappetentia ciborum in morbis prognoſticum judicabimus. Nunc quid potus quoque ſublatum & exſtinctum deſiderium ægrotis portendat, conſideremus, præmiſſo in primis ſermone de intenſa ſiti.

CAP.

CAP. XVI.

Quid ſitis intenſa in acutis morbis ſignificet?

QUum dixerimus ſuperius, ægrotos in acutis ardentibuſque febribus ſitire, ratione fieri, qui morbis quippe calidioribus atque ſiccis conflictentur. Quando multo pejus, uti paullo poſt dicemus, ſit, hos ægrotos ſiti carere, non ſecuſque eſſe, quam urinis diſcoloratioribus, ardente febre homines vexari. Quare bonum eſt, (quod omnia præſtat ex ratione fieri) ut calidis morbis affecti ſitiant. Immoderatius vero eoſdem ſitire numquam bonum, quod interna viſcera incendio intenſiſſimo flagrare denotat, ſed plerumque malum eſt & periculoſum, quod morbi vim prævalidam expugnatuque difficillimam nobis denotet, cui facile natura languidior facta ſuccumbat. Ex quo tuto proferre iſtud poſſumus, quippe immoderatam ſitim, quod maximum morbum ſignificat perpetuo eſſe timendam in acutis morbis: ſed peſſimam & exitialem illam, quæ aut ſequitur ſigna peſſima, aut una cum ipſa appareant, vel denique poſtea. Certum enim exitium proculdubio portendet. Ex ſola vero ſiti nodum in acutis, ſed vel etiam in aliis, licebit judicium præſagii deſumere, quum ipſa nonniſi morbi maximi ſit nota. De qua Hipp. *in* 1. *libr. Epid. Com.* 2. *p.* 954. *lin.* 8. *text.* 75. ita ſcripſit: *At quum febres inciperent, annuntiabant, quibus exitium impenderet. Siquidem ſtatim ab initio febris acuta invadebat, a qua parum ſupperrigebant, inſomnes erant, graviter angebantur, ſitibundi, faſtidioſi.* Qualis fuit obſervata in *Philiſco*, *lib.* 1. *Epid. Ægr.* 1. *p.* 966. de quo Hipp. ait: *Tertio mane ad meridiem uſque febre viſus eſt liber, ſub crepuſculum autem acuta febris invaſit una cum ſudore, ſitibundus, lingua inaruit, nigras urinas reddidit*, quæ ſitis cum nigris urinis atque aliis morbum exitialem, quippe, quem natura minime poſſet vincere, denotabat. Similem quoque ſitim Hippoc. in *Pythione*, qui ſupra Herculis fanum decumbebat, obſervavit, de quo 3. *Epidem. com.* 3. *text.* 18. *Ægr.* 3. *p.* 1098. ait: *Magnus cœpit rigor, febris acuta, lingua inaruit, ſitibundus erat, & biliosus, non dormivit, urinæ nigræ, ſuſpenſio ſublimis non ſubſidebat*, quam ſitim uſque ad diem quintam habuit, additis aliis ſignis perniciosis, quippe frigore partium extremarum, aphonia, ſeu mutitate. Quare ſitim intenſam, una cum aliis pravis ſignis, peſſimam eſſe dicimus. Cujuſmodi forte fuit, quam *uxor Ermoptolemi*, paſſa fuit, de qua Hipp. *in lib.* 7. *Epid. com.* 3. *pag.* 1212. *Text.* 13. habet: *Tremores autem in manibus fiebant, & caput concutiebat, & oculorum intuitus pravi, & ſitis fortis, & quum potaſſet, rurſum petebat, & rapiebat, ac largiter bibebat, avellere autem non poterant, lingua ſicca & manus ambas in os ferens manducabat, quum eſſet tremula.* Non diſſimilis fuit, quæ in *Ariſtocrate*, *eodem lib. p.* 1222. *text.* 52. qui ex peſtifero carbone quatuor diebus obiit ſiticuloſus. Quare colligamus ſitim in acutis morbis immoderatam numquam bonam, ſæpe malam, & cum ſignis aliis malis peſſimam & exitialem.

Sitis immoderata quid in morbis acutis notat.

CAP.

CAP. XVII.

Quid ſitis ſublata, ſeu non ſitire in morbis, ſignificet?

QUid ſitis in morbis ſignificet, dictum eſt. Nunc contrario modo ſe habentes ægrotos, quippe non ſitientes, vel abſque ſiti eſſe, quid in morbis prænuntiet, cognoſcendum eſt. Perpetuo in morbis ægrotos moderate ſitire, bonum erit, atque ex ratione ſitire & multum & parum, prout natura morbi, aut calidioris aut minus calidi poſtulat. Numquam tamen, ut dictum eſt, in morbis intenſa ſiti aſſiduaque ægros vexari, bonum erit; veluti peſſimum eſt ac ſumme exitiale, eoſdem, ſi calido & ſicco morbo conflictentur, prorſus potus deſiderii eſſe expertes, ſitique omnino carere, & præſertim, qui antea ſitiebant, ſi abſque ratione ſitis illa tollatur. De qua Auctor Prorrheticorum *Lib.* 1. 57. hoc expreſſit, dicens: *Sitis, quæ non ex ratione in acutis morbis ſolvitur, mala eſt.* Gal. *in comm.* hujus rei rationem docens ita ſcripſit: *Quum igitur neque per vomitum, neque per ſudorem, neque per dejectionem, neque etiam per abſceſſum judicatorium ſolvi ſitim contingat, non quod affectio ſedata fuerit, ſed quod ſenſus elanguerit, id ſi fiat, ſignum bonum non eſt, quod & ſi, & lingua ſic manente, uriniſque crudis exſiſtentibus, ſitis tollatur, certius adhuc malitiam affectionis dignoveris, atque adhuc ſi Medicus nihil tum refrigerantium, tum humectantium exterius adhibuerit; quandoquidem talia in acutis morbis magis ſitim non tollere, ſed mitigare nata ſint: prorſus autem in acutis morbis malum, ſi ſitis perfecte tollatur.* Ex quibus Galeni verbis, liquido ſatis cuique conſtabit, in morbis acutis peſſimum eſſe, ſi ſitis non ex ratione, quod eſt, ubi nulla optima præceſſerit vacuatio aut purgatio, crudoque morbo exſiſtente, tollitur: omnium vero maxime exitioſum erit non ſitire, ſi exitialia ſymptomata una apparuerint. De qua quidem exſtincta ſiti, Gal. *in prima lib. Epid. Com.* 2. *text.* 75. hæc addidit: *Huc acceſſit ad cumulum aliud ſignum exitioſum, quod quum antea æſtuaſſent, amplius non ſitirent, atqui quando, qui antea ſiti flagrarent, poſtea eſſent a ſiti liberi, horum duorum ſit neceſſe eſt alterutrum, aut morbi ſolutio, aut virtutis exſtinctio, ita ut præſentia mala amplius non ſentiant. At non contingit a morbis his vindicari, ſiquidem exitialia erant ſymptomata.* Non ſitiunt vero ægroti in morbis acutis, aut propter humorem frigidum & humidum, ad ventriculum ex capite diſtillantem, ex quo merito Hipp. *Aphor. Sect. IV.* 5. dicebat, qui tuſſiunt, non eſſe admodum ſiticuloſos, quod in his pituita ex capite ad ventriculum diſtillans ſitim tollat; quæ carentia ſitis in nonnullis pleuriticis & peripneumonicis obſervatur, in quibus ab hoc ſigno quicquam certi ad prognoſticum habere nequimus. Sed hos ab ea cauſa non ſitientes ab aliis diſtinguet lingua non ſicca & arida ſed humecta, & mollis ex pituita humectante ipſam. Secundo non ſitiunt in morbis calidiſſimis, vel etiam æſtuantes ægroti, aut propterea quod deliran-

Sitis ſublata abſque ratione in morbis acutis mala.

Sitis unde tollitur in morbis acutis.

tes

tes, quæ patiantur, ut Gal. *in* 3. *Epid. com.* 3. *text.* 44. docet, non intelligant, aut quod facultas ſtomachi appetitrix exſtinguatur, aut propter utramque cauſam. De phreniticis auctor *prorrhet. in lib.* 1. *Text.* 16. ait: *Phrenitici modico utentes potu, ſtrepitum tentantes, tremorem incurrunt.* Et Galen. de his *in comm. Prorſus item βραχυπόται ſunt phrenitici, ideſt, bibendi deſiderium his exiguum eſt, quamquam affectionem habeant calidam & ſiccam, ita ut & linguam præ multa ſiccitate aſperam habeant.* Sed docuit nos Hippocrat. mentem his ægrotare *in eo Aphoriſmo, Sect.* 2. *Aphoriſm.* 6. qui ita habet: *Quicumque parte aliqua corporis dolent, atque ut plurimum dolorem non ſentiunt, his mens ægrotat.* Ex quo merito de phreniticis *in* 3. *Epidemior. ſect.* 3. *pag.* 1085. dixit: *Sane hi nihil ſitiebant.* Cujuſmodi fuiſſe ait *Mœlibeæ* adoleſcentem phreniticum *in eodem lib. pag.* 1117. *Ægrot.* 16. prodidit. In his vero non ſitire, grave eſt, & ſi cum ſignis pravis, exitiale; tamen ab hoc tantum ſigno quicquam certi non haberi poteſt, niſi alia, ut dixi, adjunxerimus ſymptomata prava. Nam plures ſunt, qui, etſi delirent, potum non petant, tamen ſanantur. Hique ſunt quorum neque delirium ita magnum eſt, neque alia exitialia affuerint ſymptomata, atque multo facilius, ſi lingua neque arida ſit. In quibus vero nedum præarida, ſed maxime nigra & ſqualida, ſumme exitioſum erit non ſitire, maximum enim morbum adeſſe denotat, quo ægri laborant, naturamque ferme ſuperatam. Quibus vero abſque delirio in morbo calidiſſimo, linguaque præarida & adauſta exſiſtente, adeſt hæc carentia ſitis, proculdubio exitium portenditur, quum exinde facultatem exſtingui, ac eſſe exſtinctam, nobis demonſtretur; omniumque maxime, quum prius ſitierint, abſque ratione ſiti carere incipiunt, exſtingui enim facultatem certo ſignificatur. Neque abs re hoc dicimus, quando naturam exſtingui a morbo fieri non poſſit, ut plura alia exitialia non etiam ſpectentur. Uti *Eraſino* contigit, de quo Hippocr. *in* 1. *lib. Epidem. comment.* 3. *pag.* 984. *Ægrot.* 8. hæc habet: *Habebat hic febrem cum perpetuo ſudore, hypochondria ſublimia contenta cum dolore, urinæ nigræ, ſuſpenſiones continebant rotundas, non ſubſidebant: lingua præarida, non valde erat ſitibundus*: & de Hermocr. *in* 3. *Epidem. comment.* 1. *pag.* 1062. *Ægrot.* 2. *Lingua ititio adauſta fuit, ſtatim obſurduit, ſomnum non habuit, ſitibundus non admodum*: Et paullo poſt: *Vigeſimo perpetuo a cibo abhorrebat, omnino mente conſtabat, loqui non valebat, lingua inaruit, non ſitiebat, obdormiſcebat aliquantiſper comatoſus.* Idemque & in *Euryanactis filia virgine Eodem libr. pag.* 1073. *Ægrot.* 6. obſervavit. Ex quibus colligamus, perpetuo non ſitire ægrotos in acutis morbis, malum eſſe, modo ſine ratione ſitis in ipſis tollatur. Ex ratione vero ſitis ſublata, minime mala, ſed optima eſt, qualis fuit viſa in eo, qui in *Dealcis* horto decumbebat, ſanato, qui quum pluries in eo morbo fuerit ſitibundus & delirans, poſtea ex ratione ſublato morbo amplius non ſitiit, de quo Hippocrat. *in* 3. *Epidemior. comment.* 1. *pag.* 1067. *Ægr.* 3. ita habet: *Vigeſimo dormivit, plane mente conſtabat,*

Sitis quando ex ratione tolli dicitur.

bat, ſudavit, liber erat a febre, non ſitiebat. Hic plures criſes habuit, quæ antequam fierent, ſitiebat, lingua inareſcebat, deliraba̅t, & poſtea allevabatur, ſitiſque diminuebatur, & hoc eſt ſitim ex ratione minui, & tolli. Cum ſignis vero aliis pravis, peſſimum & mortiferum eſt non ſitire. Quæ nobis ſufficiant de prædictione ex non ſitire in morbis acutis.

FINIS QUARTI LIBRI.



PRO-

PROSPERI ALPINI MAROSTICENSIS,

Philoſophi & Medici in Gymnaſio Patavino Medicamentorum ſimplicium Profeſſoris ordinarii,

DE PRÆSAGIENDA VITA & MORTE ÆGROTANTIUM,

LIBER QUINTUS.

CAP. I.

De partibus corporis, quarum obſervatio facit ad prædicendi rationem.

DE partibus corporis, quarum obſervatio facit ad prædicendi rationem, quum ex appetentia docuerimus, quomodo de morborum exitu ſit præſagiendum, nunc ex nutritione idem faciendum: quam maxime enim iſtud nobis indicabit quum totius corporis, tum ſingularum partium accurata inſpectio ac obſervatio. Habitum etenim, temperamentum, atque colorem eæ partes ex nutritiva facultate, aut recte, aut male diſpoſitum habent. Ex quo, ut dictum eſt, quum totius, tum partium ſingularum varii habitus, temperamenta, colores, figuræ, atque alia, quæ ad prædictionem a Medicis obſervantur, ad naturalem quidem facultatem pertinebunt, quatenus ex ipſa aut ſana, aut male affecta prodeant, aut quatenus hujus facultatis, ſed potiſſimum nutritivæ, robur ac debilitatem nobis ipſa denotare poſſunt. Quare ab inſpectione externarum corporis partium ſalutis, exitiique futuri judicium nunc quoque indagabimus. At priuſquam hoc agamus, cognoſcendæ ſunt partes eæ, quarum inſpectio ad prædictionem maxime facit. Primum univerſi corporis inſpectio, an ſcilicet ipſum naturalem quum habitum tum colorem, tum calorem habeat; an gracilius, aut craſſius, aut felle ſuffuſum: poſt corpus, faciem ſpectabimus, mox ſigillatim oculos, maxillas, naſum, os, labia, dentes, fauces, linguam, pectus, dorſum, hypochondria, jecur, lienem, teſtes,

Partium corporis obſervatio quid ad præſagium in morbis facit.

ſtes, adenes, extrema, atque partes, in quibus tumores ac abſceſſus fiunt. Caput enim univerſum in ardentibus febribus, in phthiſicis ſuppuratis, gracillimum ſpectatur; in iis vero, quibus calor naturalis in hepate maxime reſolvitur, corpora intumeſcere obſervamus, ut in cachecticis atque hydropicis. Facies vero, oculi, tempora, maxillæ, naſus, os, lingua, dentes, aures, in acutis morbis plurimum lucis addunt, ad vitam aut exitium prævidendum, veluti fauces, cervix, collum, pectus, in anginoſis, pleuriticis, peripneumoniciſque utiliſſime ſpectari ſolent. Hypochondria itidem, ac denique extrema, maxime poſſunt futuri præſagii rationem illuſtrare. Sed age, hæc jam aggrediamur.

CAP. II.

Quid corpus bene valenti ſimile, & diſſimile in morbis prænuntiet?

Corporis ægroti habitus quinam optimus.

CORpus ægrotum ſimile naturali ſeu recte valenti habitu, colore, caloreque, optimum eſt, atque eo laudabilius, quo ſimilius, quod in morbis neceſſe ſit corpora pati, aut quidem extenuari, gracileſcere, contabeſcereque a morbo conſumente & corrumpente partes corporis carnoſas, aut, ut ſcripſit Gal. calore nativo debilitato, qui non extendi ad extremas corporis partes queat, ſed in viſceribus ſolis exiguus obſervetur. Ex quo tantum ſanguinis aut ſpiritus non affluat, quantum antea affluebat. Hinc ceſſare ſeu minui nutritionem. Quamobrem in omnibus morbis, ſed præſertim in acutis, bonum eſt, corpora habitu, colore, caloreque recte valentibus ſpectari ſimilia. Verum ex hoc tantum ſigno prognoſtici judicium non erit attendendum, ſed ſi una alia omnia conſpecta quum ſymptomata, tum ſigna, idem confirmarint. Optimum tamen eſt, non parumque ad ſpem ſanitatis concipiendam faciens, ut dictum eſt, corpora habitu, colore, atque calore recte valentibus eſſe prorſus ſimilia. Quemadmodum diſſimilia ſpectari, etſi non magnum malum ſit, quod omnes, qui ægrotant, neceſſario habitu, colore, caloreque mutentur, tamen numquam bonum. Peſſimumque in principio acutorum morborum eſt, corpus extenuatum ac maxime contabeſcens videri, vultuſque præſertim ſeu facies, quod facilius ipſa aliis partibus mutetur. Ceterum, ut ordinatim in prædictione hac ex habitu corporis, colore, atque calore cognoſcenda procedamus, primo videndum erit quid ſqualidus, ſiccus, excarnis, ac tabidus in morbis præſagiat. Mox ex mutato ipſius quum colore, tum calore, idem perſcrutabimur.

Quinam peſſimus.

CAP. III.

Quid in morbis corporis emaciatio, ſeu extenuatio, & quid ejuſdem partes tumeſieri, ſignificet?

Corporis emaciatio quid in morbis ſignificat.

IN morbis quandoque corpora extenuari, gracileſcere, atque in tumorem attolli obſervamus, quæ habitus cognitio ad prædictionem magni momenti, atque uſus eſt. Proinde primo quid corporum habitus gracilis, ſqualidus, tabeſcenſque ſignificet in morbis, dicemus, & mox de oppoſito quippe tumeſcente: corpora vero gracileſcere & contabeſcere, ob innutritionem, quam Græci *atrophiam* vocant, cuique liquido conſtat, ex quo hunc affectum Græci *atrophiam*, etiam noſtri innutritionem, merito appellarunt; in qua, teſte Galen. *in libro quarto, cap.* 13. *de ſanit. tuenda*, corpora ex alimento fructum non ſentiunt. Quod fit alteratricis virtutis imbecillitate, attrahente vi infirma, aut excretrice immoderatius mota. De hac Hippocr. *in ſecundo Aphoriſmorum*, *Aph.* 8. ait: *Si quis a morbo cibum aſſumens non corroboretur, pluri alimento corpus uti ſignificat: quod ſi non aſſumenti cibum hoc accidat, ſcire oportet, quod indigeat evacuatione.* Et poſtea *Aphor.* 31. *Section.* 2. quum dixit: *Ejus qui ex agritudine bene cibatur nihil proficere corpus, malum*: atque hæc eſt *atrophia*, ſeu innutritio, quæ potius in corporibus ſpectatur, quæ aut non febricitant, aut febre leni, ſed diutina teneantur. Quamobrem in morbis longis & diutinis, etſi proprium ſit corpora emaciata, atque excarnea videri, tamen ſi morbo declinante, nihil, etſi cibum aſſumant, reficiantur, malum eſt, quod plerumque humorum plenitudinem, atque exinde recidivam, prædicit. Sed in hecticis, phthiſicis, peripneumonicis, corpora numquam carne repleri & reſtitui, peſſimum eſt: a ſputo ſanguinis, ubi orta febre leni, ſed aſſidua, corpora contabeſcunt, numquamque habitum carnoſum recipiunt, exitiale eſt. Hocque eſt, quod in ſuſpectis ad phthiſin omnes Medici ſuſpectum quam maxime habent, quippe febre continua laborare, ipſorumque gracilitatem ac extenuationem non emendari, atque mutari. Qui etiam febribus ardentibus diu vexati maxime emaciantur, ad maraſmodes febres accedentes, inſanabiles redduntur. Quare tabeſcentiam in corporibus, ſeu gracilitatem, ſeu extenuationem in pleuriticis, peripneumonicis non recte purgatis per ſputa tuſſi ejecta numquam emendari, letale eſt, phthiſicoſque evaſiſſe nobis ſunt indicio. Sed age, agamus de extenuatione in acutis morbis, & per initia in corporibus obſervata. Quæ ſane ad prædictionem magni momenti eſſet ſolet. De qua Hippocrat. *in* 2. *libr. Aphoriſmorum*, 28. ita habet: *Febricitantium non omnino leviter permanere corpus, & nihil minui, vel etiam pluſquam ratio poſtulat contabeſcere, malum. Hoc ſiquidem virium imbecillitatem, illud morbi diuturnitatem ſignificat.* Hippocrates, & Galenus in commento voluit, eam, quæ eſt cum ratione, extenuationem, ſignum eſſe imbecillitatis.

Cum ratione vero eſt, ut febres magnæ & intenſæ citius corpora extenuent, ſicut & morbi diuturni idem faciunt, omniumque facillime puerorum, atque decrepitorum. Hæc enim, teſt. Gal. propter potentiæ imbecillitatem, illa propter temperamentum calidum & humidum, quo multum defluunt, & cito extenuantur. Addamus & regiones ac anni tempora calida & ſicca. Quare cum ratione hæc extenuantur: non minuſque etiam, ſi præceſſerit multum ſanguinis profluvium, aut ſudores multi, urinæ copioſæ, vomitus aut alvi profluvium, aut longa inedia, vigiliæ, animi curæ, addit Galen. corporis raritatem humorumque tenuitatem, cauſam eſſe, cur cito & multum corpora diffluentur & extenuentur. Hæc itaque omnia corpora conſumunt, atque extenuant, quorum extenuatio quicquam certi non oſtendit ad futuram prædictionem. Sed in initiis morborum, nulla illarum externarum cauſarum præcedente in corporibus frigidis, ſiccis, in hieme, frigidaque cæli conſtitutione, in ætate vigente, atque in corporibus craſſiorum humorum, denſioris cutis, peſſimum eſt ſubito extenuari corpora. Quam rem Galen. *in commento hujus Aphoriſmi* ita ex Hippocrat. *Lib.* 2. *Aphor.* 28. expreſſit, hujus rei cauſam reddens: habet enim: *Febricitantium non omnino leviter permanere corpus, & nihil imminui, vel pluſquam ratio poſtulat, contabeſcere, malum.* Nam permanere ex cutis ſpiſſitudine accidit, & craſſitudine humorum, & propterea longitudo morbi ſignificatur. Ceterum ex omnibus corporis partibus prima eſt facies, quæ extenuetur in morbis acutis, quoniam calor acris inſtar flammæ ſurſum aſcendens, abſumit parvas caruncules, cartilaginibus & oſſibus incumbentes, atque in facie evidentius ea macies appareret, quod ipſa minus carnis habeat. Quam Hippocr. *in* 4. *prognoſt. pagin.* 36. *lin.* 30. ita expreſſit: *Fuerit autem hujuſmodi naſus acutus, cavi oculi, tempora adſtricta, aures frigidæ, contractaque & fibræ eorum verſæ, & item cutis circa frontem dura, intenta, arida. Color totius viridis aut niger.* Hæc in hecticis & phthiſicis maxime extenuatis apparet. Hanc vero faciem intra biduum aut triduum ita extenuatam, quam vulgus medicorum *Hippocraticam* vocare ſolet, peſſimam eſſe, ſi nulla extrinſeca cauſa præceſſerit, quippe nulla inſignis vacuatio aut ſanguinis, aut per ſudores, aut per alvum, aut denique per urinas; nulla etiam vigilia, nulla inedia, nullaque animi cura, non in pueris & ſenibus decrepitis, qui facile vel etiam levi cauſa reſolvantur, ſed in corporibus adultis, ſpiſſi habitus, omniumque maxime in frigidis & ſiccis, in hieme, conſtitutione frigida & humida, & ſimili cælo. In his itaque faciem ita extenuatam ſpectari, ſumme eſt pernicioſum. Gal. enim ait *in commento*, fieri hujuſmodi affectiones ob aliquam cauſam conſumentem, & corrumpentem partes animalium carnoſas, aut ob debilitatem nativi caloris, qui non inſuper extendi in extremas corporis partes queat, ſed in viſceribus ſolis exiguus obſervetur, ex quo tantum ſanguinis, aut ſpiritus, ad extremas corporis partes non affluat, quantum antea affluebat. Quare ex morbo, humidum nativum ſtatim, aut calore præintenſo reſolvente, aut præ malignitate corrumpente; nativoque calore a morbi vi ſtatim lan-

Facies cur ex omnibus corporis partibus prima extenuatur in morbis acutis.

Facies extenuata quanã peſſima in acutis morbis.

langueſcente, aut reddito imbecillo, fit hæc in facie extenuatio: ſi itaque non ex ratione, quippe ubi nulla inedia, nulla vigilia, nullaque animi cura præceſſerit, hujuſmodi facies ita conſpecta, exitialis erit; quod Hipp. *Prognoſtic. p. 37. lin. 1. & ſeq.* expreſſit hiſce verbis: *Si igitur per initia morbi talis fuerit vultus, necdum ſcrutari aliis ſignis poſſibile ſit, interrogare oportet, num vigilaverit homo, an alvus reſoluta admodum fuerit, an fame affectus, & ſi quid horum comprobet, minori cum periculo eſt: judicantur vero talia per diem & noctem, ſi ob has cauſas talis fuerit vultus, ſi vero nullum horum dixerit, neque prædicto tempore deſtiterit, exitioſum eſt.* Quo pacto vero quis poſſit cognoſcere abſque eo, quod interroget ægrotum, num homo vigilarit, num fame affectus ſit, aut aliquam immodicam vacuationem purgationemque paſſus ſit, hiſce profecto verbis *in Comm* docet Gal. dicens: *Quapropter licebit ſtatim aſpicienti hominem definire vehementem exſtitiſſe inſomniam: etenim videbis oculos ejus admodum ſqualidos.* Qui vero propter evidentes & immodicas vacuationes, perinde ac propter inſomniam, tales redduntur; porro videbis palpebras reſurgere difficulter, & item talem habere formulam in connivendo, atque etiam & inſtabiles haberi, quales per ſomnum obſtupidum, (ita enim *coma* interpretor,) exſiſtunt: quin etiam ubi nunc primum tibi appareat æger, tum vero nullo pacto, quum inſpexeris, talia ſigna, atque ea, quæ ex pulſu percipiuntur, aliquam indicabunt dijudicationem: per immodicas enim excretiones ſervabit aliquod adhuc (quamquam exiguum ſit) indicium formulæ ſignificans eas, per inſomniam vero chordulæ extentæ ſpeciem refert. At ſi propter inopiam dumtaxat in talem vultus venerit affectionem, ex dictis indiciis neutra adſunt, neque inſomniæ, neque excretiones, & ob eam rem potius ex accidentibus, quam ex propriis ſignis, in illis præſagire conveniet, propter inopiam alimenti deductum eſſe eum in talem affectionem, & adhuc magis, quoties febris proprietatem caloris diſcutientis, exquiſita ratione conſideranti tibi, nequaquam importet. Ex quibus quiſque perdoctus poterit cognoſcere, quibus vultus fuerit aut propter vigiliam, aut inediam, aut propter evidentem & immodicam evacuationem, extenuatus. Quare in acutis morbis per initia, abſque aliqua cauſarum extrinſecarum, faciem extenuatam ſpectari, exitiale eſt. In Chronicis vero aliquibus, veluti in hecticis, ideſt, conſumtis, phthiſicisque, nedum facies oſſea fere redditur, ſed univerſum corpus excarne, ſqualidum & ſiccum redditur. Sed age etiam, quid corpora tumida in morbis fieri ſignificet, conſideremus. Inflari enim ac tumeſcere corpus, numquam bonum: in morbis enim acutis tumeſcit facies, aut propter ſanguinem in vaſis, qui venas diſtendit, ſanguiniſque plenitudinem, ac vapores, unde etiam totius corporis gravitas exſiſtit, ut in ſynochis febribus; vel propter inflammationem cum humoris affluxu, ut in parotidibus; denique propter cruditatem vaporoſam, refrigerato hepate, ac vitiata ſanguificatione, ut in pituitoſis febribus, & leucophlegmatia, ſeu anaſarca hydrope. Ex primis duabus cauſis tumeſieri non uſque adeo malum eſt, neque ex hac quicquam certi ad

Facies unde cognoſcitur mutata a vigilia, abſq; eo, quod interrogetur æger.

Ut ab immodicis evacuationibus.

vel ab inedia.

Corpora tumida in morbis quid ſignificent & unde.

prædictionem habetur ; veluti poſtrema cauſa , quippe a craſſo vapore , hepate quum refrigerato , tum vitiata ſanguificatione, cutim diſtendente , non raro exitium prænoſcitur. Qua ratione ait auctor Coacorum præſagiorum *in* 4. *Coacor. præſ. Text.* 139. lethargicos eſſe ſubtumidos , ipſiſque genas inflari. Non minus etiam , hac eadem cauſa refrigerato hepate in morbo calidiſſimo , ejus viſceris calorem innatum diſſolvente , in acutis morbis hypochondria , venter , pedes , coxendix , facieſque vitiantur non ſine magno ipſorum vitæ diſcrimine. Cujuſmodi ſunt , qui in hydropem incidunt. De qua Hippocrat. *in* 2. *Prognoſticorum* , *pagin.* 39. *lin.* 16. *Aqua inter cutem omnis* , *ſi ex acuto morbo exſiſtit* , *malum eſt : non enim ſedat febrem* , *ſed dolorem admodum infert ac mortem* ; *fereque incipit ex parte inani* , *ac lumbis* , *jecoreque*. Quid de Empyis ſeu ſuppuratis , phthiſicis , in quibus moribundis multis pedes , crura , facieſque tumida , & cadaverosa ſpectatur ? quod non aliunde evenit , quam ex calore hepatis prælanguente , vitiata ſanguificatione. Plures ex iis cognovi propius ad mortem acceſſiſſe , quum corporis univerſi molem inflatam ac tumidam habuerint. Ex quibus colligo in morbis acutis corpora inflari , numquam bonum ; in Empyis , ſive ſuppuratis , atque in phthiſicis , maxime exitiale. Sed tamen , neque in acutis , neque multo minus in diuturnis morbis , tumidas partes ſpectari , perpetuo malum : in his quidem multis , longo quippe morbo debilitato calore , pedes intumeſcunt , qui calore poſtea invaleſcente rurſus diſcuſſis vaporibus , vel humoribus ſiccatis , priſtino habitui reſtituuntur. In illis vero ſæpius natura humores decretorie ad crura pedeſque demittere ſolet. Aliquando etiam in iiſdem acutis morbis facies tumet , vapore , ut dictum eſt , febrili calore concitato , neque diſcuſſo , quo cito poſtea diſcuſſo inflatione liberantur. Proinde caute ex his prædicendum erit in morbis , & nonniſi ceteris aliis ſignis vultus probe conſpectis , & conſideratis. Atque hæc erant a nobis cognoſcenda ad prædictionem ex corporibus , ipſorumque partibus extenuatis , contabeſcentibus , atque in tumorem elatis. Nunc ex colore mutato idem perſcrutemur , quæ forte cognitio non erit minoris uſus ac momenti , ad præſagiendi rationem aſſequendam.

Facies unde tumet aliquando in acutis morbis.

CAP. IV.

De prædictione ex coloribus corporis ægroti.

QUum ex habitu corporis , quomodo ſit prædicendum , dixerimus , nunc idem ex variis coloribus indagemus. De quibus acturi , primo a coloris mutatione incipiemus , quidque hæc coloris mutatio in morbis præſagit , docebimus , mox ſtabiles ac permanentes colores conſiderabimus. Corpora colore mutari dicimus , quum vel crebrius , aut rarius ex proprio nativo colore in alium mutantur , ut quum color floribus in pallidum , aut album , aut flavum , aut æruginoſum , aut viridem , aut plumbeum , aut denique nigrum mutatur. Hæc vero coloris mutatio , quandoque ex ratione fit ,

Corpora quando colore mutari dicuntur.

quan-

quandoque citra rationem, quæ eſt peſſima, numquamque bona, niſi criticum ſignum fuerit. Tunc enim corpora morbo oppugnata quum in ſuo robore perſiſtunt, morbique pugnæ non ſuccumbunt, nativum ac proprium colorem habent, ſanguineique propterea rubram faciem, bilioſi pallentem; quum vero morbo fere oppugnantur, ex florido colore pallidum, aut flavum, aut alium colorem recipiunt. De quibus, quid potiſſimum ſinguli ſignificent, poſtea dicemus. Cognoſcitur critica hæc coloris mutatio ex ſignis aliis criticis, ac ſignis coctionis, quando, ſi Galeno credendum ſit, nulla criſis bona appareat, cruditatis ſignis conſpectis, quod neceſſe ſit, criſes coctiones præceſſiſſe. Galen. *in lib. de præſag.* ad Poſthumum, in *juvene quodam Romano* ex facie prærubra, præſertim erupturum critice ſanguinem e naribus præſcivit. Ex ratione vero color corporis quandoque mutatur, variatis quidem morbi acceſſionum temporibus, ut quum in principio rigentibus, aut horrentibus, aut refrigeſcentibus, pallidum, aliquando album ac fuſcum colorem contrahunt, ex quo augeſcente acceſſione ad priſtinum redeunt, & mox vigente coloratiores redduntur, ac denique ad ſolitum redeunt colorem. Mutari itaque colorem ex ratione caloris, bonum: mutari itidem ſæpius ratione bonæ criſis futuræ, bonum: quæ etiam aliis ſignis produntur, ſed præſertim, ut dictum eſt, coctionis, ac aliis bonis ſignis ſimul, aut antea conſpectis. Melior quoque erit coloris mutatio, ſi ex colore malo in bonum fiat, uti quum partes nigreſcentes aut liveſcentes, vel flavæ, vel virides in pallidum, aut floridum nativum quippe reſtituantur. Contra vero omnes mutationes nulla ratione aut coloris aut criſis factæ, erunt damnandæ, omniumque maxime cum malis ſignis, ſpeciatimque cruditatem explicantibus, conſpectæ, & quæ ex bono colore in deteriorem fiunt. Sed age explicemus, quid colores modo in corporibus ſignificent, a rubro exordientes. Hic color ab uno humore fit, quippe a multo ſanguine, cutim afficiente ſeu tingente, ex quo merito Galen. *in 4. libro de ſanit. tuen.* tradidit, rubrum colorem ſanguinis abundantiam ſignificare. Ex quo rubram faciem, vel inflammationem teſtari ad cutem illatam, aut criſin ſanguinis e naribus fluxuri, cujuſmodi diximus Galenum in *juvene illo Romano* coram aliis Medicis prædixiſſe. Sed hoc non fiet, ni prius coctionis ſigna quædam & bona illuxerint. Ceterum, crudo morbo exiſtente, ſi facies rubeat, timenda erit inflammatio capitis, atque præſertim phrenitis, quum demonſtretur ſanguinem ſurſum in caput agi, ipſumque inflammare; de qua re Auctor Prorrheticor. *Lib.* 1. 49. *& in* 1. *de hum.* (*Lib. de Humoribus pag.* 47. *lin.* 1. *ubi ait: Calor humorum, niſi hi ad interiora reſorpti ſint, velut efflorescit in cute.*) *com.* 1. ſcripſit, *Faciem rubram cum mœſtitia, malum*: propterea quod calidæ affectionis ſit ſignum, Galeno docente, qui ita de hac ſcribit: *Quum itaque florida quidem apparuerit facies, æger autem valde triſtis fuerit, quædam in cerebro valde calida affectio eſſe videtur, quæ ſanguinem exurit, eaque cauſa bilem atram, ut demonſtratum eſt, gignit.* Plerumque abſque ſignis coctionis, & cum malis ſignis phrenitidem præmonſtrat; neque immerito, quum ſanguinem ferri in caput, ipſumque inflammare rubra facies ſignificet: quod ſignum erit ſatis

Corporis coloris mutatio critica.

Unde cognoſcitur.

Corporis color quando ex ratione mutatur.

Corporis coloris mutatio quænam bona.

Corporis color ruber unde & quid notat.

Facies rubra quid in cutis notat.

Quænam mala.

Quando Phrenitidem præmonſtrat.

manifeſtum, ubi per alvum, aut per menſes, aut per hæmorrhoides ſanguis profluxerit, manente tamen eodem rubro colore in facie. Quod perbelle in *Coacis præſagiis Text.* 465. ita ſcriptum eſt: *Dyſenterica rubra, limoſa, larga excrementa alvi, in flammeis valde rubicundis coloribus, ſoluta, inſaniæ timorem inducunt.* Aliquando ſignificat convulſionem, ut in pueris, de quibus in *lib.* 3. *Coac. præſ. Tex.* 109. hæc leguntur: *Pueris acuta febris, alvi ſuppreſſio cum vigiliâ ad hæc excalceatio & coloris mutatio, multus rubor, convulſionem ſignificat.* Solet vero rubor faciei, ut dictum eſt, ſi ſigna coctionis fuerint conſpecta, denotare criſin futuram per ſanguinem e naribus: aliquando poſt aures judicatoriorum abſceſſuum eſt ſignum, ut Galen. *in eodem* 2. *libr. prorrhet. text.* 14. (*Hippocratis textus huc ſpectans legitur* 1. *Prorrhet.* 165. *& Coac. præſ.* 183.) ſcripſit: de quo ſigno in *Coacis præſagiis, Text.* 200. *Rubores, qui ad aures ex priori dolore fiunt, in febribus ſignum quidem ſacri ignis, qui exſultit in facie. Sed & convulſiones ex iis incidunt cum privatione vocis & virium exſolutione.* Sed hæc eſſet admodum improbanda, nimirum ſi ei prædicta ſymptomata copularentur. Rubor etiam in faucibus, cervice ac pectore, in anginoſis ſolet eſſe admodum ſalutaris, ſi cum tumore multus appareat, de quo Hippoc. *in lib.* 7. *Aph.* 49. habet: *ei qui ab angina corripitur, ſi tumor & rubor in pectore ſupervenerit, bonum, extra enim vertitur ægritudo.* Et *in libr.* 5. *Prognoſtic. pag.* 45. *lin.* 12. *Si quibus vero fauces rubent, & cervix ſimul, hæ anginæ diuturniores ſunt, & maxime ex eis ſervantur, ſi & cervix, & pectus traxit ruborem, nec ſacer ignis intro recurrat.* In anginoſa tamen, quæ ab Hippo. *in lib.* 3. *Epid. pag.* 1075. *Ægr.* 7. deſcribitur, etſi lingua & collum & pectus una cum rubore intumuerit, nihilominus, quoniam tota inflammatio extra non fuit verſa, mortua eſt. Addamus in acutis morbis, ſi rubores in brachiis ac cruribus fiant eryſipelatodes, bonum erit; quippe quod naturam fortem eſſe, ac longius, ad ignobiles ſcilicet partes, noxios humores propellat. In febribus ardentibus, ſynochis malignis, non raro maculis rubris dorſum ac aliæ partes corporis infectæ ſpectantur, quæ quo copioſiores eo pejores, ni morbum minuant. Ceterum de his poſterius nos accurate, ubi ad prædictionem abſceſſus, tumores & exanthemata conſiderabimus. Colorem vero flavum fieri a bile flava, cutim afficiente, non eſt dubitandum. Ceterum ſolet eſſe aliquando bonus, ubi critice ad cutim flava bilis pellitur, cujuſmodi fit in ictericis, de quibus in ſequenti capite agemus; aliquando malus & perpetuo, ubi non critice, unaque aliis malis ſignis apparentibus. De quo Hippocrat. *in* 1. *Prognoſt. pag.* 36. *lin. ultim. text.* 10. de facie exitioſa loquutus, ſcripſit: *& color totius vultus viridis aut niger*; & Galen. minus malum eſſe, vultum chlorum ſeu viridem videri, quam nigrum. In venenatis ſolent virides colores ſpectari, quum a ſumma humorum fiant corruptione. Ex quo Galen. *in libr.* 5. *de loc. affect. cap.* 7. quempiam meminit vipera demorſum, cujus corpus peracri calore infectum ſe vidiſſe teſtatur. Album vero & pallidum fieri, aut calore intus recurrente, aut quod corpora ſanguine frigido & pituitoſo abun-

Convulſionem.

Criſin futuram per ſanguinem e naribus vel per parotidas,

Rubores variarũ partium quid notent.

Corpus color flavus unde, & quid notat.

Viridis.

Albus.

abundant, ſed in acutis morbis corpora expalleſcere ſolent, nedum calore intus recurrente, ſanguiniſque inopia, aut ipſo calore exſtincto, qui color propter hanc cauſam mortuis ſolet eſſe familiaris. Auctor Coac. præſag. *Text.* 212. ait, *vultum pallidum eſſe exitialem*. Sed hoc erit cum aliis ſignis confirmandum. Pallor vero exſtincto calore qui fit, & pauco ſanguine, vel ex eo cognoſcitur, quod poſtea in lividum, & tandem nigrum mutetur, quod in emortuis corporibus facile ſpectari poterit, quæ primo putreſcunt, mox liveſcunt & nigreſcunt; qualis ab Hippocrat. *in quinto Epid. Text.* 61. *p.* 1156. in eo, cui hepar jaculo percuſsum eſt, fuit obſervatus, de quo ait, *ſtatim color, qualis mortuorum, diffuſus eſt*, qui ſtatim obiit. De livido colore, & nigro, quid dicemus? peſſimos eſse colores in morbis acutis, atque exitiales, qui nonniſi a ſumma humorum putredine naſcuntur, aut calore nativo exſtincto. Sciunt Medici omnes praxin facientes, in acutis morbis in dorſo, lumbis, pudendis, naribus atque aliis partibus, maculas quum lividas tum nigras ſævam ac veluti peſtilentem putredinem humorum teſtari, inque peſte affectis has eſse ita familiares, ut ex ipſis tantum merito peſtilens natura comprehendatur, quod inſpectis maculis lividis, aut nigris, in iiſce partibus corporis, ſed potiſſimum in pudendis, (quod ſignum ex Hippocrat. *in* 1. *Coac. præſag. text.* 29.) *An Text.* 66. *aut* 489. (Thucydide, & Galeno peſtis proprium eſse, quo inſpecto in emortuis corporibus, peſtem graſſari ſit dicendum, ut Franciſcus Stabilis in particulari quodam diſcurſu de hac re habito, doctiſſime demonſtravit) peſtiferam denotet corruptionem, ſummeque venenoſam. Hæc eadem ſigna in venenatis ſolent ſpectari, quod & Galen. *in lib.* 6. *de loc. affect.* nobis tradidit, quum ſubſcripſerit: *corpora, a venenis emortua, maculis lividis, nigricantibuſque, inſpecta ſpectari*. Quare dicamus lividum colorem & nigrum eſse fere perpetuo malum; etſi quandoque critice appareant hæ maculæ, quibus plures quoque ſervati fuerint, tamen hoc raro contingit, & illis non fidendum prorſus, ni coctionis ſigna apparuerint, vireſque maxime conſtiterint; in aliis vero morbis, quippe non peſtilentibus, colores lividi calorem nativum ſuffocari denotant, atque etiam nigricantes. De quibus auctor Coacorum præſag. *Text.* 212. *comment.* 10. ait: *Quod ſi vel labrum, vel palpebra, vel naſus liveat, in propinquo eſt mors*. Quidam in morituris multis genas lividas obſervant. Extrema frigida, & livida, in acutis morbis propter eamdem cauſam eſſe exitialia, poſterius, ubi de prædictione extremarum partium agemus, accurate demonſtrabimus, quod hæ partes nonniſi exſtincto calore liveant. Non minoris ſed majoris periculi erit color niger conſpectus, qui fiat a majori quoque nativi caloris exſtinctione, de quo Galen. *in* 1. *Prognoſt. comm.* 9. ait: *At vero coloris mutatio peſſima eſt, quoties ad nigrum exſiſtat, utpote ſanguine refrigerato, quemadmodum ubi foras effuſus ſanguis congelatur*. Demum dicemus, nigrum lividumque colorem non ſolum a corruptela humorum, aut a caloris nativi exſtinctione, (quod omnium eſt peſſimum, quibus ita conſpectis mors ſit inevitabilis:) ſed conſpecti hi colores a venenoſa putre-

Palidus.

Lividus.

Niger.

putredine, aliquando ubi natura critice propellit, ſpem ſalutis nobis videntur polliceri; aut humore melancholico atro ad cutem tranſmiſſo, quæ tranſmiſſio ſi critica fuerit, bonum prænuntiabit: quo tempore neceſſe eſt, coctionis in humoribus ſigna illuxiſſe, & quæpiam item bona ſigna; quod ſi ita non fiat, magnum quoque malum minatur in acutis morbis. Sed quo pacto quis dignoſcere queat, nigrum colorem ex humoris decubitu factum, ab eo, qui emoriente calore fit, Gal. *in 2. Prognoſt.* ita docuit: *Nam interdum pars nigreſcit, quia materia eo decumbit, interdum, quoniam moritur, ſeu quonam modo aliquis internoſcat, eam rem perſpicue judicabit; ſi enim facile ferre malum appareat, ideſt, facile ſe habeat æger, & item aliquod aliud ſalutare adfuerit ſignum, materiæ decubitus eſt; ſin contrarium, mortificatio.* Atque hæc ſunt de coloribus, deque ipſorum judicio. Nunc unum reſtat, quod frequentiſſime accidit, intelligendum, quippe quid ægrotos felle ſuffundi in acutis præſagiat.

CAP. V.

Quid morbus Regius in morbis prænuntiet?

Morbi regii varia denominatio. Unde producitur.

QUod ex ictericia in morbis plurimum veritatis capiatur ad futuram prædictionem, ideo ſigillatim de hac agendum duximus. Hunc vero affectum *morbum regium* aliqui appellant, quod in Aulis regum molliter curetur ludis, laſciviaque, per quæ mens exhilaretur; alii *arcuatum* a colore, teſte Celſo, arcus cæleſtis æmulo; *ictlerumque* a volucri galbula concolore; alii & *auriginem* a colore bilis auro concolore. Symptoma eſt in cutis colore vitiato, quod fit, bile utraque ad cutem effuſa, hinc ex colore duplex ictericia ſpectatur, quippe flava & nigra, a flava quidem ac nigra bile, qua cutis ſuffunditur; cutis vero corporis eo humore, aut una cum ſanguine non excreto neque purgato accedente, aut ſola natura e viſceribus ad cutim protruſo. Quod Galen. *in 4. lib. Aphoriſm. Aph. 62.* ita docuit: *Morbus Regius ſit aliquando criticus, ideſt, judicatorie, natura in totum corpus, & præcipue ad cutem, flavam bilem deponente. Fit autem & hujuſmodi caſus, hepate male ſe habente. Atque ejus affectiones malæ, ex quibus morbus Regius ſolet advenire, tres ſunt, tumor durus, inflammatio, & obſtructio. Aph. 64.* Quomodo vero hic affectus generetur, paullo poſt ita expreſſit, dicens: *Expurgatio enim in ipſo ſanguine, & bile translata ex ipſius venis ad meatus bilem recipientes, a Græcis* cholodochos *appellatos, ſive obſtructio fuerit in locis, ad quæ transfertur, ſive inflammatio aliqua, vel durus tumor, neceſſarium omnino, non expurgari ſanguinem, ſed una cum ipſo bilem per totum corpus differri, hinc morbum Regium generari.* Ex qua quidem perſpecta generatione apparet, ictericiam in morbis neque omnem bonam neque malam eſſe, atque ex ipſo affectu quandoque ſalutem, quandoque mortem præſciri poſſe: exitium, ubi apparet, crudo plane morbo exiſtente, cumque ſignis aliis malis, ſalutemque, eodem affectu conſpecto, ſignis coctionis antegreſſis, atque cum bonis ſignis. Sed quum iſt-

Prognoſticon ex ictero dubium.

hæc

hæc cognitio ad judicium prognoſtici magni ſit momenti, merito accuratius, quando & ſalutem, & quando exitium prænuntiat, dicendum. Primo bonam eſſe ictericiam in febribus dicimus, quæ fit, natura bilioſum humorem ad cutem critice propellente, quod hic motus ſit criticus, & ex recte juvantibus, judicantibuſque. Hunc motum antecedunt ſigna coctionis, a ceteriſque ictericis, non a natura critice excernente bilem craſſiorem, ſed aut veſiculæ fellis attractricis facultatis imbecillitate, aut ejuſdem meatuum attrahentium, ſive pellentium, obſtructione, aut demum hepate læſo vel ab obſtructione, vel ab inflammatione, vel denique a ſcirrho, factis, diſtinguitur. Primo, quod in critica ictericia, urinæ neque ſunt ictericorum modo coloratæ, neque croceo colore tingentes, & fæces minime candidæ apparent, ictericorum ſignorum alterutro pathognomonico. Secundo, hypochondria, ſed potiſſimum dextrum, prorſus tumore & calore vacant. Tertio, coctionis ſigna præceſſiſſe. Quarto, ubi auriginoſus ille color in aliquo dierum decretoriorum illuxerit, atque demum æger recte pertulerit morbum, ideſt febrem, aut ex toto ſolverit, aut ſaltem aliquatenus. Quare criticus motus hic eſt, qui die critica & antegreſſis coctionis ſignis, incidit, ſine hypochondrii duritie, cum excrementis & urinis ſecundum naturam ſe habentibus, a translatione bilis craſſioris in cutem, quæ ad diſcutiendum contumacior eſt, ſiquidem tenuior abit in ſudorem, & per inſenſibilem tranſpirationem expurgatur: atque hoc eſt, quod Hippocrat. *in libr. 4. Aphoriſm. 64.* ſcripſit: *Quibus in febribus morbus regius ſeptimo, vel nono, vel undecimo, vel decimoquarto ſupervenerit, bonum, niſi dextrum Hypochondrium induruerit, alioqui non bonum.* Hippocrat. itidem ſuperius *Aph. 62.* dixit: *Quibus in febribus morbus regius ante diem ſeptimum accidit, malum.* Quare regulam præſcripſit ut bonus ſit ictericus color poſt diem ſeptimam, & ante nequaquam. Galenus in comment. binos eos jungens aphoriſmos talem judicii regulam fecit, dicens: *Ante ſeptimum quidem diem morbum accidere regium, malum omnino, poſt ſeptimum vero, optimum, niſi dextrum ilium obduruerit, ideſt, niſi aliquis malus affectus ex his, quos antea diximus, viſceri ſeu hepati acciderit.* Quare ex Hippocrate morbus regius bonus erit non ante ſeptimum, ſed poſt ſeptimum, neque id perpetuo, niſi ilium dextrum tumore prorſus caruerit. Significat enim hujuſmodi color ictericus, naturam critice ad cutim craſſiorem bilem deponere, minimeque id fieri propter aliquem hepatis, vel veſicæ fellis, vel denique meatuum affectum. Diocles non voluit ictericiam a ſeptimo ex toto prodeſſe. Averrhoes *in lib. 4. collig. cap. 82.* ſcripſit, ſe in locis calidioribus vel etiam die quinto criticam bonam ictericiam vidiſſe. Idem & Celſus: ac vel etiam Plinius, hiſtoricus naturalis, auſus eſt ab Hippocrate diſſentire, quum *in lib. 26. hiſt. natur.* ita ſcripſerit: *Hipp. Icterum ante ſeptimum diem in febre mortiferum ſignum eſſe docuit. Nos ſcimus vixiſſe aliquos etiam ab hac diſparatione.* Sed Plin. eſt falſus; quum Hippocr. non mortiferum eſſe, ſed malum, ante ſeptimum in febre morbum regium conſpici, dixerit. Sed ratio quidem videtur Hippocrati non favere, quum idem ſit, dicere ictericiam poſt ſeptimum

Quando bonus.

Icteri Critici nota.

Quo morbi tempore bonus malusve Icterus, & cur?

Auctorum ab Hippocrate diſſentium.

Icterus.

diem

diem videri in febribus, bonum ; & ante hunc diem, malum ; perinde ac ſi dixerimus, bilem craſſiorem in febribus bonam eſſe poſt ſeptimum ad cutem critice demandari, & ante hunc diem, malum. At aliquis dicet bilem hanc poſſe ante diem ſeptimum & concoqui a natura, & propelli ad cutem, ex quo ante hunc diem ictericia non erit mala. Reſolvemus conciliantes hos medicinæ proceres, quod fieri quandoque poteſt aut ratione loci calidioris, aut temporis, corporis humorem bilioſum ante ſeptimum concoqui, & decretorie expelli ad cutem, veluti idem humor per id tempus concoctus ſolet non raro per ventrem decretorie expelli, aut evomi, aut per ſudorem. Hippocrat. tamen regulam conſtituit, quod ictericia poſt ſeptimum, ſeu ſeptimo, & non ante, optima ſit, quod plerumque eo modo recte fiat, atque etiam quod bilioſus hic humor craſſior, qui ad cutem deponitur, raro ante ſeptimum probe coquatur, & cum crudo humore exiſtente non poſſit critice & utiliter expelli, idcirco prudenter ſtatuit, bonæ ictericiæ terminum eſſe a ſeptima die. Neque ignoravit Hippocrat. quoſdam auriginoſos ante hunc diem conſpectos ſanitati fuiſſe reſtitutos. At non ſcripſit quosdam ſexto die auriginoſos, ſed tamen alia purgatione adjutos, evaſiſſe. De quibus *in primo Epidemior. com. 2. pag. 951. text. 65.* ita habet: *Erant qui ſexto die morbo regio afficerentur, ſed his purgatio profuit per veſicam, vel turbata alvus, vel larga ſanguinis eruptio, ut Heraclides, qui apud Ariſtoclidem decumbebat, cui per nares ſanguis erupit, alvuſque fuit turbata, & per veſicam eſt purgatus, vigeſimo autem die judicatus, longe aliter ac Phanagoreon ſervus, qui, quum ipſi horum evenire nihil, periit*: quod *in quarto de ration. vict. in acutis pag. 402. lin. 49. text. 8.* confirmavit, quum dixerit: *Cum rigore, in bilioſa febre, ante ſeptimum, morbus regius febrem ſolvit*. Forte & ii, quos Averrhoes, Celſus, Plinius & alii ante ſeptimum ſanatos viderant, alias evacuationes habuerant, illiſque adjutos evaſiſſe credendum eſt ; Galen. vero regulam non in die conſtituit, ſed in concoctione humorum, ſiquidem ait, regulam bonarum excretionum cognoſcendarum, ut dictum eſt, eſſe concoctionem ; quæ ſi citius appareat, etiam ante ſeptimam diem ſi conſpiciatur in regio morbo, bonum erit : ſed quia craſſior bilis, cujuſmodi eſt, quæ icterum facit, raro aut numquam in noſtro hoc cælo (quod forte in calidioribus locis nihil prohibet aliquando fieri poſſe) minus quam ſeptem dierum ſpatio excoquitur ; quare criticus morbus regius ſalutem oſtendit, ſi diebus ſeptimo, aut nono, aut undecimo, aut decimoquarto apparuerit, dextro hypochondrio minime indurato. Hippoc. etiam (ut nuper meminimus) *in lib. 7. de vict. ratione in acut. loco modo allegato text. 8.* hæc habet: *In bilioſa febre, morbus regius cum rigore ante ſeptimum diem enatus, morbum ſolvit, ſi vero abſque rigore præter temporis occaſionem ſupervenerit, perniciosum*: quod idem a nobis prædictum, & declaratum, oſtenditur, quando in febribus bilioſis, ut alias a nobis demonſtratum eſt, rigores judicatorii appareant, teſtantur bonam aliquam vacuationem futuram, aut expulſionem, aut depoſitionem humoris ad cutem, aut ad aliam partem ignobilem, de quo Hippocrat. merito, *in 4. Aphor. 58.* ſcripſit: *ſi febre ardente*

Galeni ſententia

Conciliatio.

dente laboranti rigor ſuperveniat, febris ſolvitur. Bona quandoque eſt etiam ſexta vel alia die, ubi una aliqua alia vel plures excretiones biliosæ apparuerint. Cujuſmodi Hippocrat. *in 1. lib. Epidem. com. 2. pag. 951. text. 65.* ut dictum eſt, obſervavit. Addamus, nos debere judicium ex ictericia bonum cum aliis bonis ſignis confirmari. Sed age dicamus, quando ictericia mala & exitialis ſit. Plerumque, ait Hippoc. *Lib. 4. Aphoriſm. 62. & lib. de Criſibus pag. 53. & lib. de vict. rat. in acut. pag. 402. lin. 49.* ante ſeptimum viſa eſt mala, non tamen dixit eſſe mortiferam, ut quibuſdam viſum eſt. Sed cum non bonis ſignis, nullaque alia copioſa vacuatione, exitialis erit, ſi ante ſeptimum appareat. Cujuſmodi fuit in *Bali filio* teſte Hippocrat. *in lib. 7. Epidem. text. 19.* & *in Marito Lechus*, qui prope *Sitodochi* ædes habitabat *Lib. IV. Epid. text. 25. pag. 1130.* non parum damnanda. Quod Galen. *in lib. 3. Epid. com. 1. text. 5.* ita expreſſit: *Nullum abſceſſum nedum auriginoſum ante concoctionem proficere, is enim impeditam ſignificat bilem, quo minus ex viſcere expurgetur, & evacuetur per ventrem, vel propter oppilationem ejus, vel inflammationem; morbo autem concocto decretorie interim natura ad cutem excrementum reponit, quum quorumdam aliorum humorum, tum flavæ bilis.* Quare crudo morbo exiſtente, mala eſt, & hinc ſexto die, quod tunc non concoctus ſit morbus, malam eſſe dicimus, cumque ſignis cruditatis, verendam, & cum malis ſignis inſpectam, prorſus exitialem. Cujuſmodi fuit, quam *Hermocrates* habuit, qui obiit eo morbo. De quo Hipp. *in 3. ep. Ægr. 2. pag. 1062. Quinto die reddidit tenues urinas, ſuſpenſionem habebant, nec ſubſidebant, ſub noctem deliravit. Die ſexto auriginoſus evaſit, omnia exacerbata ſunt, mente non conſtabat.* Addidit Hipp. malas nedum eſſe ante ſeptimum diem, ſed poſt ipſam etiam, ubi dextrum Ilium obduruerit, ictericias, ſtatuit *lib. 4. Aph. 64.* qui ita habet: *Quibus in febribus morbus regius ſeptimo, vel nono, vel undecimo, vel decimoquarto, ſupervenerit, bonum: niſi dextrum ilium obduruerit, alioqui non bonum.* Quum hypochondria tenſa, & dura ſint, adhuc etiam, ſi una dolent, ſine dubio morbum regium fieri non a natura excernente humorem ad cutem, ſed propter affectum illud viſcus, aut inflammato ſcilicet jecore, aut obſtructo, aut in tumorem ſcirrhoſum elato. Qui affectus perpetuo malum denotat, atque una cum malis ſignis, exitium. Nam ictericia ex hac cauſa ſine febre quoque pericoloſa admodum eſt, ex Hipp. *in 6. Aph. 52.* ita ſcribente: *Morbo regio laborantibus, ſi fiat hepar durum, malum.* Multoque magis augebitur mali judicium, in febribus apparente ictero, quando febris calore digerat, & diſcutiat plurimum illius humoris cutem defœdantis; qui quum perſeveret, cauſam ſane, a natura minime vincibilem, adeſſe denotat. Cujuſmodi Hipp. obſervavit in *Marito Lechus*, de quo *in lib. 4. Epid. text. 25. p. 1130.* ita ſcripſit: *Maritus Lechus, qui prope Sitodochi ædes ictericus, ad quem ſeptimo die veni, octavo moriebatur, neque urinam, neque dejectionem dimittens, hypochondria magna & dura & ſpiritus denſus.* Verum in omnibus auriginoſis attendendum erit, num præceſſerint ſigna coctionis, an quæpiam ſigna mala illuxerint, hoc enim & crudo morbo exiſtente, ſi aurigo fiat, exitiale eſt; veluti cum antegreſſis coctionis ſignis,

Ictervs quinam malus

Quo tempore apparens.

atque

atque cum bonis ſignis, nullo timore in illis conſpecto, perpetuo, quovis etiam die icterícia apparuerit, ſalutem prænuntiat: ſed hiſce notis, quod ante ſeptimum appareat raro, merito Hippoc. affirmavit, ante ſeptimum regium morbum malum eſſe. Supereſſet, abſoluto ſermone de prædictione ex colore corporis mutato, agendum de ejusdem corporis calore quoque mutato, de quo quum accuratius *in lib. 2. text. 63.* ſcripſerimus, nihil ſane aliud dicemus. Ex quo ad ſingulas partes corporis ſpectandas deſcendamus, quum ſatis, quum a toto corpore, tum a tota facie, præſagium perſcrutati fuerimus.

CAP. VI.

De prædictione ex faciei mutatione in morbis.

UT e ſingulis quoque partibus præſagium venemur, a facie exordimur, de qua etſi nuper plura ſcripſerimus, nunc pauca quoque, quaſi ex dictis quædam præcipua ad prædictionem colligentes, addemus. De qua primo Hippocrates *in libro primo Prognoſticorum pag. 36. lin. 26. &c. textu octavo* ſcribit: *Conſiderari convenit hunc in modum per morbos acutos principio vultum ægroti, ſit ne ſimilis bene valentium, potiſſimum ſui: Ita enim optimus erit: ſi vero quam maxime contrarius ſimili ſit, exitioſiſſimus eſt.* Galen. *in comment.* ait: *Conferendas eſſe partes affectas cum bene valentibus, quæ ſi ſimiles appareant, bonum, veluti contrarium ex diſſimilibus prædicitur.* At breviter dicamus: Ex facie ſalutem ſperari, quæ in acutis prorſus ſimilis bene valentium appareat. Significat enim morbum neque vehementem, neque malignum admodum eſſe. Ex mutata vero facie, quod ad habitum ipſum ſpectat extenuata in morborum non principiis, ſed ubi indies magis progreſſus ſit, quicquam certi non habetur, neque etiam ut Hipp. in eodem libro *Prog. p. 37. lin. 1. &c.* meminit, ſi talis non ex morbo, aut ex alia externa quapiam cauſa mutata apparuerit, ſcilicet ex immoderata animi paſſione, vigilia, aut alvi dejectione, aut fame, ſive inedia, aut animi paſſione, qua antea fuerit uſus; a quibus ſane cauſis ſæpius facies extenuatur. Proinde quicquam certi ad prædictionem iſthæc faciei ab iſtis cauſis facta extenuatio non habebit. Ex colore vero, facies coloratior quandoque bona erit, utpote quum nobis criticam ſanguinis excretionem e naribus futuram prænuntiat, quod quidem firmius denotare ſperabimus, ſi notæ fluxuri e naribus ſanguinis aderunt. De quibus in *quarto libro Coac. præſag. text. 142.* ſcriptum eſt: *Quibus febricitantibus rubores in facie, & capitis vehemens dolor, venarumque pulſus, iis ut plurimum fluor ſit ſanguinis.*

Facies ſane ſimilis bona.

Diſſimilis incerti prognoſtici.

Coloratior quãdo bona.

Nonnumquã hæmorrhagiam narium notat, & quando.

Sed aliæ omnes erunt attendendæ ſimul, cujuſmodi eſſe ſolent, ſplendores & fulgores, caligineſque, oculis obverſari, cum facie rubra, capitis non raro dolor tenſivus, & gravans, hypochondria tenſa ſine dolore, difficilis reſpiratio. Quod præſagium olim Galen. in *juvene Romano* coram Romanis multis.

multis Medicis habuit, de quo *in libr. de præsag. text.* 13. *ad Posthumum* hæc habet: *Dum Medicis hæc admiranda videntur, ager lecto se sustulit tamquam prosiliturus, interrogatusque, cur exsilire voluisset, quum nihil adesset ob quod id facere debuisset; rubri coloris serpentem, per laquearia repentem, a se visum expavisse respondit, ne si aliquo modo aberrasset, supra se ferretur, atque idcirco e lectulo aufugere velle: reliquis nihil ad futurum sanguinis fluxum conferre visum est; mihi vero quum alia singula perpendenti tum ruborem, qui prius in dextra nasi parte ad malam usque obscurus fuerat, auctum val. de intuenti, sanguinis paullo post e dextra nare fluxuri, manifestum id attulit indicium.* Ceterum, ut jam dictum est, cetera alia signa fluxuri sanguinis cum rubra facie erunt attendenda, omniumque maxime signa coctionis. Nam in crudo morbo raro recte sanguis erumpit, & plerumque stillatim, quæ vacuatio in ardentibus febribus, omniumque maxime in phreniticis, est suspecta. Addamus rubram faciem abscessum aliquando post aures, scilicet parotides, significare, de quibus Hippoc. intellexisse *in 6. Epid. sect. 2. text.* 11. *p.* 1169. Gal. voluit quum dixerit: *Ita vero se habent ex his plurimi & valde rubentes, & natura albidioris modi, neque de naribus sanguis erumpit, aut paucus erumpit*, & Gal. in *com.* ait: *Istis valde rubentem faciem habentibus, quum salubris ægritudo perdurat, per abscessus judicationem fore sperandum est, nisi de naribus sanguinis profluvium redundantem sanguinem evacuatione prævertat, qui in aliquem articulum impetum facturus erat.* De hac itidem Auctor *Prorrh. lib. 1. text.* 165. hæc habet: *Quibus comatosa, fastidiosa, hypochondria dolentia, & vomentia exigua, in iis parotides excitantur; antea autem faciei signa:* & Galen. *in comment.* ait: *Ante parotidum generationem faciei signa considerare oportet; sunt hæc rubor, tumor præter naturam, oculorum humiditas, caliginosa visio, & quæcumque talia.* Colligamus itaque faciem rubram non raro bonam ex accedenti esse, criticumque signum dici, ubi nimirum e naribus sanguis est fluxurus. Plerumque vero apparet hæc facies in accessionum vigore, præsertimque in synocho, & ardenti febre, aut ubi pulmonum adest inflammatio, in qua maxillæ (teste Hippocr. *in 2. lib. Prognost. pag. 42. lin. 31.*) ruborem contrahunt. At ab hac sola facie nihil certi ad prædictionem habetur, nisi ejus indicium aliis, vel bonis, vel malis, signis fuerit confirmatum. Atque hæc de bona facie: nunc de mala, quod ex eadem mutata præsagiri potest.

Aliquando parotides.

Primo ait Hippocrates *in primo Prognosticorum pag. 36. & 37.* eam, quæ nulla externa causa concurrente, principio morbi, dissimilis a recte valenti evasit, mali esse indicii, atque maxime contrariam esse pernicioſam, in acutisque morbis exitium portendere. Cujusmodi est, in qua (ait Hippoc. *Prognost. p. 36. lin. 30.*) *nasus est acutus, cavi oculi, adstricta tempora, aures frigidæ contractæque, & fibræ earum versæ, & item cutis circa frontem dura, intenta, arida, & color totius vultus viridis, aut niger, aut lividus, aut plumbeus.* Hanc enim faciem cadaverosam merito Medici appellant, quæ si in principio morborum acutorum, quippe intra triduum, appareat, pernicialis erit.

Tumidam quoque eamdem visam in morbis quibusdam longis, hepate refri-

refrigerato, vitiataque ſanguificatione, obſervamus, non minuſque in phthiſicis, & ſuppuratis, quando in ipſis fere moribundis conſpici ſoleat. De rubra vero facie, quæ mala eſt, Auctor *Prorrheticorum lib.* 1. 49. *Facies bona cum mæſtitia multa malum*: & Galen. ait in *commento*, ſignificare calidam affectionem, exurentem ſanguinem, ex quo facies illa florida quibuſdam credatur propria melancholici affectus. Sed in rubra facie attendenda erunt alia ſigna, quæ ſi mala fuerint, pernicialis erit. Nam cum malis ſignis rubra facies aliquando phrenitidem oſtendit, & exitioſam, quæ in convulſiones deſinit. Nam ſi una cum rubore facici adſit intuitus ferox, delirium, aut aliquod phreniticum ſignum, letale eſt. De qua *in Coacis præſagiis text.* 162. *Qui capite dolent firmiter, delirantes, alvo ſuppreſſa, feroci aſpectu, rubore in facie efflorescente, in poſteriorem partem convelluntur.* Sed alias *text.* 7. demonſtratum eſt, has convulſiones eſſe letales. Quum vero præter calorem etiam colorem fiammeum habet, pejor adhuc erit, cum malis ſignis. De his enim Auctor *Coac. Præſag. text.* 7. ſcribit: *Rigores, quibus multa in ſomnum inclinatio juncta eſt, utcumque letales ſunt, quod ſi in iis facies in flamma modo exardeſcit cum ſudore malignum eſt.* Sed melius hoc expreſſum eſt *in* 2. *lib. Prorrheticorum lib.* 1. *text.* 67. hiſce verbis: *Æſtuoſi rigores quadamtenus perniciosi, inflammans quoque cum ſudore facies in his mala*: & Galen. *in comment. text.* 60. ait: *Neque ignoramus flammantem, ſine rigore, & cum ſudore, faciem malum eſſe ſignum, quoniam & unum ex judicatoriis ſudor ſit, quum igitur non judicaverit, malignitatem morbi oſtendit.* Quare cum ſigno aliquo judicatorio, veluti cum ſudore aut vomitu, aut alvi fluxu, aut ſanguinis vacuatione, facies flammea, ſignum erit malignitatis, & plerumque letale: ſed age addamus faciem rubram apparere in pulmonariis; ſed ruborem in iis maxillæ contrahunt, ex quo in febribus ſigno merito ſuſpicamur, aut peripneumonicos fieri, aut ſuppurari. Hippocrat. enim *in ſecundo prognoſtic. pag.* 41. *lin.* 31. ait: purulentos habere maxillas rubras; idemque & in pulmonia ſpectari, docuit Galen. *in* 1. *lib. prognoſt. com.* 3. *Indicat enim fulginem ſanguinis in pulmone ferventis, quæ eo conſcendit propter rectum ſitum, recipiturque in laxitate, & raritate & tenuiſſima maxillarum cute, ceu per vitrum oculis repreſentante ruborem.* Qui quidem color in iis, ſi una cum malis ſignis, & præſertim judicatoriis malis, ideſt, non judicantibus, appareat, mortem præſagit. De quo auctor Coac. præſag. *text.* 67. ſcripſit: *Quibus vero faſtidia cibi accedunt, & ſudores cum bono faciei colore, & liquida alvo ac dolore cordis, hi peripneumonicorum aut pulmonariorum more intereunt, poſtquam longius ægrotaverint*; veluti *uxori Policratis* evenit, de qua *in lib.* 7. *Epidem. text.* 9. *pag.* 1211. ſcriptum eſt: *Tuſſis, & excretio ſtatim ab initio ſimilis purulentis, intus circa arteriam, & fauces ſibilus erat. Facies boni coloris, in genis rubor non abunde coloratus, ſed moderate floridus.* Hæc fuit prior peripneumonica, poſt ſuppurata, atque demum obiit tabida. Maxillarum itaque rubor aſſiduus in longis lentiſque febribus, aut pulmonis inflammationis, aut ſuppurationis, ac demum ad tabem proficiſcentium,

Maxillarũ rubor in longis

ſcentium erit ſignum, modo tuſſis vel etiam leviſſima & inanis adfuerit: adde, modo hæc febris habeat inæqualis caloris exacerbationes, numquam tamen immunes. *morbis quid notat.*

CAP. VII.

De prædictione ex oculis.

EX oculis quoque judicium prognoſtici venemur, idque accuratius, quod in prædicendis eventibus morborum inter partes corporis primatum obtineant. Juxta illud divini Hipp. præceptum *Lib. VI. Epid. Sect. 4. text. 26. p. 1181. oculi ut valent, ita & corpus, & color in deterius aut melius labitur*. Si quidem oculi recte valentes, & robuſti, corpus quoque recte valere indicabunt. Nam, teſte Galeno *in commento*, ſi bene colorati oculi ſint, totum corpus ſalubriter ſe habere ſignificant. Ceterum, ut nos totum, quicquid ad morborum, ſalutis & mortis, prognoſticum facit, ordine ſcribamus, primo oculos ſalutem pollicentes, & poſtea exitium, accurate conſiderabimus.

Primo itaque dicemus, oculos bonos videri, & ſpem ſalutis non exiguam polliceri, qui recte valentium magnitudine, figura, ſitu, colore, motu, viſione, & ſplendore ſunt ſimiles; ſiquidem optimi & robuſti perpetuo boni ſunt indicii, hique ſunt, qui florido colore (teſte Galeno in *nuper citato comment.*) ſpectantur, pleniori mole, & ſplendidum humorem habent. Hos robuſtos ac optimos vocat Galen. propterea, quod iſtud fiat ex plurimo animali ſpiritu luminoſo, qui e cerebro in oculos proficiſcitur, ac e contrario infirma ex morbis corpora non ſic pati, nobis indicant, neque exinde multum periculi præmonſtrari. Quare boni ſunt ſimiles recte valentibus, & floridi coloris, pleni, ſplendidi, eminus, & ante, & in aere ſine moleſtia luminoſum videntes, palpebras recte aperientes, & claudentes, nullo rubore, livore, aut nigrore infecti, ſine lacrymis, atque ſine excrementis, quæ *lemas* appellant, ipſorum angulis adhærentibus. Hi enim perpetuo boni exiſtunt, quum caput ſpeciatim, tum reliquum corpus recte ſe habere indicantes: ſed ut ſecurius ex ipſis judicetur, alia ſigna conſpecta ſimul erunt conſulenda, quæ ſi bona ſint, proculdubio ſalutem prædicemus. Soli autem oculi non valent judicium præmonſtrare, neque quicquam certi, cui tantum ad prognoſticum ſit fidendum, habent. Quum in aliquibus febribus continuis aliquando boni oculi appareant, quum tamen febris ad exitium inclinet, hoc tamen raro accidit, quippe oculos recte ſe habere, ægro ad exitium tendente. Proinde ex bonis oculis plerumque non levis futuræ ſalutis ſpes habetur. At non modo hi boni crediti, ſed etiam aliquando mali, poſſunt ex accidenti tamen ſalutis nobis argumento eſſe futuræ: utique lucem refugientes, eamque ferre nequeuntes, lacrymantes, intenſe rubri, ſplendidi, caliginoſi, obtuſi, hebetes, diſtorti, tumidi, cavi, clauſi, ſi ita ex criſi futura fiant. Ab his excipio, qui ita non ex morbo red- *Oculi quinam boni, & ſpem ſalutis pollicentur.*

duntur, ſed extrinſecus fiunt, a quibus quicquam certi habere nequimus, quos ex eo cognoſcimus ita eſſe mutatos, quia tales ſtatim in principio mutati appareant, qui per id temporis minime poſſunt critice mutari, ex quo Hippocrat. *pag.* 37. *lin.* 10. ait, triduo aut quatriduo ex morbi vi oculos malos fieri ac conſpici. Externæ quoque cauſæ facile ab ægrotis intelliguntur. De his Galen. *in* 1. *Prognoſt. comm.* 2. *text.* 80. ita habet: *Igitur ex multa vini potione, nonnumquam, & vomitione vehementi, inter initia morbi, lucem refugiunt, itidem lacrymant, & pervertuntur oculi, aut ſublimes fiunt, aut tument, aut venulas habent rubras.* Ubi vero criſis eſt futura, natura quippe ac morbo invicem colluctantibus, in oculis mala iſthæc concitantur ſymptomata; lacrymantur enim exempli gratia ipſorum alii aliquando, ſanguine critice e naribus fluxuro; de quo Hippocrat. *in lib.* 1. *Epidemior. Sect.* 2. *pag.* 956. ita habet: *Quibus in febribus acutis atque adeo ardentibus ſpontaneæ effluunt lacrymæ, his* (ſiquidem reliqua non ſint exitialia) *e naribus ſanguinis eruptio exſpectanda; ſi etiam alia pernicioſe non habeant: nam his, qui incommode habent, non ſanguinis eruptionem, verum portendunt mortem.* Sed diſtinguamus lacrymas in voluntarias atque in non voluntarias, quas & ſpontaneas vocat; hæ cum ſignis criticis criticam ſanguinis eruptionem indicant, & illæ quippe voluntariæ numquam quicquam certi ad Prognoſticum præmonſtrant, quod Hippocr. nobis expreſſit *in* 4. *libro Aphoriſmor.* 52. ita ſcribens: *Quicumque in febribus, vel in aliis morbis, ſponte lacrymantur, nihil abſurdum: quod vero non ſponte, abſurdius, aut abſurdum,* uti Galeno in *commento* viſum fuit. Sed ne Hippocr. ſententia obſcuretur, quod in hoc Aphoriſmo dixerit, ſponte lacrymantes nihil abſurdum, quod vero non ſponte abſurdius: & ſuperius in loco citato, ſpontaneas effluentes lacrymas, ubi non criſin, mortem ſignificare: & *in* 6. *Epidem. Sect.* 1. *text.* 16. *pag.* 116. *lacrymæ in acutis male habentibus ſpontaneæ, quidem bonæ, involuntarie defluentes, malæ*; difficultati occurremus, dicentes ſpontaneas bifariam lacrymas intelligi: uno modo, ubi nullo intercedente ægrotantium deſiderio defluunt, & hoc eſt, quod Hippocr. ſponte & ſpontaneas appellat, quæ invitis ægrotis effluunt ſponte, ideſt, abſque ægroti voluntate; altero modo ſponte effluere dicimus, ubi ægrotis ita volentibus effluunt. Gal. vero *in* 1. *Epidem. comm.* 1. *text.* 131. Hippocr. lib. comm. non dixit ſpontaneas, ſed involuntarias, quo clarius & verius ſententia & veritas explicatur. Sed *ſponte* aliquando ad ægrotum, & aliquando ad morbum refertur. Sed, uno verbo, diſtinguamus lacrymas in voluntarias, & in involuntarias, quas quandoque ſpontaneas dixit Hippoc. *Lib.* 1. *Epidem. Sect.* 2. *p.* 956. *comm.* 2. *in tex.* 80. quod ſponte, ut dictum eſt, nullo ægroti intercedente deſiderio, effluant; & illas non ſpontaneas, quæ ex ægrotis utpote fiant. Sed de his ſatis. Ad propoſitum reverſi dicamus, voluntarias lacrymas quicquam momenti non habere ad futurum Prognoſticum, atque ita in morbis acutis ægrotos lacrymare, ait *in* 4. *Aphoriſmorum text.* 52. Hippocr. nihil abſurdum, nullumque malum ſignificare, & merito quidem, cum non ex morbo, ſed ita volentibus ægrotis, effluant.

Lacrymarum diſtinctio, & quid in acutis morbis notat.

Lacryma involuntaria.

In-

Involuntariæ vero, quæ invitis ægrotis exeunt, perpetuo malæ, niſi criſin portendant ac antecedant. Atque hoc eſt, quod Hippocr. *in* 1. *Epidemior. Sect.* 2. *p.* 956. *text.* 85. de his ita ſcripſit, Galeno ſic *in commentario* ſcribente: *Quibuſcumque in acutis febribus, magis autem ardentibus involuntariæ lacrymæ cadunt, his de naribus ſanguinis profluvium exſpectandum eſt, niſi alia pernicioſe habeant: in male autem habentibus non ſanguinis profluvium, ſed mortem ſignificant.* Sed ut lacrymæ criticæ judicentur, neceſſe erit, ad hoc, ut optima ſit criſis, coctionis ſigna fuiſſe antegreſſa: atque hæ ſunt criticæ nullo modo in morbis damnandæ. *Lacrymæ involuntariæ.* *Lacrymæ criticæ.*

Idem ſæpius demonſtrant fulgoris motus oculis apparentes, obtuſiones, ac rubores in oculis, quæ oculorum ſigna, itemque lacrymas, Galen. *in lib.* 3. *de Criſibus cap.* 11. inter notas ſanguinis fluxuri recenſuit, ita dicens: *Propria vero ſigna profluvii ſanguinis, quidam fulgoris motus oculis apparentes, quoniam humor eſt flavus; obtuſiones autem, quoniam multus, & totus ſimul elatus ad ſuperiora ſpiritus meatus obſerat, ita ut & oculi lacrymentur, ob fluxus multitudinem, quod etiam accidit in inflammationibus oculorum.* Eodem modo rubidi aliquando videntur, cum malis nonnumquam & naribus. Hebetudines itidem oculorum ſolent aliquando eruptionem ſanguinis e naribus denotare, ſi modo etiam caput doluerit, quod Hippocr. *in* 1. *Prognoſtic. pag.* 38. *lin.* 46. *text.* 32. ita habet: *Accidit his in prima circuitione e naribus fluor, atque admodum juvat, ſed requirendum eſt, num doleat caput, an habetudines ſubeant oculorum, ſi quid horum fuerit, eo tendet.* Non minus etiam ex perturbatione ad ſplendorem oculorum, una cum ſurditate capitis, gravitate, atque hypochondrii tenſione, profluvium ſanguinis ſignificari, in *Coacis præſagiis Text.* 195. habetur. Oculos vero rubentes illud idem ſignificare, docuit primo Auctor Prorrhet. *Libr.* 1. *text.* 137. dicens: *Cervicis dolores, impenſe rubri oculi, ſanguinis eruptionem oſtendunt.* De quibus etiam in Coacor. præſag. *Text.* 166. ita ſcriptum eſt: *Quibus caput dolet, ſtupore detentis, doloroſis, prærubro oculo, ſanguinem profundunt e naribus.* Sed hoc perpetuo verum erit antegreſſis ſignis coctionis, quoniam in principio, crudo quidem exiſtente morbo, oculi rubri numquam bonum prænuntiant: ſed de hoc paullo poſt accuratius. Aliquando etiam pervertuntur, & diſtorquentur ex futura criſi oculi, veluti contigit ei, qui in *Dealeis horto* decumbebat, de quo Hippocrat. *Lib.* 6. *Epidemiorum, Ægrot.* 3. *pag.* 1066. *Nono ſuperriguit, febris acuta, ſudavit, infrixit, deliravit, dexter oculus diſtortus erat, lingua arida, ſitibundus erat, inſomnis.* & Galen. *in comm. Nam quod deliraverit in nona, & dextro oculo ſtrabo fuerit, res ſunt, quæ ſolent in judiciis evenire.* Clauſi etiam oculi, ſubinde conniventes, aliquando ſanguinis eruptionem ſignificare *in lib.* 3. *Coacorum præſag. Text.* 77. in hunc modum legitur: *Qui in febre continua muti jacent, clauſis oculis, ſubinde conniventibus, ſiquidem e naribus ſanguis effluxerit, & vomuerint, atque ex eo loquantur, & ad ſeipſos redeant, ſervantur: quod ſi nihil horum evenerit, in difficilem ſpiritum redacti, brevi moriuntur.* *Sanguinis fluxuri ſigna ex oculis.*

Siquidem hæc plurimum humorem in caput ſublatum demonſtrant, atque ubi ſequitur inſignis purgatio, critice ſervantur: natura quippe excretione copioſa ab ea humorum multitudine ſublevatur. Quare oculi non raro vel etiam motus eorum mutati, vitiumque patientes, criſin ſolent antecedere, non eſſeque propterea hæc oculorum ſymptomata mala, ſed critica bona denotare, quorum judicium confirmabitur, ſi nullum una malum ſignum illuxerit, atque antea fuerint conſpecta coctionis ſigna: quæ omnia ni una fuerint viſa, nedum mala, ſed plerumque perniciem ſignificantia ſigna oſtendunt. Tria vero criticis bonis ſignis obſervantur, primum ſigna coctionis antegreſſa, alterum mala alia ſigna non illuxiſſe, ac tertium, ægros ab aliquibus ſubſecutis vacuationibus fuiſſe non parum juvatos; & hoc eſt, quod Hippocrat. *in 1. Epidem. Sect. 2. pag. 956. text.* 85. de lacrymarum præſagio locutus: dixit: *lacrymas involuntarias in acutis morbis ſanguinis eruptionem ſignificare, niſi alia pernicioſe habeant. In male autem habentibus, non criſin, ſed mortem.* Sed age tempus eſt, ut ex oculis quoque exitium præſagiamus, quum de oculorum ſignis ſalutaribus ſatis ſcripſerimus. Malum itaque & exitioſum eſt in acutis morbis, malos oculos ſpectari, cujuſmodi ſunt lucem refugientes, lacrymantes, rubri ſeu inflammati, quorum in albo venulæ intenſæ rubeant, liveant, aut nigricent, feroces ſeu fixi, ſeu torvide ſpectantes, hebetes, delaſſati, debiles, ſeu non robuſti, cavi, tumidi, prominentes, conſumti, emarceſcentes, ſqualidi, pulviſculoſi, clauſi, ſemiclauſi ſive ſuſpicientes, palpebris non conniventibus, ſublimes, inſtabiles, concreti, ſtupidi, minus, nimis ſplendentes, obſcurati, ſeu obtenebrati, ſplendore carentes, & in quibus pituitoſum excrementum ſpectatur. Hos enim oculos perpetuo malos, numquam per ſe bonos eſſe, ex infra allegandis locis patebit, ni aliquando, quatenus accidit, critice natura & morbo colluctantibus, hos ita fieri, criſin prænuntient, inter criticaque ſigna recenſeantur, quæ quomodo diſtincte cognoſcantur, nuper a nobis monſtratum eſt.

Oculi ante criſin non raro ſolēt mutari.

Oculi quomodo exitium præſagiunt in morbis.

Hæc omnia oculorum ſigna itaque ſuſpectum acutorum morborum judicium reddunt. Quorum quædam plane ſunt exitialia, utpote venulas in albo oculi lividas & nigras videri, ægrotos non videre & non audire, oculos omni ſplendore eſſe deſtitutos, & omnia nuper dicta cum exitiali aliquo ſigno, omniumque maxime in die judicatoria conſpecta, cum ſignis judicatoriis non judicantibus. Sed præſtabit, ut de ſingulis oculorum hiſce ſignis agamus, & de primo prodamus ſigna oculorum præcipua ad exitium prædicendum, quæ *in primo libro Prognoſticorum pagin. 37. lin. 15. text.* 35. Hippocrat. ita eſt complexus, dicens: *Si enim lucem effugiant, aut nolentes illacrymentur, aut pervertantur, aut alter altero fiat minor, aut candidum rubidum habeant, aut lividas, aut nigras venulas, aut pituita appareat circa obtutum, aut ſublimes tumide oculi, vel cavi admodum fuerint, aut obtutus ſqualidus, & ſine ſplendore, vel totius vultus color evariet. Hæc omnia mala eſſe & exitioſa, cenſendum eſt.* Addamus ſi non ab aliqua cauſa

cauſa externa hæc fuerint, utpote, neque a vigilia, neque inedia, neque immodico alvi profluvio, neque ebrietate, neque ab aliqua alia ſimili cauſa. Sed ut dictum eſt, ſingula propriis capitibus contenta accuratius conſideremus, a viſione ac viſu ipſo incipientes. Quandoque in acutis morbis fit, ut lucem refugiant, minimeque aerem lucidum oculi intueri poſſint, quod ſignum olim in *peſte Patavina* multis fuit familiare, paucique peſte infectorum, in quibus hoc ſignum fuerit obſervatum, fuerunt, qui ſuperſtites evaſerint. Quod ſignum Hippocratis inter exitioſa recenſuiſſe nuper vidimus. Neque immerito: quum ex Galeno oculi lucem refugiant propter debilitatem viſoriæ facultatis, quæ nonnumquam affectione laborat orificiorum, veluti per lippitudines; & interdum ipſa facultas viſoria affecta eſt, quod exitiale quoque eſt: hæc vero ab illa cauſa ex eo diſtinguitur, quod oculorum orificia minime affecta conſpiciantur. Ægrotos vero in acutis morbis non videre, exitioſum eſt: omniumque maxime, ſi debili jam exiſtente corpore id eveniat, ut Hipp. *in lib. 4. Aphoriſ. 49.* hiſce verbis expreſſit: *In febre non intermittente, ſi vel non audiat, vel non videat, jam debili exiſtente corpore, mors proxima eſt.* Galen. in oculo totius lucis impedimentum, quod *Amauroſis* dicitur, ſignum imbecillæ facultatis eſſe, in *tertio Prorrheticorum* ſcriptum reliquit. Obſcurationes quoque oculorum malas eſſe, ex eod. Hippocrate *in lib. 6. Epidemior. ſect. 1. text. 16. p. 1165.* conſtat; in acutis enim morbis ait Galen. *in commentar.* obſcurari oculorum aciem, infirmitatem & interitum viſoriæ potentiæ ſignificare, niſi critice id fiat, quod indicabunt coctionis ſigna, ceteraque alia ſigna, criſin ſignificantia. Ubi vero mala alia illuxerint, ac ſpeciatim cum judicatorio aliquo non judicante, cujuſmodi ſunt omnes vacuationes nihil conferentes, aut has vacuationes obſcuratio hæc oculorum fuerit ſecuta, exitiale eſt: de qua forte Auctor *Coac. præſagiorum text.* 105. ita habet, *Tumores juxta aures in morbis longis pravi, ſi inde fluor ſanguinis, e naribus & tenebræ ab oculos effuſæ moveantur, letale.* Ipſos vero oculos hebetes videri, extrinſecus quippe ſpectantibus oculis acie hebetes apparere, interioreſque mortuorum oculis ſimiles, letaliſſimum eſſe, Galen. in 2. Prorrheticor. *com. 2. tex. 16.* tradidit: & hoc forte eſt, quod Hipp. *in 2. Epid. ſect. 6. p. 1053. E. F.* dicit: *Quorum oculi non ſunt robuſti, mors in proximo.* Veluti *uxori Theodori* contigit, teſte Hippoc. *in lib. 7. Epid. pag. 1216. text.* 27. Eodem quoque modo carentes ſplendore, perniciales eſſe in *primo Prognoſticor. pag. 37. lin. 21.* docuit. Excæcatos videri in morbo mortali, proximum exitium demonſtrari, *Antiphonis filii ſuppurati* exemplum docet, de quo *in lib. 7. Epidemior. pag. 1217. text. 28.* ſcriptum eſt: *Oculus ſiniſter excæcatus eſt cum tumore ſine dolore, non multo autem poſt etiam dexter, & pupillæ valde albæ & ſiccæ fiebant, & mortuus eſt poſt cæcitatem.* Moribundis adſtantes morituros cito ægrotos, ex oculis ſplendorem amittentibus animadvertunt, cum quo & viſus prorſus perit; & hoc eſt quod Hippocrat. *in 1. Prognoſticorum* (*Vide ſub lit. e,*) dixit: *aut obtuſus, ſqualidus, & ſine ſplendore.* His opponuntur oculi feroces, horridi, audaces, Hippocrates *in 6. Epidem. ſect. 1. text. 19. pag. 1165. text. 15.* Hoſque

Si non videant.

Si oculi obſcurentur.

Si hebetes conſpiciantur.

Si ſplendore carerent.

Oculi delirantis non proprii.

proprios eſſe delirantium ac phreneticorum, plerumque convulſionem accerſentes, aut mortem, cum aliis malis ſignis, Hipp. in loco citato expreſſit, dicens: *Oculi audacia, delirii ſignum eſt: & dejectio, & fractio, malum.* Et *Prorrhetic. Lib.* 1. *text.* 88. Hos in phreniticis conſpectos oculos convulſionem denotare ſcriptum eſt, atque exinde mortem; quum phreniticis convulſiones ſuccedere, eſſe pernicioſum, alias demonſtraverimus, atque exitiales phrenitides in haſce finiri convulſiones. Propterea hos ægrotos Auctor Prorrh. *Lib.* 1. *Prorrhet. text.* 72. magis natura quam medicamentis, ſi Galen. credendum eſt, eſſe tractandos, ſtatuit, quum dicat: *Nigra vomentes, cibos faſtidientes, deliros, quibus oculus ferox, clauſuſque, purgare non oportet, pernicioſum enim.* Quo exemplo plures Medicorum egregie perdocti ſibi propoſuerunt, ut in moribundis prorſus a ſimilibus medicamentis abſtinerent, ne ars Medica ab ipſis infamaretur. Sed ex magnitudine quoque oculorum, quo in morbis quandoque alter altero aut minor aut major appareat, exitium prænoſcitur. Inter pernicioſa ſigna Hippocrat. *Prognoſt. pag.* 37. *lin.* 17. notat, oculorum alterum fieri minorem, & Galen. *in comment.* indicare nobis, exſtingui facultatem regentem, ſtatuit. Non minus malum eſt, ſi majores appareant, in morbo pernicioſo, qui & multitudine humorum caput gravari, & facultatem exſtinctam, quod nimirum quicquam non repugnet humori ad oculos fluenti, indicat; quod ſignum in *puero Nicolai*, Hippocrat. *in* 7. *Epidem. pag.* 1234. *text.* 100. moribundo vidit, cujus ſexta die dexter oculus major dum conſpiceretur, ſeptima mortuus eſt; quodque etiam in *Ermoptolemi uxore, lib.* 7. *Epidem. text.* 13. *pag.* 1213. *ſub finem hiſtoriæ*, moribunda notavit. Sed prominentes ſeu tumidos quoque oculos, in acutis morbis, Hippocr. *Progn. pag.* 37. *lin.* 20. inter ſigna oculorum letalia ſtatuit: cujuſmodi apparere ſolent in validis capitis doloribus inflammatoriis, qui commoto multo ſpiritu, & calore, ex inflammatione repleti intumeſcunt. Sed de cavis quoque dicamus, qui, niſi ab externa cauſa, per triduum, aut quatriduum, ſi in acutis appareant, perniciem notare Hippocr. eſt Auctor *in* 1. *Prognoſticorum pag.* 37. *lin.* 20. *text.* 15. Quos ita cavos fieri Galen. *in comment.* docuit, propter virium quidem imbecillitatem, non omnem, at vehementem, quæ nec minimum quid alimenti oculorum abunde concoquere poteſt, quod explicat morbum uſque adeo ſævum, cui naturam ſuccumbere ſit neceſſe: quum oculi vero emarceſcant prorſus, quaſi alimento deſtituti, caloris nativi imbecillitate, qui in ſolis internis partibus exiguus manet, nec ad extimas uſque diffundi poſſit, ut poſſit aliquid ad alimentum oculorum concoquere, quo ipſi nutriantur; addo & ſpiritus eadem ratione, qui pauciſſimi quum ſint in corde ac in aliis internis membris manentes, ad ipſos quidem oculos ideo non defluere, & merito inde oculos contabeſcere, ſiccari, cavoſque conſpici eſt neceſſarium: ex eo enim, quod hepar percuſſum ſit, ſtatim oculos cavos evaſiſſe Hippocrat. *Lib.* 7. *Epidemior. text.* 33. *pag.* 1217. vidit: & obſervatum eſt in multis ante exitium, quandoque dextrum, & quandoque ſiniſtrum oculum emarceſcere.

Oculorum inæqualis magnitudo mala.

Oculi prominentes ſeu tumidi.

Ex

Ex motu quoque oculorum elucent in acutis morbis ſigna letalia: oculos enim ſublimes ex ſignis perniciosis Hippocrat. eſſe ſtatuit *in eodem primo prognoſt. pag.* 37. *lin.* 20. *text.* 15. qui ſunt, teſte Galeno, *in comm.* inſtabiles, & ſubinde commoti delirium aut tremorem portendentes; alterutrumque eſt exitioſum: ſed perpetuo, ut Medici firmum judicium exinde colligant, debent alia quoque ſigna, quæ illuxerunt, attentius cognoſcere, quando oculis inſtabilibus exitioſe conſpectis, neceſſe ſit, aliquod aliud letale ſignum una illuxiſſe. Clarius vero Galen. *in* 2. *Prorr. comment.* 11. explicat oculos inſtabiles, dicens, eſſe non ſecus, quam, qui equum inſtabilem habent, numquam conquieſcentes, contraque concretos & ſtabiles numquam moveri, & eſſe immobiles. Ex quo merito de his *in Coac. præſ. text.* 227. legitur, oculos aſſidue nictare, eſſe pernicioſum; non minus quam fixos, quos concretos, firmos, ſtabiles, immobiles vocant. Hos perpetuo eſſe malos, Auctor *Prorrhet. lib.* 1. *text.* 46. hiſce verbis: *Hebetatus oculus, vitiatuſque, & concretus, immobiliſque, & tenebroſus ſi fuerit, malum.* Sed rectius dixiſſet, *exitioſum*, quod perpetuo fere letales ſint in morbis acutis, ni ex critica aliqua cauſa tales evaſerint. Gal. *in com.* ſcribit, concretos oculos fieri propter moventium oculos muſculorum immobilitatem, immobilitatemque eam propter omnium ipſius muſculorum vel reſolutionem in neutram partem, vel aliquam, quæ in neutram partem vergit, tenſionem proficiſci, vel propter exactam moventis muſculi potentiæ imbecillitatem, quod ſane admodum eſt exitioſum, ſi propter virium languorem hoc fiat, ac etiam convulſis muſculis læſo principio nervorum in morbo acutiſſimo, in quo convelli partes pernicioſum eſſe alias demonſtratum eſt: Galen. *in* 6. *Epidem. comment.* 2. *text.* 2. ſcribit concretos oculos, quos Hippocr. *Lib.* 6. *Epidem. Sect.* 1. *text.* 16. *p.* 1165. maxime damnavit, hoc eſt immobiles, perfectiſſimam ejus potentiæ exſtinctionem ſignificare, a qua muſculi, quum naturaliter affecti erant, movebantur. Hippocrat. *in* 5. *Epidem. Text.* 50. *pag.* 1154. de *Virgine illa pulchra Nerei*, quæ a muliercula lata manu percuſſa obiit, ſcripſit, ante mortem oculorum ſtupidum habuiſſe. Ex ſitu quoque oculorum, perverſiones admodum ſunt letales, ni critice appareant, cujuſmodi fuit oculus nono die in eo, *Lib.* 3. *Epidem. pag.* 1066. *Ægr.* 3. qui *in Dealcis horto* ſtrabo & diſtortus. Hippocr. 1. *Prognoſt. pag.* 37. *lin.* 17. & 29. *text.* 15. enim inter pernicioſa oculorum ſigna perverſionem recenſuit. Sed tamen hoc diſtinctione opus habet, quod aliquando oculi (teſte Galeno, *in* 1. *Prognoſtic.*) pervertantur, muſculi ipſos moventibus convulſis, & ſæpius fit in febribus propter humorum multitudinem, quam quum hæc perverſio oculorum tantum denotet, quicquam certi ex oculorum perverſione ſimili non poterit aſſequi. Plerumque vero pervertuntur oculi in acutis morbis, non ex hac cauſa, ſed affecto principio nervorum, quippe cerebro, eſtque ſumme exitioſum. In febribus itaque acutis oculorum perverſiones perpetuo malæ ſunt, cum aut humorum plenitudine ſeu multitudine, quod minus malum eſt, aut ſiccatis muſculis, oculos moventibus, quod ſi ardentibus febribus, aut phreniticis eveniat, prorſus

Signa letalia ex oculorum motu.

Ex ſitu oculorum.

ſus exitioſum eſt; omnium vero erit exitialiſſimum, has ita perverſiones videri cum facultatis exſtinctionis ſignis, quæ languorem virium nobis fieri innoteſcent, aut aliquem ſenſum diminutum aut ſublatum.

De quibus Hippoc. perbelle *in libro quarto Aphoriſmorum* 49. dixit: *In febre non intermittente, ſi labrum, vel palpebra, vel ſupercilium, vel oculus, vel naſus pervertatur, vel non videat, vel non audiat, jam debili exiſtente, quicquid horum evenerit, mors proxima eſt.* Quæ clarius *in* 1. *prognoſt. pag.* 37. *lin.* 29. *text.* 15. ita habentur: *Si pervertitur, aut livida palpebra eſt, aut labrum, aut naſus cum aliquo ſigno, mortem prope eſſe, ſciendum eſt.* Quare perpetuo malum; ni critice, ut dictum eſt, appareant oculorum perverſiones, ſignificat, non tamen neceſſario letale; quod videns divinus Hippocr. *in 6. Epidem. Sect.* 1. *text.* 16. ita ſcribit: *Quibus palpebra circumtenditur, malum eſt.* Fiet vero certum judicium ex ſignis antegreſſis, & una conſpectis, & longe melius ex iis, quæ poſtea appareant. Sunt etiam malæ oculorum perverſiones, ſi morbo infernas ac debiles opprimente partes fiant, quod denotent humorem ad partem nobilem quippe cerebrum ferri; quam rem forte Auctor *Prorrh. Lib.* 1. *text.* 69. ita expreſſit: *Ex humborum reverſione oculi perverſio, mala.* Cum malis vero ſignis, letales judicabuntur. De quibus *in eodem lib. Text.* 81. *Prorrh.* ita habet: *In ardentibus febribus cum aliquantula perfrictione, dejectionibuſque aquoſæ bilis, multiſque, oculorum perverſio, ſignum malum, tum alias, tum ſi catochi fiant.* Sed rectius exitioſum dixiſſet; cum perfrictiones in ardentibus febribus, cum evacuationibus non juvantibus, ſed lædentibus, ſive ex quibus ægroti in pejus delabuntur, quæ profecto ſunt ſigna judicatoria non judicantia, letalia, juxta illud Hippocr. (*Sparſim in ſingulis fere Hippocratis libris, quum in genere, tum in ſpecie, hoc pronuntiatum reperitur.*) & Galen. *ſi quæ juvare debent, nedum non juvant, ſed ægroti ab ipſis in pejus abeunt, letale eſt*: ſuntque ex judicatoriis non judicantibus letalibus. Quare ſi cum his appareant oculorum perverſiones nedum malum ſignum, ſed perniciale erit dicendum. De iiſdem paullo poſt *Prorrhet. Lib.* 1. *text.* 89. Auctor ita quoque habet: *In oculorum perverſione, cum febre & laſſitudine rigor perniciòſus, Comatoſique in his male habent.* Quare oculorum perverſiones cum malis ſignis, & præſertim judicatoriis malis, letales merito judicantur: cum letalibus vero proximum exitium adeſſe ſignificant. Cujuſmodi fuit oculus diſtortus in *altera ex abortu defuncta* ab Hippocr. obſervatus; de quo *in lib.* 3. *Epidemior. pag.* 1079. *Ægr.* 11. *text.* 57. ita habet: *Quarto deliravit, metus, mœſtitia, dexter oculus erat diſtortus, ſudor ſecundum caput, pancus, frigidus, extremitates frigidæ, quæ in acutis morbis letalia ſunt ſigna.* Sed ex clauſione quoque oculorum ſigna prava & exitialia perſcrutemur. Quum enim oculi in acutis clauſi maneant, neque aperiri queant, aut propter quamdam humorum multitudinem, convellentem muſculos oculorum & palpebrarum, aut ſiccatis, aut reſolutis virium infirmitate muſculis: quæ ſane clauſio palpebrarum perpetuo in acuto morbo letalis, & ſi aliquando, uti critica, non exitioſa ſit, ubi ipſam ſequatur inſignis aliqua vacuatio &

Ex oculorum clauſione.

tio & bona; quod ni fiat, plane exitialis. Quod *in 3. libro Coacor. præſag. Text.* 77. perbelle ita docetur: *Qui in febre continua muti jacent, clauſis oculis ſubinde conniventibus, ſiquidem e naribus ſanguis effluxerit & vomuerint, atque ex eo loquantur, & ad ſeipſos redeant, ſervantur; quod ſi nihil horum acciderit, in difficilem ſpiritum redacti brevi moriuntur.* Raro vero fit, ut, cum illis ſignis, clauſi oculi critice appareant, & nonniſi in robuſtiſſima facultate; proinde majori ex parte letale eſt ſignum. Cum ſignis vero malis clauſos oculos videri, perpetuo letale, ut Auctor *prorrhetic. Libr. 1. text.* 71. meminit, qui ait: *nigra vomentes, cibos faſtidientes, deliros, quibus oculus ferox clauſuſque, purgare non oportere*, ideſt, medicamentis opus non habere, & prognoſtico ſoli propterea eſſe relinquendos. In his enim claudi oculorum palpebras contingit, ut Galen. *in comment.* expreſſit, vel propter claudentium oculos muſculorum tenſionem, vel propter aperientium imbecillitatem: utrumque in iis eſt pernicioſum. Sed age addamus quoquc, oculorum ſuſpectiones: pravum ac ſumme exitioſum ſignum in acutis morbis eſſe. De quibus Hippocrat. *in 1. Prognoſtic. pagin. 37. lin. 24. &c. text.* 14. ita habet: *Conſiderari convenit hunc in modum ſuſpectiones etiam oculorum per ſomnum, ſi quid enim candidæ partis ſubapparet non commiſſis palpebris, nec alvi fluor, aut medicamentum in cauſa eſt, aut nec ita dormire conſuevit, vitioſum judicium exitialeque admodum eſt.* Hoc ſignum viſum fuit in *Guadagnina olim cariſſima mea uxore*, antequam moreretur, quod fuit exitioſum, tametſi per ſanitatis tempus conſueverit aliquando ita dormire, ſed una alia ſigna exitialia fuere, quippe comata, extremorum frigiditates, inquietudines, carentia ſitis cum lingua ſcabra & nigra. Quare in morbis acutis perpetuo erit timendum, quod & Auctor *Coac. præſag. Text.* 218. ita indicavit: *Et extremitatum palpebrarum curvitas, & oculi fixi & aſſidue nictare, & colores permutare, & palpebras inter dormiendum non committere, pernicioſum eſt.* Ex colore quoque oculorum mala ſigna erunt. Album oculi rubrum ſpectari, ni critice ſanguinis eruptionis ſit ſignum, quod ſuperiori capite, quibus notis diſtinguatur dictum eſt exitiale, eſt. Ubi itaque minime criticum eſt ſignum, in acutis oculos rubros videri, perpetuo malum. Quod ſignum Hippocrat. *in Prognoſticis pagin. 37. lin. 18.* recenſuit inter ſigna pernicioſa, quoniam vel ex copia ſanguinis fiat, quæ in cerebro & in membranulis ſtagnet, ut Galen. *in comment.* docet, aut inflammationem inſignem cerebri & membranarum, quæ in continuis febribus perpetuo ſunt pernicioſa, non minuſque, ſi una cum malis ſignis, in diebus judicatoriis, aut quomodocumque appareant, omniumque maxime in phreniticis ſævis. De quo ſigno Auctor *Coacorum præſagiorum, Text.* 163. ita habet: *Qui morbi ſuccuſſionem aut pulſationem inferunt capiti, & prærubros oculos habent, deliriumque movent manifeſtum, pernicioſi.* A ſingultu quoque, & vomitu, timendum eſſe hoc ſignum *in libro 7. Aphoriſmorom 3.* ſtatuit; quod, teſte Galeno, rubor oculorum, vel cerebrum, vel ventricu-

Ex oculorum ſuſpectionibus.

Ex oculorum colore.

triculum pati non mediocrem inflammationem, explicet. Utrumque in febribus continuis exitiosum apertissime Gal. *in* 3. *libr. Prorr.* scribit: *In febribus continuis oculorum ruborem accedentem aut copiam sanguinis ostendere in capite, ex qua oculi rubescunt, veluti in lippitudinibus, quæ ex eo discernitur, quod cerebro inflammato venulæ tantum, quæ in albo oculi sunt, rubræ apparent, & ventriculo una quoque singultus aut vomitus appareat.* Ex quo merito Hippoc. *in primo Prognost. pag.* 37. *lin.* 18. *text.* 15. non dixit simpliciter ruborem oculorum, sed venulas in candido oculi rubras apparentes, perniciem demonstrare. Omnium vero maxime erit pernicioſum signum, ut scribit Hippoc. in loco citato *ibid. lin.* 19. venulas has aut lividas aut nigras spectari: nam, Gal. ita interpretante, lividæ apparent, & nigrescunt venulæ oculorum refrigeratæ; refrigerantur exstincto calore nativo. Addamus, ut finem præsenti capiti imponamus, ex iis etiam, quæ in oculis apparent, excrementis, posse exitium judicari. In acutis lacrymas involuntarias inter exitiosa signa recenset Hipp. *Prognost. p.* 37. *lin.* 16. & *Epidem. lib* 1. *sect.* 2. *pag.* 956. quarum quidem causam Gal. refert, aut ad aliquam lippitudinem, aut fluxionem ex capite in oculos; sed in acutis febribus hoc fieri propter facultatis retentoriæ debilitatem, quod summe est pernicioſum. Ubi itaque involuntarie profluunt lacrymæ in acutis morbis, neque signa crisis futuræ per sanguinem, præsertim excretionem, e naribus, mortem certo exspectandam, Hipp. *in* 1. *Epid. sect.* 2. *pag.* 956. tradidit. Pituitam quoque in oculis conspectam notat inter signa pernicioſa *lib. Prognost. p.* 37. *lin.* 19. Gal. vero *in comm. text.* 2. 80. tametsi aliquando hic humor, seu excrementum, in oculis spectetur ex aliqua fluxione, ut aliquando in lippitudinibus fit, tamen in acutis morbis propter imbecillitatem regentis oculum facultatis naturalis, quæ impos oculorum concoquere alimentum nequit. Aliquando in oculis apparet quoddam simile excrementum siccum arefactumque, quod Auctor *Prorrhetic. in* 1. *Prorrh. text.* 17. scripsit, signum esse phrenitidis; Galenusque *in comm.* docet, conspici quandoque in tabescentibus, quod ex calore nimio colliquetur id omne carnosum, quod quum in facie, tum in temporibus, factis una, & cavis admodum oculis; in phreniticis vero hujusmodi resiccatum, & pulvisculosum absque cavitate videri. Ex qua re merito Hipp. *in* 6. *Epidem. sect.* 1. *text.* 16. *pag.* 1165. mala oculorum signa recensens, ait: *Malum est autem, & increscens veluti spuma*, quod, Galen. *in comm.* 1. *text.* 23. interprete, fit in morbis acutis, quum summe aridi sunt, & vires imbecillæ, præexiguis lacrymulis ab oculis excidentibus; deinde ubi in arescentibus imbecillitate retentricis lacrymulæ in oculos excidentes, ab intenso calore cerebri inflammati resiccatæ, in pulvisculosa excrementa, quæ *Lemas* Græci appellant, hisce de causis signa exitialia, mutantur. Sed tempus est, ut relictis oculis ad alias partes spectandas declinemus.

Ex lacrymis involuntariis

Ex pituita in oculis conspecta.

CA-

CAP. VIII.

De prædictione ex genis, auribus, naso, labiis, atque dentibus.

QUum genarum, aurium, nasi, labiorum, atque dentium observatio quandoque non parum in ægrotis præsagium illustret, merito paucis quoque de ipsis agendum duxi. At quoniam hæ partes, non, nisi a suo statu naturali mutatæ, nobis ad prædictionem usuveniunt, idcirco has mutatas considerabimus. Quamquam non negandum sit, has nullo modo a suo statu mutatas, bonum quippiam significare; tamen numquam certi quicquam ad præsagium habebunt: multi enim moriuntur, hisce partibus parum mutatis a naturali suo statu. Mutatæ vero multum faciunt ad illustrandum præsagium in ægrotis. Mutantur vero aut colore, aut figura, aut denique magnitudine; colore inquam, ubi hæ partes aut rubræ, aut lividæ, an nigræ apparent; rubras videri quandoque capitis inflammationem, quandoque criticam fluxionem denotat, quod judicium distinguent propria utriusque signa. Livescere partes has, atque nigrescere, perpetuo malum, quod caloris aut exstinctionem, aut suffocationem, aut summam putredinem nobis denotent. Mutatæ vero figura, magnitudine quippe quum maxime aut extenuantur, convelluntur, plurimum ad prædictionem faciunt. Sed de singulis nunc accuratius agamus, a maxillis exordientes. Diximus maxillas, seu genas, plerumque rubras videri, aliquando liventes & nigrescentes. Rubræ significant aut inflammationem internam vel capitis, vel pulmonum, vel pleuræ, costas cingentis membranæ; aut crisin futuram; aut pus fieri in pulmonibus: quæ capitis inflammationem ostendunt (quarum judicium cetera alia signa pathognomonica aperient) solæ non sunt, ita ut non solum genæ rubræ, sed aliæ faciei partes una rubore suffundantur: addatis propria capitis inflammati signa adesse, quippe dolorem, calorem, & reliqua, uti *in anginosa, quæ apud Metonem*. De qua *in 7. Epidemior. pag. 1215. text. 20.* scripsit. *Quarta convulsa, sine voce, stertor, dentium contritio, maxillarum rubor, mortua est quinta die.* Peripneumonicorum vero, & pleuriticorum maxillas rubras proprium esse signum, ex Galeno colligitur, qui *in libr. 2. prognost. text. 11.* dixit: *has & propter calorem in pulmone & propter tussim acrem rubescere, hæc enim ambo calefaciunt vultum, & totum caput, quia ex defluxione in pulmones decumbente vapores in ipsum ferantur*. Quare neque hæ quicquam certi ad prædictionem afferre possunt: non minusque & quæ in suppuratis apparent; plerumque enim fit, ut in pulmoniis suppurationem futuram decernant, cujus judicium pendebit a propriis signis: sed quoniam pauci sunt suppuratorum, qui serventur, plures enim phthisici pereunt, ideo maxillæ hac de causa minantur suppurationem, phthisin, & exitium. Sed ipsarum colorem exinde fieri distinguent suppuratorum propria signa, quæ, ut Hippocr. docet *in 2. Prognost. pagin. 42. lin. 25. & seq. text. 61.* sunt, *si in principio febris non demittat*,

Quomodo hæ partes mutàtur.

Maxillarum seu genarum mutatio quid in morbis notat. Rubor color.

Quomodo in suppuratis cognoscitur.

[b]at, ſed interdiu tenuior, noctu vehementior ſit; ſi copia ſudoris eliciatur, [a]c tuſſiendi adſit cupiditas, nec quicquam tamen dignum commendatione [c]xſpuant; ſi oculi cavi reddantur, maxillæ vero ruborem contrahunt, ungues manuum curvantur, digiti vero potiſſimum ſummi incaleſcunt, atque in pedibus tumores conſiſtunt, neque cibum appetunt, & puſtulæ circa corpus erumpunt. Cujuſmodi fuiſſe *uxorem Polycratis* primum peripneumonicam, *Epid. lib. 7. p. 1211. tex. 9.* & *Metonem* pleuriticum, ſcripſit Hipp. *in lib. 7. Epid. pag. 1234. text. 101.* de quo ita habet: *Apprehendebant autem quandoque illum calores tenues, exiguum tempus, ſudores exigui fiebant ad noctem, ſpiritus in febre denſus, maxillarum rubor, circa latus gravitas, & ſub axillam, & ad humeros, tuſſes tenebant.* Eos vero ſuppuratorum, qui ſervantur, ait Hippocrat. *in 2. Prognoſticorum pag. 42. lin. 45. & ſeq. a febre ſubito liberari, puris optimi, non bile permiſti, multam copiam neque difficulter exſpuere, cibumque appetere & rectius ſpirare*; & reliqua: poſtremo diximus maxillas rubras reddi, non raro ſanguine e naribus critice erupturo, qui color non tantum maxillas, ſed totam fere faciem, naſumque præſertim, occupabit; cujuſmodi colorem Galen. vidit in *juvene Romano*, febricitante paullulum, antequam ſanguis e naribus erumperet, ut ex libro de *Præſ. ad Poſthum.* conſtat. Ubi vero futura ſit criſis vel per ſanguinem, vel per ſudorem, alia quoque critica ſigna apparebunt, quorum præcipua ſigna ſunt in excrementis concoctio apparens, morbi tempus, quod ſtatum & vigorem vocant febris, aucta graviaque ſymptomata vel de novo oborta, vel plurimum aucta. Cujuſmodi fuerunt obſervata in *Teoclis cognata*, de qua Hippoc. *in eodem lib. 7. Epidem. text. 26. pag. 1216.* ita habet: *Teoclis cognata, quæ ſuperius habitabat, ſub Plejades febris acuta: ſexta videbatur ceſſaſſe: lavit veluti ſedata febre. Septima mane maxilla valde rubicunda, utra non memini. Veſperi febris venit multa: Leipotymia & aphonia erat: non longe vero poſtea ſudor, & quies ceſſante morbo ſeptima die.* Maxillæ itidem apparent aliquando lividæ & nonnumquam nigreſcentes, quæ ſi cum malis ſignis illuxerint morbo, mortem prænuntiant; nam hæ caloris exſtinctionem denotant. Sed de his coloribus ſuperius ſatis accurate egimus. Nunc de auribus agamus, quæ & ipſæ aut colore livido in morbis exitioſis apparent, aut contractæ, aut frigidæ, aut cum pure, aut dolore acuto, aut tinnitu, quæ itidem multum ad prædictionem faciunt. Lividæ & nigræ ſpectantur in acutis morbis, calore nativo exſtincto aut ſuffocato: frigidæ & contractæ in acutis ſunt letales, *Hippocr. in primo prognoſticorum, pag. 36. lin. 32. text. 7.* ſcribente. Dolores in auribus acutos non carere periculo docuit Hippocrates, *in tertio Prognoſticorum pag. 44. lin. 45.* dicens: *Aurium dolor acutus cum febre continua ac vehementi difficilis eſt, periculum enim delirii abolitioniſque imminet.* Sed tametſi hujuſmodi dolores non perpetuo obſervatum ſit difficillimos morbos præmonſtraſſe, ut pauci ſint, qui ab ipſis evadunt; perpetuo tamen cum febre continua & acuta pernicioſi eſſe ſolent, ob inflammationem ratione viſceris nobilioris malignam: plures vidi ita affectos periiſſe, & ſpeciatim *Guadagninam meam dilectiſſimam uxorem*; in ipſa enim,

Quando criſin notat.

Lividus vel niger.

Aures quid ad præſagiũ in morbis faciunt.

Lividæ & nigræ.

Aurium dolores acuti quid.

ardenti

ardenti febre maligna vexata principio hujuſmodi dolor acutiſſimus apparuit: ſed ad rem noſtram. Dolor itaque *Hippocr.* aurium acutus in acuto morbo perpetuo difficilem morbum oſtendet. Sed tamen non raro fit, ut aures ſuppurentur, ab ipſiſque decretorie effluat pus, atque ægroti dolore liberentur. Cujuſmodi fuit *Emyris filius*, ut ſcribit Hippocr. *in* 4. *libro Epidemiorum pag.* 1138. *text.* 40. qui critice pure erumpente ſeptima die fuit judicatus. Sonus quoque aurium in iiſdem morbis magni momenti eſſe ſolet ad præſagium indagandum, ſed quum de hoc ſymptomate alias ſcripſerimus, pauca attingemus: hocque præſertim, ſcilicet in acutis febribus, principio tinnitum ægrotos ſentire, pravum ſignum eſſe, quod aut cerebri inflammationem, aut futurum delirium oſtendat, vel bilem, quæ per venas fertur, in ipſis exæſtuare, ex qua concitati ſpiritus ad caput tranſmittuntur. In ſtatu vero, conſpectis ſignis coctionis, critice ſæpe hujuſmodi ſymptomata apparere ſolet. De quo ſigno legitur in *lib.* 4. *Coac. præſag. Text.* 131. *In ardentibus ſuperveniens ſonus aurium cum alucinatione oculorum & narium gravitate, hi inſaniunt, niſi ſanguis e naribus fluxerit.* De palpebris, naſo, labiis, Hippocr. *in* 1. *Prognoſtic. pag.* 37. *lin.* 29. *& ſeq. text.* 15. ita habet: *Si pervertitur, aut livida palpebra eſt, aut labium, aut naſus cum aliquo alio ſigno, mortem prope eſſe ſciendum eſt.* Et merito ſane dixit: *cum aliquo alio ſigno*, utpote pernicioſo, cujuſmodi eſt, quod alibi expreſſit, ut non videant, aut audiant ægroti, jam ſcimus exitium in foribus eſſe. Hoc idem Hippocr. *in* 4. *Aphoriſm.* 49. ita expreſſit: *in febre non intermittente, ſi labium, vel oculus, vel naſus, vel ſupercilium pervertatur, ſi non videat, vel non audiat, jam debili exſiſtente corpore, quicquid eorum fiat, mors proxima eſt.* Quandoque labium tremulum criticum præcedere criſin per vomitum, Galen. *in* 3. *Criſib. cap.* 1. docuit. Veluti *in Charione Epidem. libr.* 3. *pag.* 1072. *Ægr.* 5. fuit obſervatum, & Hipp. *in* 6. *Epidemior. comm.* 8. *Text.* 41. *p.* 1201. ex Valeſii diviſione ſcripſit: *labia in tertianis febribus critice ulcerari*, quod ſignum criticum omnibus, vel etiam ignaris mulierculis, notum eſt. Neque Avicenna, neque alii Arabes ignorarunt. Sæpe vero fit, ut critice hæ partes convellantur, quippe criſi proxime futura, quod critica ſigna prope præmonſtrabunt. Dentium vero convulſionem exitialem eſſe quum Hippocrat. tradidit *in Prorrheticis Lib.* 1. *Text.* 48. tum ego ſæpius in praxi vidi: Hippocr. *in* 1. *Prognoſt. pag.* 37. *lin.* 52. *& ſeq. tex.* 21. de his ita habet: *Si quis ſtrideat dentibus, non conſuetus a pueritia ita efficere, inſania ſignificatur, ac mors, ſed in utriſque futurum prædicere periculum, neceſſe eſt. Si vero mente commotus ita efficiat, admodum exitioſum jam eſt:* & Galenus in comment. *Stridere dentibus, quibus ab initio non erat conſuetum, futuri delirii accidens eſt: ſi vero abeundo interdum ægrum offendas, utrumque perpeti, delirare & ſtridere dentibus, hunc jam eſſe prope mortem arbitrare.* Idem fere *Prorrheticorum Libr.* 1. *text.* 48. ait: *Dentium ſtridorem, quibus non eſt ſanitatis tempore aſſuetus, experiri, pernicioſum*, Cujuſmodi vidit in *anginoſa*, *quæ apud Metronem habitabat*, quæ per diem antequam moreretur, (ut refert

Labium tremulum quid notat.

Dentium convulſio vel ſtridor exitialis.

refert Hippocr. *Lib. VII. Epidem. text.* 20. *pag.* 1215.) dentium habuit contritionem, & cum exitialibus ſignis. Itaque dentium ſtridores perpetuo in acutis morbis exitiales ſunt, quod fiunt læſo nervorum principio, aut temporum, maxillarumque muſculis ab igneo calore immoderate ſiccatis, ac exinde convulſis, quas convulſiones eſſe inſanabiles alias a nobis fuit demonſtratum; ſed aliquando contractum labiorum alvi bilioſam eruptionem ſignificare, *in 2. Coac. præſag. Text.* 240. legitur, *& Galen. in tertio, de criſibus*, labium tremulum inferius criſin per vomitum. Sed nunc ad linguam deſcendamus, quæ in morbis acutis ad præſagium aſſequendum utiliſſime a Medicis obſervatur.

CAP. IX.

De prædictione ex linguæ obſervatione.

Lingua quantum ad præſagium ſaciat.

Linguæ inſpectio in acutis morbis ita utiliter obſervatur, ut non parvam in quibuſdam ægrotis partem præſagii habeat. Hippocr. *in 6. Epidemior. comment. 5. Text. 13. & 15. pag. 1185.* ſcribit: linguam variis coloribus varios humores exſuperantes oſtendere: Quod hiſce verbis explicavit: *lingua lotium ſignat. Linguæ virides bilioſæ: Bilioſæ autem a pingui, rubræ vero a ſanguine, nigræ ab atra bile, aridæ a fuliginoſa exuſtione, & ab uterino membro, albæ vero a pituita.* Ex quibus ſane facile eſt, humores noxios prævalentes dignoſci, quippe quod quiſque color, quo lingua infecta conſpicitur, humorem denotet particularem. Sed diſtinguendum erit, an lingua hujuſmodi mutationem ex vapore aut humore obtinuerit, aut ex potu, aut cibo, aut medicamento, aut ex deſtillatione e capite, quum ipſa totis iis cauſſis immutatur: idcirco neceſſe erit, ut dignoſcatur a nulla prædictarum cauſarum, ſed tantum a vapore aut humore e venis, & arteriis, in linguam ſublatis; facilius enim ipſa iis tingitur, quod habeat ſubſtantiam flaccidam, laxam, mollem cum amplitudine venarum. De qua re Galen. in nuper citato ita habet: *Etenim grandioribus venis prædita lingua, & inani ſubſtantia ſpongiam referens, aliis duris denſiſque particulis paratior eſt, ut ſeroſos intra ſe humores admittat, ab illiſque colores inſtar lanarum ſuſcipiat.* Sed, his præmiſſis, linguæ præſagium attingamus. In omnibus acutis morbis lingua, bene valenti ſimilis, optima eſt, dummodo non ex aliqua externarum cauſarum, quippe a potu, cibo, medicamento, aut ex defluxione ex capite, fiat. Hæc in temperatis corporibus erit, quæ colore ſubrubra, mollis, proportionata magnitudine, quæque nullo, & ad guſtum, & ad loquelam, vitio tenetur. In acutis itaque morbis, ac maxime in febribus ardentibus, & ſynochis, linguam ita videri, eſt bonum; color enim ipſius ſubruber ſi apparet, ſignificat humorem noxium ac morbificum neque plurimum eſſe, neque admodum putridum ac accenſum, quo ita affecto, lingua neceſſario fit aut flava, aut crocea, aut nigra, aut admodum rubra; quando, ut ex Hippocrate dictum eſt, neceſſe ſit, humorum in corpore exſuperantium

tium bilioſorum, aut aduſtorum, aut pituitoſorum, linguam ipſorum vaporibus infici, ac tingi. Mollis itidem non ex cibo, potu, aut medicamento, aut diſtillatione capitis conſpecta, interius viſcera multum calorem non occupare denotat, ut propterea ægroti, propter hanc cauſam, neque multum ſitiant. Ex pituitoſa vero e capite ad fauces deſtillatione cognoſcitur ac diſtinguitur propriis ſignis, quorum eſt præcipuum, ſi ægroti plurimum dormiant, plurimumque interius ſentiant calorem. Hæc enim deſtillatio, irrigans fauces & linguam, facit, ut nedum lingua minime exareſcat, ſed vel etiam ſitim ipſius demulceat. Hinc Hippocrates *ſect.* 4. *Aphor.* 54. dicebat, tuſſientes non valde ſitire, ac propter hanc cauſam expedite quoque ægroti loquuntur. Atque hæc eſt lingua non mala in acutis morbis. Aliquando mutata a ſuo ſtatu naturali ſolet etiam boni judicii eſſe indicium, nimirum critice, ubi in periculoſis anginis, humore ad fauces & ad ipſam linguam tranſmiſſo, admodum inflammata, & mole aucta apparet; itidem quandoque convulſa & tremula hoc modo apparet; ſed ea eſt propriis ſignis criticis judicanda, quæ præceſſiſſe eſt neceſſe: atque hæc de bona lingua, nunc de mala. Quæ eſt, quovis modo mutata ac vitiata, aut colore, aut magnitudine, aut ſubſtantia: colore quidem mala, in acutis morbis, eſt alba, craſſa, cœnoſa, quam vidi in quadam febrium Epidemicarum, olim *Genuæ in Liguria* graſſatarum, conſtitutione, quæ nobis fuerat argumento, in his corporibus multitudinem pituitoſorum craſſorumque humorum prævaluiſſe, atque magnum quoque viſcerum calorem adfuiſſe. Sed tamen hæc in iis quicquam certi de ſalute & interitu non denotabat. Quare hæc tametſi bona non ſit, quod morbos ex multa copia pituitoſorum & craſſorum humorum, bilioſis miſtorum, & putridorum, tantum foveri explicet; tamen ex hac ipſa, niſi conjunxerimus alia prava ſymptomata, minime mortem prædicemus. Sequitur flava, quam viridem Hippocr. vocat. Hæc multitudinem bilis, ac ab hoc ipſo humore putrefacto morbum profectum ſignificat, illumque periculoſiorem. Hac nigra eſt periculoſior, quæ aduſti ſanguinis copiam, ceteris humoribus, ut a natura corrigatur, difficiliorem, præmonſtret. Hæc ignearum ſeu ardentium febrium cum ſummo ſqualore eſt propria, perpetuoque non parum timenda, omniumque maxime, ſi una adfuerint ſigna alia pernicioſa. Solet itidem ardentes peſtilentes detegere. Ex quo, ut dictum eſt, propria acutorum morborum eſſe merito videtur, quod perbelle *in Coacis præſagiis text.* 229. ita habetur: *Quæ vero valde nigreſcit, judicium fieri in quatuordecim diebus indicat.* Subdidit *periculoſiſſimam eſſe nigram & pallidam*; forte eam, quæ ex pallida nigreſcat: & merito ſane, quum in jecore incendium augeri nobis ſit indicium; quippe, quum prius bilis, ſanguinis loco, progenita eſſet, ex qua ad flavum lingua tingebatur, poſtea aucta inflammatione, aduri ſanguinem, atrumque evadere, qui eſt omnium deterrimus. Tertio nigram quoque cum tremore, ſeu tremulam, ut poſtea quoque docebimus, damnat Auctor *Coac. Præſag. text.* 235. ita dicens: *Tremulæ linguæ quibusdam alvum liquidam reddunt. Nigro vero in iis facto colore, mortem denuntiat.* Lividi coloris lingua omnium maxime eſt letalis, quod fiat in ipſa lividus color, vel ex mutatione a flavo

Lingua mollis quid notat.

Lingua quænam mala.

Cœnoſa.

Flava vel viridis.

Nigra.

Nigra & pallida.

Nigra cum tremore.

Livida.

aut

aut rubro in nigrum, propter ingentem viſceris alicujus inflammationem; & caloris extranei abundantiam, cum defectu innati, vel exſtinctione caloris nativi. Hanc declarant reliqua ſigna, facultatem exſtingui demonſtrantia, quæ alias ſcripſimus. *Rubra.* Rubram quoque ſæpius in anginoſis affectibus & peripneumonicis peſſimam eſſe, Medici obſervant. Sed hujus malitiam augent & confirmant pernicialia alia ſigna. Cujuſmodi fuiſſe linguam illius *anginoſæ*, quæ apud *Ariſtionem* agebat, quæ quinta die obiit, ut meminit Hippoc. *in lib. 3. Epidem. pag. 1075. Ægr. 7. text. 18. & filii Balis*, de quo itidem ipſe *in libro ſeptimo text. 19. pag. 1215.* ſcripſit, qui obiit die nona. *Mole aucti.* Mole aucta lingua in anginis aliquando ita viſa eſt, ut vix ore poſſit contineri; ſed plures, recte curati, ſanitati fuere reſtituti, non pauci ſuffocati. *Imminuta.* E contrario multis uſque adeo imminutæ linguæ, præ nimio calore, humido omni fere exhauſto, (quod eſt ſignum intenſiſſimi caloris, morbique maxime timendi:) apparent; ſed ad rectum judicium faciendum alia ſigna erunt conſulenda. *Magna & nigra letalis.* Sed magna & nigra letalis eſt: quod exſtinctum iri innatum calorem ſignificet; qualem habuit *juvenis*, quæ vigeſimum ætatis annum agebat, & a pharmaco corruptorio, ut refert Hippoc. *in lib. 7. Epid. text. 83. pag. 1229.* quarto die periit (*quamqnam hoc loco de* Teſini conjuge *iſthæc prædicentur, haud tamen alium caſum hic ab Auctore noſtro innui patebit legenti ſubnexas Foeſy Adnotat. & Epid. lib. 5. text. 53. pag. 1155.*) Quod ad ſubſtantiam linguæ attinet, quædam admodum molles ſunt, combibita multa humiditate: quædam admodum ſiccæ, aſperæ, inæquales, horridæ, ſciſſæ, ulceratæ; quædam cum parvis tumoribus; quædam harum calidæ; quædam frigidæ tactui apparent; quædam cum proportione ſiti reſpondente; quædam ſine ſiti. *Sicca & arida.* Siccantur & areſcunt linguæ in omnibus febribus, ſed omnium maxime in ardentibus, ac non minus phreniticis: propria videtur ſicca & aſpera ardentium febrium, ut Galen. *in 1. Prorrheticorum text. 3.* monuit, quæ fit calore febris vehementer ſicca, immoderatique caloris eſt nota: hæ linguæ primum ſiccæ, & aridæ fiunt, mox inæquales, *Inæqualis.* duræ & horridæ; & demum immoderata ſiccitate ſcinduntur & ulcerantur; non ſecus quam terra, nimis ſiccata a ſole, rimis ac fiſſuris ſæpius ſcindatur immoderata ſiccitate: *dura & horrida.* duræ & horridæ peſſimæ ſunt, phreniticorumque propriæ, quum propter proximam inflammationem lingua maxime ſiccetur. Hinc Auctor *Prorrheticorum lib. 1. text. 3.* linguas denſas, ſeu duras & aridas, phreniticas appellavit. De his *in Coacis præſagiis text. 229.* ita legitur: *lingua, quæ in principio quidem inhorruit, in colore vero permanet, progreſſu autem temporis exaſperatur, liveſcit & rumpitur, letalis eſt.* Ceterum ex aridis linguis quicquam recte, niſi aliorum quoque ſignorum judicium adjunxerimus, de præſagio non habetur, quum eæ non ſint ſufficiens ſignum ad mortem prædicendam; plures enim, qui tales linguas habuerunt, gravi morbo etſi conflictati, convaluerunt. Cujuſmodi fuit, quam in *muliere trimeſtri fetu gravida Epidem lib. 1. Ægr. 13. pag. 990.* in *litore habitante*, & in *virgine Lariſſæ*, *Epidem lib. 3. Ægr. 12. pag. 1110.* & in allis Hippocrat. vidit. *Nigræ.* Hæ ſi nigræ quoque ſint, perniciales magis; ſed ut dictum eſt, debemus quoque, ex iis ut exitium prænoſcatur, alia pernicialia ſigna una obſervare,

vare, quæ in *uxore Dromeadai*, *Epidem. lib.* 1. *Ægr.* 11. *pag.* 987. & in illo, *qui caleſcens cœnavit & potavit largius*, *ibid. Ægr.* 12. *pag.* 988. *Hermocrate Epidem. lib.* 3. *Ægr.* 2. *pag.* 1062. & in aliis multis Hippocrat. una cum lingua nigra vidit. In anginis quoque ita præſiccatæ, peſſimæ ſunt, quod inflammationem internam maximam denotent, qua omnes ſuffocantur: qualem vidit Hippocrates in illa *anginoſa ibid. Ægr.* 7. *pag.* 1075. *quæ apud Ariſtionem* agebat, quinta die mortua. Hæ quoque fiſſæ atque ulceratæ apparentes argumento ſunt, malignioris inflammationis, ac efficacioris. Ego in multis, malignis febribus vexatis, ſqualore, obſitas, ſciſſaſque, ac puſtulis refertas vidi linguas, qui non omnes perierunt. Rhaſis *in lib. decimo cap.* 31. ad *Regem Almans* ſcribit nihilominus: *Quum linguæ apparuerint puſtulæ ciceribus magnitudine æquales, fueritque febris vehemens & acuta, æger in principio ſequentis diei morietur*. Quare aridæ, duræ, aduſtæque, & maxime nigræ, ſi quum aliis ſignis malis appareant, exitium præſagiunt, omniumque certiſſime, ubi, linguis ita areſcentibus, aſperiſque exſiſtentibus, ægroti non ſitiunt. Hoc enim in ardentibus febribus eſſe ſignum pernicioſiſſimum, in ſuperiori libro ſatis a nobis eſt explicatum: hoc quidem apparens ſignum, nota eſt aut delirii, aut exſtinctæ facultatis, ut Galenus *in primo Epidemiorum* tradidit. Ubi itaqua lingua aduſta & ſicca ſine ſiti apparuerit, proculdubio aut delirium, aut mortem prædicemus: mortem, ſi una alia fuerint pernicialia ſigna, qualia in eo, *qui caleſcens cœnavit*, & in *Hermocrate* moribundis Hippocrat. vidit. De illo quidem *in primo Epidem. com.* 3. *Ægr.* 12. *pag.* 988. *text.* 29. ita habet: *Quidam caleſcens cœnavit & potavit largius, vomuit cuncta nocte, febris acuta. Hypochondrii dextri dolor, ſubmollis in partibus internis inflammatio: noctem moleſte tranſegit, urinæ ab initio rubræ, craſſæ, depoſitæ non ſubſidebant, lingua præarida: non valde erat ſitibundus*. Et de *Hermocrate*, *lib.* 3. *Epidem. Ægr.* 2. *pag.* 1062. quum primum dixiſſet, habuiſſe intio linguam aduſtam, fuiſſe ſurdum, vigilem, non admodum ſitibundum, cum urinis craſſis & turbidis, poſtea addidit: *Die* 20. *eſt judicatus a febre liber, non ſudavit, perpetuo a cibo abhorrebat, omnino mente conſtabat, loqui non valebat, lingua inaruit, non ſitiebat, obdormiſcebat, aliquantiſper comatoſus. Circa diem vigeſimum quintum incaluit, alvus lubrica, cum fluxione tenui & multa, proximis diebus acuta febris, lingua combuſta eſt, vigeſimo ſeptimo defunctus*. Hujus ægroti linguam aduſtam ſine ſiti, unum fuiſſe ex iis, quæ exſtingui facultatem indicant, multa una viſa ſymptomata certo affirmarunt, quippe non ſitire, a cibo perpetuo abhorruiſſe, & reliqua. Quare lingua aduſta, abſque ſiti, in acuto morbo, uti dictum eſt, vel delirans, vel moribundum corpus præſagit. Sed caute tamen ex his duobus ſignis erit præſagiendum, quando, ut in principio hujus capitis docuimus, ſæpe lingua exareſcat, ac aduſta videatur, ægrotique non ſitiunt, atque neque hos delirare, neque exſtingui facultatem obſervemus. Hoc fit ex humoris pituitoſi e capite diſtillatione, irrigante fauces, ſitimque compeſcente. At hoc cognoſcimus ex hac cauſa fieri, vel eo quod tota lingua in his non areſcat; nam ubi in ardente febre deſtillat humor pituitoſus, linguæ non tota ſubſtantia areſcit, ſed pars juxta radicem tantum, atque cito humore

Præſiccata.

Fiſſa & ulcerata.

Aduſta & ſicca ſine ſiti.

abluta lingua emolleſcit. Addatis hos non vigiles eſſe, ſed ſomno uti convenienti, quod partes corporis ſuperiores plurimum humiditatis habeant. In quibuſdam vero apertiſſime deſtillatio ad fauces dignoſcitur ex crebra, qua coguntur uti, exſcreatione, humore multo deſcendente e capite. Quare ubi, non deſtillante e capite humore, lingua in ardente febre, ſicca, aſpera, atque aduſta ſine ſiti appareat, aut delirium, aut exſtingui facultatem, prædicendum erit. Addamus aridam linguam quandoque calidam, quandoque tactui frigidam apparere; hanc exitialem eſſe, quod non niſi in magnis inflammationibus, contracto intus calido innato atque humido, propter penuriam & exſtinctionem nativi: calida tactui aſperaque apparens, non ita eſt periculoſa, ſed in principio periculoſior, qualis in *Hermocrate Epidem. lib. 3. Ægr. 2. pag. 1062.* in principio fuit ab Hippocrat. obſervata. Tremulæ, ſeu trementes, quoque in acutis morbis apparent, quæ, ſi intenſiſſimam ſiccitatem ſecutæ ſint, prorſus exitiales erunt: nam ea ratione, quippe propter ſiccam ex igneo affectu intemperiem, animali facultate debilitata, linguas tremulas reddi, Galen. *in primo Prorrheticorum* docuit. In phreniticiſque exitioſis hoc ſymptoma apparere ſolent. Hinc Auctor *Prorrheticorum in 1. lib. text. 20.* dixit: *linguas obtremeſcentes, ſignum eſſe non conſtantis mentis*. Ex phrenitide quippe cerebro patiente, calidaque exiſtente affectione, lingua quieſcere non poteſt. Eadem ratione convelluntur linguæ, ex quo ægroti balbutiunt, neque recte loqui poſſunt ſæpe ante mortem: & hæc duo ſymptomata, linguam ſcilicet tremulam & convulſam, in perniciali phrenitide Medici deprehendunt familiarius. De quibus Galen. *in primo Prorrheticorum text. 19.* ita habet: *Tremor igitur linguæ accidit, debilitata propter ſiccam prædictæ affectionis intemperiem animi facultate*. Convulſiones vero ſiccitatem muſculorum ipſius, una cum capite affectorum, conſequuntur; ſiccut & vox obtremiſcit propter infirmitatem, quæ ab humorum contracta eſt intemperie: prædicta autem hæc omnia ſymptomata, quæ ob ſiccitatis capitis intenſionem fiunt, mentis motionem fieri quoque indicant. Univerſis autem muſculis induratis, linguam tremulam & balbutientem fieri, eſt pernicioſius, quippe propter immoderatam eam, quæ in cerebro facta eſt, ſiccitatem. At ne noſtrum nos fallat præſagium, diſtinguendæ ſunt cauſæ linguæ trementis & convulſæ; ſiquidem veluti dictum eſt, ſi fiant immoderate ſiccatis muſculis, ipſorumque capitibus ac nervis, exitiale profecto erit; & ſi in iiſdem nervoſis partibus, humore aliquo repletis, lingua tremat, & convellatur, non exitioſum: ex qua cauſa tremunt, & convelluntur non raro linguæ in principiis morborum, propter humorum multitudinem; ut *Pythioni* contigiſſe ſcripſit Hipp. *Epidem. lib. 3. Ægr. 1. pag. 1059.* & quando criſis aliqua ſit futura. Qui tremores & convulſiones inter judicatoria ſigna merito recenſeri debebunt. Sed de his alias, quum de prædictione a tremoribus & convulſionibus egerimus. Diſtinguamus itaque de iis ad præſagium linguarum ſymptomata a ſiccitate profecta, quæ perpetuo erunt exitialia, ab iis, quæ repletione fiunt: hæc vel in principiis morborum fiunt, aut una cum ſignis decreto-

Arida quandoque calida quãdoque tactui frigida apparet.

Tremula.

Convulſa.

Tremula & convulſa quando non exitialis.

cretoriis aliis ; illa vero non niſi calidiſſimum ſiccisſimumque morbum conſequuntur.

CAP. X.

De prædictione ex faucibas , & dorſo.

FAuces in gutturis inflammationibus , quos affectus Medici *Anginas* appellant , ſolent non raro magni momenti eſſe ad præſagium , quum in iis affectibus optimum ſit fauces tumidas & inflammatas ſpectari , quod morbum foras verti ſignificent . De quo Hippoc. *in lib. 3. Prognoſticorum , pag. 45. lin. 20. 21.* ait : *Securiſſimum vero eſt , ſi tumor & rubor quam maxime foras vertatur* . At non ſemper , in acutiſſimis periculoſiſſimiſque anginis , ſatis eſt ad ſalutem præſagiendam , fauces rubentes ac inflammatas ſpectari , quum ſæpius etiam in exitialibus appareant , ex magna ſane inflammatione , nedum internas gutturis partes , ſed quoque externas fauces , opprimente . Proinde optimum erit una cum faucibus , pectus , cervicem , aut collum rubrum ac maxime inflammatum ſpectari . Quam rem Hippoc. *in eodem lib. pag. 45. lin. 12. & ſeq. text. 20.* ita expreſſit : *Quibuſcumque ſimul fauces rubent , & cervix , ſunt hæ anginæ diuturniores , maxime vero ex ipſis ſervantur , ſi & cervix & pectus traxit ruborem , nec ſacer ignis intro recurrat . Exitialiſſimas vero anginas eſſe , ac celerrime interimentes ,* ait , (*Paullo ante , lin. 4.*) *quæcumque nec in cervice , nec in faucibus , conſpicuum aliquid efficiunt , plurimum & doloris ac ſpirationis difficultatem inferunt* . De his doloribus Auctor Coac. præſag. *text. 262.* ait : *Faucium dolores ſine tumore , ſuffocantes* : & Hippoc. *in 4. Aphor. 34. Si a febre detento , tumore non exſiſtente in faucibus , ſtrangulatio repente ſupervenerit , letale* . Sed de his ſatis . Nunc ad dorſum deſcendamus , cujus quidem inſpectio & ad naturam malignarum febrium cognoſcendam , & non minus ad præſagium , Medicis omnibus eſt ſatis familiaris , & præſertim in febribus acutis .

Fauces quid ad præſagium faciunt in morbis.

Dorſum quid ad præſagium in morbis.

Certum eſt dorſum in iis aliquando puſtulis parvis , milio ſimilibus , & aliquando maculis parvis , pulicum morſibus perſimilibus , aliquando magnis latiſque refertum , conſpici . Quod ſpectari , aliquando bonum , ubi natura præſertim critice excernit humores ſumme putridos ; quandoque malum & exitioſum . Bonæ ſolent eſſe , quum puſtulæ , tum maculæ ipſe , ſi una cum ſignis coctionis appareant , quas omnino ſequitur morbi allevatio . Ægroti enim ab ipſis erumpentibus maxime juvantur . Ex colore , rubra exanthemata meliora cenſentur , quæ ſanguinis copiam , neque ipſum igneo calore exuſtum , denotent . Bonæ itaque ſunt criticæ , quæ cum ſignis coctionis apparent , & quæ , quum inceperint , numero atque magnitudine augeantur . De quibus legitur *in Coacis præſagiis text. 114. Quibus in febre continua puſtulæ toto corpore excitantur , letale , niſi ſuperveniat purulentus abſceſſus* . Galen. ſcripſit *in lib. 5. meth. med.* In quadam peſtilentia illos evaſiſſe , quibus exanthemata nigra toto cor-

pore multa confertim apparuerint. Raro tamen quicquam certi ad ſalutem prædicendam ex his habetur; ubi plerumque exitialia ſigna ſunt. Sunt vero perpetuo mala, quum maligniſſimam naturam morbi ſignificent; peſtiferorum enim morborum ſunt indicia, quod & *Thucydides* non ignoravit, quum in ea ſæviſſima peſtilentia, quæ *Athenas* devaſtaverat, obſervavit, corpora eo malo infecta ſcatuiſſe his exanthematibus. Colore deteriores ſunt lividæ & nigræ. Has enim maculas inſignem humorum putredinem, & caloris exſtinctionem denotare, nos alias oſtendimus. Quum ad copiam, parva intus recurrentia, & evaneſcentia exanthemata pejora exſiſtant, quod naturam cœpiſſe humores excernere, præ imbecillitateque non potuiſſe, denotet. De quibus Hippoc. *in* 1. *Epidem. ſect.* 2. *pag.* 946. *ſub finem*, dixit: *Exanthemata parva, & non pro dignitate excretionis morborum, & cito rurſum evaneſcentia, mala.* Addamus puſtulas, ac exanthemata, mala quoque eſſe parva, nec augeſcentia & pauca, quæ meminit Hippocr. *in Epidem. lib.* 1. *Ægr.* 2. *pag.* 969. & 970. de *Sileno*, dicens: *Frigidus toto corpore ſudor, papulæ cum ſudore rubentes, rotundæ, parvæ, varis ſimiles permanebant, nec abſceſſum efficiebant.* Demum pernicioſa ſunt, quæ una cum pernicioſis ſignis erumpunt. Qualia in *Sileno* atque in, *Critone ibid. agrot.* 9. *pag.* 985. moribundis apparuerunt.

CAP. XI.

De prædictione ex hypochondriis, & primo de iis, quæ ſalutem ſignificant.

Hypochondrium quid vocatur.

EX hypochondriis præſagium venaturi, primo quid nomine hypochondrii intelligendum ſit, dicamus. Siquidem Galen. *in* 2. *lib. Aphoriſ.* 35. ſcribit: epigaſtrium, ideſt, abdomen dividi in hypochondrium, præcordium, atque ventrem inferiorem, ὑπογαστρον Græcis dictum; per hypochondrium vero eam partem intelligit, quæ a coſtis ſpuriis ad umbilicum uſque pervenit; & clarius *in lib.* 2. *Prorrhetic.* ſcripſit, partes ſupra umbilicum utrimque ad latera, ſpuriis dictis coſtis ſubjectas, hypochondria proprie dici. Ex quibus dicamus & nos quoque, hypochondria, ſive præcordia, ex partibus externis abdominis eas proprie dici, quæ nothis coſtis & iliis; (hæc vero in imo ventre inter coſtam & pubem (*Capari* Galen. vocat) poſita ſunt:) continentur, ſupra umbilicum, & in latus utrumque, aut partes cartilagineas ſupra loca inania ſitas, quæ occupantur ab hepate dextra, a ſplene vero ſiniſtra. Latius vero ſumpta voce, interiora omnia ſub hac regione comprehenduntur, quippe ventriculus, hepar, lien, ſeptum tranſverſum, quæ nomine hypochondrii intellexit Auctor *Prorr.* quum in loco nuperrime citato *p.* 38. *lin.* 30. ſcripſerit: *Febres ex hypochondriorum doloribus malignæ.* Et hæc, quod ad hypochondrii cognitionem ſpectat. Itaque per hypochondria dextram ſiniſtramque abdominis partem, ſupra umbilicum, coſtæ ſpatiis ſubjacentem, intelligamus. Hæc primo ſunt rectæ valentium ſimilia, quæque optima exſiſtunt;

ſecundo

ſecundo etiam, quæ non bona & diſſimilia, quippe ipſorum tenſiones, dolores, tumores, atque ſuppurationes. De iis Hippocr. *in* 1. *Prognoſtic. pag.* 38. *lin.* 30. ita habet: *Hypochondria autem optima ſunt, ſi dolore vacant, ſi mollia & æqualia ſunt dextra ac ſiniſtra parte.* Et merito ſane, quum, ipſis ita ſe habentibus, nullam partem in ipſorum regione contentam, quippe neque ventriculum, neque ſeptum tranſverſum, quæ hypochondriis continentur, læſam eſſe cognoſcimus; quum in febribus acutis has partes recte ſe habere, non leve eſt optimi præſagii argumentum, impoſſibileque eſt aliquam partium illarum læſam eſſe, & hypochondria mollia eſſe, & abſque colore. Quare in acutis morbis optimum erit ad ſalutem prædicendam, hypochondria, ut dictum eſt, optima obſervari, quippe mollia, æqualia, dextra ſiniſtraque parte eſſe, & dolore vacare. Ex craſſis vero, & gracilibus Hippocr. *in* 2. *libro Aphoriſm.* 35. craſſitudinem habentia commendavit, ita dicens: *In quovis morbo partes ad umbilicum & imum ventrem attinentes, craſſitudinem habere, melius eſt: valde vero extenuari, ac contabeſcere, pravum.* Quare & hæc hypochondria craſſitudinem habentia erunt bona. At optimum erit, prius in ægrotis nos perſpecta habuiſſe hypochondria, qualiacumque ſint; ſiquidem ſæpius in recte valentibus & inæqualia, & non æque mollia obſerventur. Quare nedum ea, quæ optima ſunt, ſalutem præſagient, ſed quandoque inæqualia, tenſa (modo recte valentium ſint ſimilia) idem oſtendent: attamen non æque bonum erit tenſa, & inæqualia (etſi recte valentium ſimilia ſint) ſpectari, veluti mollia, æqualia, & doloris expertia. Illa vero, quippe tenſa, inæqualia, in tumorem elata, atque dolentia, perpetuo mala ſunt, ni talia critice apparuerint; ſæpius enim fit, ut, priuſquam aliqua criſis fiat, hypochondria vel tendantur, vel in tumorem eleventur, aut doleant. De criticis tenſionibus hypochondriorum Auctor Prorrhetico rum *Lib.* 1. *text.* 144. ita ſcripſit: *Ventris quoque palpitationes cum hypochondrii tenſione ſublonga, & tumente, ſanguinis indicant eruptionem.* Et paullo poſt *Text.* 147. *Hypochondrii tenſio cum capitis gravitate & ſurditate, & quæ ſplendores perturbant, ſanguinis denuntiant profuſionem. In tertio vero de criſibus cap.* 2. Galen. ait: proprium ſignum fluxuri ſanguinis e naribus eſſe præcordiorum tenſionem ſine dolore; & cum dolore, non fluxurum ſanguinem, ſed inflammationem teſtari.

Hypochondria optima quænam.

Hypochondriorum critica tenſiones.

Ex quibus colligimus tenſionem hypochondriorum ſine dolore, & aliquando etiam, præ multa tenſione ex copia ſanguinis dolores, vel hebetudines oculorum ſubire, vel ſplendores oculis obverſari, aut caput grave eſſe, aut ſurdos fieri ægrotos, & denique faciem rubram ſeu coloratiorem obtinere, ut Galen. *in tertio de Criſibus text.* 20. & *in libro de præſag. ad Poſthumum* ſcripſit; & Auctor Prorrhetic. *Lib.* 1. *text.* 144. 146. 147. *confer & Prorrhet. lib.* 2. *pagin.* 110. & 111. Criticam eſſe, & particulatim ſanguinem e naribus fluxurum ſignificare. Parotidem vero tenſionem hypochondriorum, cum æſtu anxioſo atque capitis dolore, ſignificare, notavit Auctor *Coacorum Præſagiorum text.* 289. Hippocrat. vero *in lib.* 1. *Prognoſt. p.* 43. *lin.* 14. de futuris criticis abſceſſibus ab

hypochondriorum tenſionibus judicandis, ait: *Abſceſſus fiunt hi in locis infernis, quibus circa ilia inflammatio fatiget; illi in ſupernis, in quibus ilia molliora & ſine dolore perſiſtunt.* Ex quibus liquido nobis conſtat, hypochondria, vel etiam tenſa aliquando, optima eſſe, quatenus criticæ evacuationis nobis futuræ ſunt indicium. Eodem modo & de ipſorum tumoribus dicendum; quamquam raro tamen tumores quicquam boni ad prædictionem habere videantur. Nihilominus de iis Hippocrat. *in* 1. *Prognoſt. pag.* 38. *lin.* 50. 51. ait: *Si vero mollior tumor eſt, nec dolet, & preſſus digitis cedit, diuturniorem efficit judicationem, ac minori cum periculo eſt.* Quod clarius, *paullo poſt, lin. ult. Atqui tumores molles & indolentes tardius judicantur, & minus periculi denuntiant*: & Hipp. *in* 1. *Prognoſtic. pag.* 39. *lin.* 1. *Tumor, qui in ventre fatigat, minus facit abſceſſum, quam qui in iliis. Sanguinis vero fluorem maxime de ſupernis ſedibus exſpectare oportet*: & rurſus *in Coacis Præſagiis Text.* 290. ait: *Ab hypochondriorum tumore bilioſis ſpiritus magnus ac febris acuta parotides emovet*, quod in iis bilioſi humores ferantur ſurſum. Dolores itidem hypochondriorum critice fiunt ſanguine ſurſum copioſius hypochondria diſtendente. Signa ſunt, ut dictum eſt, febris acuta, capitis gravitas, aut ſurditas, aut oculorum hebetudo, facies rubra. Addamus dolores quoque hypochondriorum non malos eſſe, ſi poſtea febris ſupervenerit. De quo dolore *in lib.* 6. *Aphoriſ.* 40. Hippocr. ita habet: *Quibus dolor circa hypochondria fit, abſque inflammatione, his febris ſuperveniens dolorem ſolvit.* Et in *Coacis præſagiis Text.* 281. ita habet: *Ceterum præcordiorum dolores ac tumores, ſi fuerint recentes, & non cum inflammatione, ſolvit murmur in præcordio obortum, & maxime ſi pertranſierit cum ſtercore, & urina ac flatu.* Itidem ex abſceſſibus ſuppuratis boni ſunt, *qui foras erumpunt, & ſi quam minimum* (ut placuit *Coac. præſag.* Auctori *in eod. lib. Eod. text.*) *loci occupent, & ſi in acutiſſimum conum colligantur*: qui de iiſdem ſuppurationibus poſtea ait: *At in iis, quæ rapiuntur intro, optima ſunt, ſiquidem nihil tumoris, doloris & caloris alieni foras edant in ſuperficiem. Quæ vero ſuppurationes his contrariæ ſunt, peſſimæ.* Atque hæc de bonis hypochondriis. Nunc de malis agamus, quæque exitium in ægrotis prædicent.

Hypochondriorum dolores non mali.

CAP. XII.

De malis hypochondriis, quæ mortem in acutis morbis præmonſtrant.

HYpochondria in acutis morbis tenſa, dura, dolentia, inæqualiaque, mala eſſe, tradidit Hippocrat. *in* 1. *libro Prognoſt. pag.* 38. *lin.* 32. *tex.* 30. non minus & ipſa extenuari, malum eſſe, & contabeſcere pravum, *in lib.* 2. *Aphoriſm.* 35. Ceterum, ut clarius rationis tenſorum hypochondriorum, durorum, & ipſorum dolorum, abſceſſuum, ſuppurationum (quæ omnia malum portendunt, modo mala alia ſigna conjungantur) notitiam aſſequamur, de his omnibus ſigillatim, deque cauſis ipſorum agendum,

dum, antequam præſagium ex iis indagemus, merito duximus. Horum ſiquidem aſſecutis, tum cauſis ignoratis, utique de præſagio rectum judicium facere nequimus. Hanc rem itaque declarabimus ab hypochondriorum tenſionibus inchoantes. Tenduntur itaque hypochondria, aliquando cum tumore ac duritie, ita, ut tactui dura appareant; aliquando citra tumorem, ita ut, etſi tenſa videantur, tamen vacua exſiſtant, quas tenſiones Gal. vacuas, ſubmolles, citra tumorem vocat. Hippoc. vero de his tenſionibus aliquando ait, veluti in *Hermocrate lib. 3. Epidem. Ægr. 2. pag. 1062. hypocondria molliter contendebantur*: aliquando *tenſiones ſubmolles* vocat, & nonnumquam hæc *hypochondria ſublimia* appellat, uti in *Eraſino ibid. lib. 1. Ægr. 8. pag. 984.* fecit. Hæc hypochondria habent quidem tenſiones, ſed vacuas, atque citra ullum tumorem durum. Quod ad figuram etiam attinet, tenſiones aliquando oblongæ, quales muſculorum rectorum abdominis, aliquando latæ, aliquando rotundæ ad lunæ figuram, quales hepatis tumores repræſentant. Cum duritie vero, ſeu tumore duro, hypochondria tenduntur, ab inflammatis, aut muſculis, aut hepatis convexa ſeu gibba parte, aut liene, aut ventriculo ipſo, a flatulento autem ſpiritu, vel a copioſo ſanguine muſculis repletis. Hæc ſine duritie etiam tenſio ſine dolore eſt, uti in multis, quibus per nares ſanguis copioſius erupit, obſervatur: a flatu tenſio eſt ſine duritie, & ſine gravitate: a copioſo vero ſanguine neque ſine duritie, neque ſine gravitate eſt: ab inflammatione demum, ut dictum eſt, tenſio eſt cum tumore, modo inflammatio muſculos exterius occupet, aut hepatis convexam partem, aut lienem, aut denique ventriculum: atque hæc eſt tenſionum ratio. Sed age, hanc rem declaremus propterea, quod dictum eſt ab inflammatis his viſceribus tendi hypochondria cum duritie, ex quo perpetuo videtur, hanc tenſionem ab ea cauſa proficiſci. Hoc etſi verum ſit, quippe per omnem tenſionem cum tumore, ſeu duritie, atque dolore, indicari viſcerum inflammationem; tamen hoc quoque ex Galen. doctrina verum erit, plures tenſiones non duras, ſed molles, ideſt, ut Galeno videtur, vacuas, inanes, ſublimeſque, citra viſcerum inflammationes fieri: de quibus quidem tenſionibus utile erit paulliſper accuratius agere. Tenſiones itaque molles, ſeu vacuas, ſeu inanes, ſeu citra tumorem, quæ nomina idem explicant, fieri aut viſcerum internorum inflammatione, aut ſiccitate principii nervorum, ad ſeptum tranſverſum venientium: hoc modo hypochondria ſurſum trahuntur, meritoque Hippoc. aliquando hæc ſublimia vocat: illo modo tenduntur quidem, ſed quum intus viſceris inflammatio nos lateat, nullus tumor vel durities exſiſtit. Galen. *in 3. Epidem. com. 2. text. 1.* ſcribit: *hypochondriorum mollem renitentiam ſignificare aliquod viſcus eſſe inflammatum, quippe aut jecur, aut ſeptum tranſverſum, aut lienem*. Et *in primo Epidemiorum*, de *Sileni* tenſione in hypocondriis agens, ſcribit: *ſepti tranſverſi inflammatione hypochondrium per continuitatem ſurſum trahi, contendique abſque tumore*. De hac tenſione *in libr. 3. Epidemiorum*, ita habet: *Ac ſi ita diceret dextrum hypochondrium intendebatur, ſed citra tumorem, vel quia non magna fuerit je-*

Hypochondriorum tenſiones malæ.

Hypochondria ſublimia quænam dicta.

coris inflammatio, vel infimis partibus dumtaxat, quibus ventrem complectitur, quum gibba nondum una cum infimis in tumorem essent elata. Quod *Hermocrati lib. 3. Epidem. Ægrot. 2. pag.* 1062. contigit. Ex quibus constat fieri in hypochondriis tensionem mollem, idest citra tumorem ex inflammatione septi transversi, jecoris atque lienis, sed jecore inflammato non toto, neque magna inflammatione affecto, sed aut parva, aut tantum infima ejus parte inflammata. Ex quo tactu primo occurrens gibba nondum inflammata, apparet tensio citra tumorem & mollis. Sed hæc tensio numquam toto jecore inflammato apparebit, vel magna affecto inflammatione. Diximus hanc ipsam tensionem fieri quoque non solum ab inflammatis visceribus, sed & a magna quidem exsiccatione. Quas causas Galen. in *primo Prognost. text.* 30. ita complexus est: *Quandoque enim intenduntur ilia sine inflammatione proprie nominata, aut propter vehementem siccitatem non solum in illa parte, sed etiam in septo transverso, costis, membrana, præcordiis; aut propter inflammationem, cum tumore, ipsorum in illis musculorum consistentem sine inflammatione proprie vocata quæ quidem tumor dolens est.* Sed has tensionis mollis causas, vel etiam clarius *in libr. 3. Epidemiorum comm. 3. text.* 1. Galen. ita expressit: *Hypochondrium tenditur, ubi a septo transverso vicinæ partes trahuntur.* At ipsum tenditur septum transversum interim in pleuritide ob inflammationis magnitudinem succingentis membranæ costas; interim ob originem nervorum, ad se nervos, qui ad septum transversum pertinent, attrahentem; interim vero per suam ipsius inflammationem. Atque hæc erant de tensorum hypochondriorum causis præmittenda, quibus perspectis nunc ad prædictionem descendimus. Hippocr. itaque *in lib. Progn. pag. 38. lin. 38. text. 39.* ait: *tumorem durum, & dolentem in utroque hypochondrio, aut in dextro, esse pessimum. Talem quoque significare,* affirmavit, *ab initio mortem brevi fore.* Galen. vero *in comm.* intelligit per tumorem, inflammationem, jecur, aut ventriculum, aut lienem obsidentem, ex qua plures quum cito intereunt, præsertim ubi magna est; sed præsagii judicium alia signa pernicioſa confirmabunt. Sed ubi tumor ex musculis inflammatis fit, raro mortalis æstimatur. Sed Hippocrates priorem sententiam, in qua ait, *ab initio tumorem durum cum dolore brevi mortem prænuntiare,* paullo post ita limitasse visus est, quod nonnisi magnus, & non quivis mortem præsagiat, neque semper. Quod ita habet *Ibidem lin. 54. text. 40. Quicumque ergo tumor dolens, durus & magnus est, periculum mortis brevi fore significat.* Quasi dixerit, hujusmodi tumores, idest viscerum inflammationes, si interimere ægrotos debeant, cito id facere; nam diu quum durant, suppurationem potius, quam mortem denotant futuram, quod paullo antea Hippocrates tradiderat, hisce verbis *Ibidem lin. 44. si febris vigesimum transcendit diem, & febris detinet, & tumor non desistit, in suppurationem verti contingit.* Quare tumores cum dolore in hypochondriis, qui non ex inflammatis musculis, sed aut jecore aut ventriculo, sunt periculosi, præsertim si magna inflammatio.

Hypochondriorum tensiones dum reverniciosæ.

At hujusce præsagii judicium confirmabunt signa illarum inflammationum

num pathognomonica, tum morem ſignificantia, quæ poſtea apparent; pernicioſa enim exitium prædicant, qualia Hippocrates vidit in *Apollonio*: De quo *in libro tertio Epidemiorum, Comm. 3. Ægr. 13. pag.* 1111. ita habet: *Somni non aderant, inflatio mala, magna ſitis, comatoſus erat, hypochondrii dextri elevatio cum tumore, extremæ partes undique ſubfrigidæ, aliquantulum delirabat, omnium obliviſcebatur, quæ locutus eſt: mente movebatur.* Non minus pernicioſæ ſunt hypochondriorum tenſiones ſubmolles citra quippe tumorem; quum oſtenderimus aut nobilium viſcerum inflammationem, aut maximam ſiccitatem principii, vel nervorum ad ſeptum tranſverſum deſcendentium, aut membranæ coſtas ſuccingentis, pleuræ vocatæ, ſignificare. Ceterum hæ tenſiones per ſe ſolum, tametſi perpetuo malæ ſint, numquam exitium prædicunt, niſi alia prava una illuxerint ſigna. Quando non omnes inflammato jecore, aut ventriculo, aut ſepto tranſverſo, moriantur. Quare neceſſe erit, ut reliqua ſigna conſulamus; quæ ſi mala fuerint, ac ex letalibus, proculdubio mortem poterimus prædicare. Quales tenſiones fuere obſervatæ in *Sileno lib. 1. epid. ægr. 2. p. 969. Hermocrate epid. lib. 3. ægr. 2. p. 1062. Philiſta ibid. ægr. 4. p. 1070. adoleſcente Melibæa ibid. ægr. 16. p. 1117. & adoleſcentulo, qui in mendacium foro decumbebat, ibid. ægr. 8. p. 1076.* quibus quum ſubmolliter hypochondria tenſa eſſent, una quoque ſigna mala & letalia affuerunt.

Non minus & ſubmolles citra tumorẽ.

Eodem modo hypochondriorum dolores cum tenſione prædicta, & malis ſignis, letales eſſe ſolent, veluti *Uxori Dromeadai epid. lib. 1. ægr. 11. pag. 987.* contigit, in qua tertia die hypochondrium quum doluerit, habebat urinas craſſas, turbidas non reſidentes, & ſudores frigidos, quæ omnia letalia exſiſtunt. De eo vero, *qui caleſcens cœnavit*, ita habet Hippocr. *ibid. ægr. 12. p. 988. Quidam caleſcens cœnavit & potavit largius, vomuit cuncta. De nocte febris acuta, præcordiorum dextrorum dolor, ſubmollis in partibus externis inflammatio, noctem moleſtam duxit. Urinæ primo rubræ, craſſæ, quæ depoſitæ non reſidebant, lingua præarida, non admodum ſitibundus.* Quæ in ipſo ſigna fuerunt pernicioſiſſimæ ac letaliſſimæ inflammationis, qua cito exſtinctus eſt. Auctor vero *Prorrheticorum lib. 1. text. 56.* ſcribit: *Febres ex hypochondriorum doloribus, malignæ*: ſed Gal. ait: non omnes, ſed eæ tantum, quæ inflammato aliquo viſcere ſuſcitantur: ſed neque omnes eſſe malignas, ſed acutas malignas eſſe, alia ſigna prava demonſtrabunt. Addamus hujuſmodi quum tenſiones, tum dolores, eſſe pravos ac letales, ſi ab aliqua ſatis copioſa evacuatione adhuc perduraverint. De quibus in *Coac. præſ. tex. 284.* legitur: *Dolores, qui in hypochondriis incidunt, tum alias pravi ſunt, tum ſi inde alvus perfluit.* Quod in nuper citatis ægrotis videre eſt, namque in *Sileno lib. 1. epid. ægr. 2. p. 969.* cum tenſione hypocondriorum fuerant dejectiones tenues ſubnigræ, & *Eraſinus lib. 1. epid. ægrot. 8. p. 984.* cum ſudore habuit tenſa hypochondria; atque hæc eſt tota ratio prædicendi ex tenſionibus malis hypochondriorum. Malæ quoque ſunt ſuppurationes hypochondriorum, in quibus alvi copioſæ dejectiones, cum magnis faſtidiis, ſyncope, vomitibus, atque omnium maxime febre nihilo diminuta, minimeque ægris exinde juvatis. Diximus eos tumores ſuppurari, qui diutius duraverint cum

Hipochondriorum dolores quinam letales.

Hypochondriorum ſuppurationes quænam malę.

cum febre, ex Hippocr. qui *in* 1. *Prognoſt. pagin.* 38. *lin.* 44. *text.* 35. ita habet: *Si vero viginti dies tranſgrediatur tum febris detinens, tum tumor non conſidens, ad ſuppurationem convertitur*. Et paullo poſt *Ibidem lin.* 44. ait: *Si vero tranſgrediatur ſexaginta dies febris & tumor non conſidat, ſuppuratum fore ſignificat & hunc, & eum, qui in reliquo ventre eſt eodem modo*. De eorum prognoſtico agit Auctor *Coac. Præſag. Text.* 281. ita dicens: *Inter abſceſſus letales ſunt, e quibus introrſum erumpunt; reliquorum vero ſuppurationes ex iis, quæ foras erumpunt, maxime laudabiles, ſi quam minimum loci occupent. & ſi in acutiſſimum conum colligantur. At in his, quæ repunt intro, optimæ ſunt, ſiquidem nihil tumoris, doloris & caloris alieni foras edant in ſuperficiem. Quæ vero ſuppurationes his contrariæ ſunt, peſſimæ.* Quare ex his adde, ad cognoſcendas malas ſuppurationes, in hypochondriis tumorem, vel dolorem, vel calorem ſentire, indicium eſſe latentis, non ſublatæ, inflammationis. Si itaque a ſuppuratione tenſa adhuc maneant hypochondria, minimeque laxentur, adhuc magis, ſi doleant etiam & caleant, pravum eſt, ac letale: omniumque maxime exitium prædicendum erit, ſi nedum copioſa puris excreti vacuatio ægrum juverit; atque exitioſiſſimum, ſi ipſi in pejus labantur. Hæc enim vacuatio erit ex judicatoriis, non judicantibus, letalis, eoque magis, ſi virium languor, aut aliud ſignum pravum una illuxerit: & hoc eſt præſagium ſuppuratorum hypochondriorum. Sed unum dicamus, quo cognito finem huic capiti imponemus, quippe Hippocr. *in primo libro Prognoſticorum pagin.* 38. *lin.* 34. *text.* 31. & 32. ſcripſiſſe: *Si vero pulſus in hypochondriis inſit, perturbationem ſignificat, aut delirium*. Verum oculos talium conſpicari oportet; ſi enim crebro obtutus movetur, exſpectanda inſania eſt. Quod *in Coacis præſagiis text.* 282. ita confirmatur: *Pulſus in hypochondriis, cum perturbatione, delirium portendit, & magis, ſi oculi crebrius moveantur*. Atque hoc fit veriſimile, aut propter ſeptum tranſverſum inflammatum, aut propter humorem effervescentem, ex quo flatus multi ſuſcitantur, qui copioſius in caput aſcendentes, ac membranas cerebri calefacientes, & mordentes, delirium faciunt. Hujuſmodi vero pulſus plerumque malus, etſi aliquando bonus, ubi criſin antecedit, qui criticis ſignis a malo diſtinguitur. Quum vero una cum ipſo alia prava adfuerint ſigna, mortale eſſe id, affirmandum, de quo in 3. *Coacor. præſag. tex.* 283. *Oris ventriculi dolor cum hypochondrii pulſatione, refrigerata febre, malum, tum alias, tum ſi tenuis ſequatur ſudor*. Atque hæc de malis hypochondriis dicta ſufficiant. Supereſſet quoque agendum de prædictione ex hepate atque liene, ſed quoniam ea, quæ in ipſis exterius ad prognoſticum conſiderantur, fere omnia nunc dicta ſunt, idcirco nihil aliud de his ſcribemus.

CAP.

CAP. XIII.

De prædictione ex ignobilibus corporis partibus.

PArtium corporis, quum nobilium tum ignobilium, obſervatio in acutis morbis plurimum ad prædictionem juvat; & merito ſane, ut Galen. placet, quum nobilia membra diu graves morbos ferre nequeant: ipſis enim gravi morbo vexatis facultates omnes diminui, & tolli, cuique noſtrum eſt manifeſtum. In acutis morbis, humoribus putridis ad nobilia membra motis, & ipſa obſidentibus, mors ſequi ſolet, iiſdemque a nobilibus ad ignobiles compulſis, ſalus. Hinc Hippoc. dixit acutorum morborum non omnino certas eſſe prædictiones ſalutis & mortis, quod incerti ſimus, ad quam partem corporis, vel nobilem, vel ignobilem, præ ſumma putredine quum tenuiſſimi, tum turgentes, moveri debeant. Hoc unum certum eſt, ſi tranſmittantur ad principem partem, magnum vitæ periculum parare, & plerumque mortem; & ſi ad ignobilem, a principibuſque remotam, ſalutem. Ex quo omnium harum partium in acutis morbis obſervatio Medicis ad præſagium faciendum, nedum utilis, ſed quinimmo neceſſaria erit. Per partes vero principes communiter has intelligimus, quippe cerebrum, hepar, cor, ventriculum, gulam, aſperam arteriam, pulmones, ſeptum tranſverſum, inteſtina tenuia, pleuram, membranam coſtas pectoris ſuccingentem. Has poſtremas principes atque nobiles fecimus, quod aut principibus proxime ſerviant, aut quod ſint proximæ, aut quod propter colligentiam partium cum principibus magnam habent convenientiam. Non principes, ſed ignobiles ſunt cutis partes extimæ, extremæque, poſt aures, ſub alis, & inguine. In iis itaque omnibus utile eſt, in acutis morbis quicquam videri, quod ad ipſas morbum decubuiſſe nobis ſignificet. Hujuſmodi denotant, dolores, diu durantes, critici, de quibus accurate in 2. libr. egimus, & quomodo aliquando in partibus ignobilibus ſalutem critice demonſtrent, tumores itidem, in cute oborti, diu perſiſtentes, & in cruribus, pedibus, ac in aliis partibus, a principibus remotis, optimi ſunt, modo critice apparuerint, quippe conſpectis coctionis ſignis. De quibus Hipp. *in 2. lib Prognoſt. pag.* 43. *lin.* 18. *text.* 67. ait: *Abſceſſus ſi in cruribus erumpit in pulmonia vehementi, ac periculoſa, omnis utilis eſt*: & Galen. In Pulmonia vehementi abſceſſum erumpere in cruribus, prorſus bonum cenſetur, ſiquidem maxime vera ſententia Hippocr. eſt 2. *lib. de morbis vulgaribus Sect.* 1. *pag.* 1002. inſcripta, de bonis abſceſſibus, ut optimi ſint, ſi deorſum quam longiſſime a morbo abſiſtant, ſed potiſſimum, ſi cum coctione pariter erumpant. Hac eadem ratione commendantur tumores in cruribus, in inguine, teſtibus, ſub axillis, atque poſt aures critice apparentes, de quibus nos poſterius ſingulis accuratius. Commendantur etiam, ut dictum eſt, puſtulæ, exanthemata, variolæ, morbilli, pruritus ſcabieſque, ſi modo, ut dictum eſt, ſigna coctionis in excrementis præceſſerint. Veluti hæc non critice, ſed ſymptomatice conſpecta, in

Partes principis quænam.

Ignobiles quænam.

qui-

quibuſvis partibus ignobilibus mala ſunt, quod vi morbi, non naturæ, prodeant. Sed de iis ſingulis accurate agamus, ubi de prædictione ex tumoribus omnibus ſermonem inſtituerimus. Nunc ſufficiat dixiſſe in acutis morbis ſæpius glandulas poſt aures inflammari, & intumeſcere, quas *parotides* Medici appellant, aliquando ſub axillis, & non raro in inguinibus, atque etiam teſtes exinde intumeſcere. Qui tumores aut principio febris apparentes, aut ipſos ſi febris ſequatur pravum eſt, morbumque malignum oſtendunt; ſi vero cum humorum coctione erumpant, minus malum, & plerumque ſalutare ſignificant: nimirum quod naturam nobilia viſcera exoneraſſe, protrudendo noxios humores ad has ignobiles partes, ſint indicio. Optimi vero ſunt, qui diu durant, rectitudinem ſervant, augentur, ſed qui tamen ad nimiam non venerint magnitudinem, neque minores ſint, quam debeant. Hi enim peſſimi exiſtunt, non minus & qui paullo poſt intus recurrerint, atque evanuerint: ſed de his, ut dictum, alias uberius loquemur. Hinc extremas corporis partes ad prædictionem conſideremus.

CAP. XIV.

De prædictione in acutis morbis ab extremis partibus.

PArtes extremas vocat, Galen. *in Comment. 4. lib. 2. Prognoſt.* Hippoc. aures, nares, manus atque pedes. Hæ partes ſolent in acutis morbis ſæpius magnam partem præſagii habere. Quando numquam mori hominibus contingat, his partibus nihilo a naturali ſtatu mutatis: neceſſe eſt enim in moribundis, ut hæ partes refrigerentur, & colore liveſcant & nigreſcant; atque etiam in multis manus pedeſque indecore moventur. Ex quo extremorum caliditas in acutis morbis numquam mala, veluti frigiditas perpetuo mala, peſſimaque, ubi interiora calent, & maxime ſitiant. Quod Celſus ab Hippocrate depromtum ita expreſſit: *Cui, febre æque non quieſcente, exterior pars friget, interior ſic calet, ut etiam ſitim faciat, letale.* Hoc ſignum cum aliis malis eſſe letale, *in 2. libro*, in quo de extremorum caliditate & frigiditate accuratiſſime egimus, oſtendimus. Summe exitioſum vero erit (quamvis perpetuo extremarum frigiditas in continuis febribus ſit timenda) frigus extremorum, vix recaleſcens, aut numquam; omniumque maxime, ſi una partes liveant, & nigræ appareant.

Extremorum caliditas in acutis morbis numquã mala, contra frigiditas.

De quibus Hippocr. *in 1. Epidem. Comment. 1. pagin. 940. text. 28. Frigebant his multum extremitates, ac vix calor his revocari poterat*, & paullo poſt *pag. 945. in medio: Multum vero frigus erat, & vix eis calor revocari poterat.* Quod in *Philiſco* moribundo fuit obſervatum, de quo Hippocr. *in 1. Epidem. Ægr. 1. p. 966. Extremitates undequaque frigebant, nec jam ad calorem illæ amplius redibant.* Sed hæc ſatis de frigiditate partium extremarum; qui hanc rem perfecte habere cupiunt, videant cap. 15. lib. 2. in quo de hac re nos fuſius. Eodem modo de colore

lore dicendum; optimus enim color recte valentium similis erit; nonnumquam rubeus ac inflammatus, si critice sanguine ad extremas partes decumbente fiat. Omnium pessimus ac exitialis est lividus atque niger, de quibus quoque superius in hoc libro abunde dictum est. In acutis itaque morbis, extremas partes nigras aut lividas spectari, exitiale est; quum aut caloris exstinctionem, aut summam humorum putredinem denotet, ut alias a nobis demonstratum. Hos colores in extremis vidit Hippocrat. in *Philisco, Epidem. lib.* 1. *pag.* 966. *Ægr.* 1. *Sileno, Ibidem pag.* 969. *Ægrot.* 2. moribundis. De illo dixit: *Frigida sudavit, extremitates lividæ;* & de Sileno: *Sexto circa caput parum sudavit, extremitates frigidæ, lividæ, multa jactatio.* Manus etiam atque pedes indecore moti, & agitati damnantur ab Hippocr. de illis *in libr. Prognostic. pagin.* 38. *lin.* 1. *& seq.* scripsit: *Qui in febre acuta, aut delirio, aut pulmonia, aut capitis dolore, manus subinde ob os fert, aut colligit festucas, aut de veste evellit pilos, aut de pariete stipulas carpit, id omne malum, exitialeque est.* Non minusque pedes, non calidos, nudos habere, de quo signo *in eodem libr. pagin.* 37. *lin.* 43. dixerat: *Si vero nudos habeat pedes nec admodum calidos, ac manus, collum & crura dispergat inæqualiter, malum est; significat enim inquietationem.* Quando etiam homines modesti, ac præsertim mulieres, pudenda coram adstantibus denudant, pessimum est, aut enim delirium, aut exstinctionem facultatis denotabit. Atque hæc obiter de prædictione ab extremis partibus, de qua re in secundo libr. nos accuratius egimus.

Extremorum color quinam optimus.

Manus & pedes indecore moti & agitati mali.

Pedes frigidos nudos habere, malum.

Invere-cundia in acutis morbis, mala.

FINIS QUINTI LIBRI.

PRO-

PROSPERI ALPINI MAROSTICENSIS,

Philoſophi & Medici in Gymnaſio Patavino Medicamentorum ſimplicium Profeſſoris ordinarii,

DE PRÆSAGIENDA VITA & MORTE ÆGROTANTIUM,

LIBER SEXTUS.

CAP. I.

De quibus ſit agendum in hoc libro, ac primo de prædictione, ex coctione atque cruditate excrementorum.

QUum potentiæ naturalis a quatuor, ut etiam dictum eſt, functionibus robur ac infirmitas innoteſcat, omniumque maxime ex alteratrice ſeu concoctrice, atque excretrice; quia ad has referuntur coctiones omnes excrementorum, & excretiones, quas Medici *criſes* appellant, atque ipſa non minus excrementa, quorum quidem omnium obſervatio magnam præſagii partem nobis perſpectam ac cognitam reddit: itaque in hoc libro, ut jam captam prædicendi methodum ex naturali facultate proſequeremur, de coctionibus, cruditatibus, excretionibus, diebus criticis atque criſibus ſigillatim a ſingulis quum excrementis, tum ipſorum excretionibus, Prognoſticum indagandum duximus. Exordiemurque a prædictione ex coctione atque cruditate excrementorum, quæ ita ad prædicendi rationem faciunt, ut ſine ipſorum cognitione nemo poſſit quicquam certi de ægrotantium ſalute vel morte aſſequi. Quod, ut probe cognoſcatur, in primis quid coctio ſit, & quid cruditas, quotupliciter accipiatur a Medicis, atque quomodo fiat, intelligendum eſt. Galen. *in lib. 1. Epidem. de coctione* ita habet: *Concoctio enim quædam eorum, quæ præter naturam ſunt, eſt ipſa maturatio morbi. At ipſa coctio in coquentis ſubſtantiam deductio quædam eſt ejus, quæ coquitur.* Hanc clarius Galen. *in 3. de natura hum. in text. 4. & in lib. de ſympt. diff. cap. 4.* expreſſit, quid ſit, nimirum dicens:

Coctio quid & quotuplex.

dicens; *esse ciborum alterationem in propriam & convenientem qualitatem ejus, quod nutritur, quam Graci πέψιν vocant.* Hanc veram Medici ac propriam coctionem vocant, quam ad prædictionem Medici ita non considerant, veluti alteram, quæ penes excrementa biliosa, & summe putrida attenditur, quæ est alteratio non ciborum, sed noxiorum humorum, in qua paucum est, quod in alimentum mutetur, vel nihil, quam Medici in morbis acutis maxime ad prædictionem spectant. Qua dicimus morbum habere excrementa concocta & cruda. De qua Galen. *in 2. de vict. rat. in acutis* in hunc modum: Nempe biliosa cruda ita appellavit, quoniam & excrementorum coctionem appellat; quamquam mutata nutrire non possunt, ut bilis utraque, & qui Græcis ἰχῶρες dicuntur. Verumtamen, quoniam & talia evincit natura, cocta quidem vocare consuevit Hippocr. excrementa hujusmodi, quæ a nutura ipsa evicta sunt, cruda vero, quæ non sunt evicta. Galen. *In 6. Epidem. comm. 2. text. 9.* concoctionem biliosorum humorum vocat, mutationem in optimam qualitatem, & mediocre quoddam temperamentum, & *in 2. de vict. rat. in acutis text. 14.* scribit concoctum omne dici, vel quod a calore naturali mutatum nutrit, vel si non nutriat, quod a natura devictum sit mutatumque in suum naturalem statum; ut bilis, quæ in homine sano erat pallida, parumque acris, flava & summe acris facta & multum fœtida, concocta dicitur, ubi minus acris minus colorata & fœtida reddita est. Fiunt vero eæ concoctiones biliosorum putridorumque humorum natura, atque cruditates, morbo prævalente naturæ, ut Galen. *in libro de constit. art. med.* docuit. Sed nunc ex ipsis præsagium in morbis perscrutemur. Quum itaque dictum sit, coctiones in excrementis naturam prævalentem demonstrare, inde affirmabimus nihil magis salutem nobis significare, quam excrementa videri concocta. Proinde Galen. *in lib. art. medicinalis, cap. 83.* coctionem esse ex salubribus signis statuit; propterea etiam *in primo lib. Aphorism.* dixit: *Signa coctionis perpetuo bona & numquam mala*, & Hippoc. *in Epidemior. lib. 1. sect. 2. pag. 948. text. 45.* ait: *Maturationes excrementorum omnes, undique tempestiva aut bonæ*, & postea: *Coctiones celeritatem portendunt judicii, securitatemque salubrem* & Gal. *in libro de Crisib. cap. 18.* dixit: coctionis signa numquam male apparere: tantique hoc signum est ad prædicendam salutem momenti, ut Galen. *in lib. de constit. art. med.* nuper citato, affirmaverit, hoc omnibus commune esse, numquam morbum solvi posse, nisi prius in excrementis coctionis signa conspiciantur. In morbis, ventrem occupantibus, oportet concocta alvi excrementa videri, de quibus Hippocr. *in 2. Prognostic. pag. 39. lin. 54. Alvi excrementum optimum est, quod molle atque conjunctum est, quodque ea hora exierit, qua tempore sanitatis consueverat, quantitate vero, quæ sit pro ratione cibi assumti; tali enim exsistente dejectione, inferior venter sanus est.* Galen. addidit, subrufumque debere spectari nec admodum grave olens. Eodem modo in acutis febribus, inflammationibus hepatis, ventriculi, diaphragmatis, lienis, urinæ concoctæ spectabuntur, si ad salutem tendat morbus, de qua etiam in *Prognosticis pag. 41. lin. 13. Urina optima est, si candidum sedimentum fue-*

Concoctiones biliosorũ & putridorum humorũ semper bonæ.

fuerit, læve & æquale per omne tempus, dum morbus judicetur. Securitatem enim ac morbum fore brevem ſignificat. In morbis vero pectoris & pulmonum ſputa concocta excerni debent, de quibus Hippocr. *in eodem 2. Progn. p. 41. lin. 13. text. 43.* ita habet: *Sputum vero in omnibus doloribus, qui ſunt circa pulmonem & coſtas, cito promteque exſpui convenit, & flavum ſputo valde permixtum apparere,* & Galen. *in 1. lib. Aphoriſmor.* dixit, ſputum concoctum eſſe album, læve, æquale, non admodum vel tenue, vel craſſum, quodque facile exſpuitur. Atque hæ notæ ſufficerent pro cognoſcenda coctione in urinis, dejectionibus, atque ſputis. De his poſterius & de omnibus quoque excrementis nos accuratius. Colligamus itaque coctiones excrementorum numquam malas, ſed perpetuo bonas eſſe. Addimus concoctionem uſque adeo ad ſalutem prædicendam facere, ut omnia, nedum bona ſigna, una cum ipſa coctione conſpecta, ſalutarem morbum demonſtrent, at quinimmo etiam mala cum ſignis coctionis non ſint timenda. Vigiliæ enim, deliria, vertigines, comata, dolores, convulſiones, tremores, anxietudines, reſpirationes difficiles, atque alia, quæ per ſe mala exſiſtunt, cum ſignis coctionis, ſalutaris futuræ criſis ſolent non raro eſſe indicia. Omnes itidem excretiones, poſt coctionem apparentes, ſalutares exſiſtunt, a naturaque prævalente fiunt, ut Galen. *in 1. Epidem. comm. 2. text. 45.* ita docet: *Quando igitur poſt morbi coctionem aliquis humor vitioſus excernitur, tunc corpus a natura expurgatur.* Et paullo poſt: *Et propter hoc atra bilis & alius omnis hujuſcemodi humor, ubi ſigna coctionis in morbi proceſſu apparuerint, bonam ſignificant evacuationem.* Ex quo merito Hippocr. *in quarto, de Vict. rat. in acut. pagin. 396. lin. 21. & ſeq. text. 10.* dixit: *Et ſi e naribus fluxerit ſanguis, ſolvitur ægritudo, atque ſi ſudores ſupervenerint judicatorii legitimi, cum urinis albis, craſſiſque & levibus ſubſidentiis.* Sed dicet aliquis, quo tempore morborum conſpiciuntur coctionis ſigna? Non principio; quum hoc tempore morbi plane crudi exſiſtant: non etiam augmento, quod tunc imperfectæ conſpiciantur coctiones: reſtat, ut in ſtatu, quo tempore natura humores coxit. Ex Galen. *in primo Aphoriſm. 22.* ſcribente: *coctionis ſigna numquam in morbi principio conſpici.* Hæc vero, ut Galen. *in lib. de Conſtit. art. med. cap. 18.* ſcripſit: *agnoſcentur ex propriis excrementis: eos enim morbos, qui in ventriculo, & parte cava jecoris, meſenterioque fiunt, concocta alvi dejectiones ſalutares denotant; & urinæ illæ illos, qui in toto venoſo genere, in renibus atque veſica, fundantur; atque excrementa tuſſi rejecta concocta, qui in thorace ac pulmonibus fiunt; non minus quam in vomitibus coctiones, affectus ventris ſuperioris ac ſtomachi; & excrementorum, quæ per palatum, aures, atque nares deſcendunt, cerebri affectus.* Atque hæc ſint dicta de prædictione in morbis ex coctione. Nunc ex cruditate idem perſequemur. Ex qua numquam quicquam boni præſagitur, ſed perpetuo malum; adeo ut, etſi aliquando, ut docebimus, naturæ judicia & morborum ſolutiones fiant, hoc eſt tamen rarum, atque infideles ſatis, ad certam de ſalute prædictionem aſſequendam. De quo ſigno Hipp. *in primo Epidem. ſect. 2. p. 948.*

Coctiones quo morbi tempore fiunt.

Cruditas quid in morbis.

Cruda

Cruda vero & incocta, atque in malos abſceſſus converſa, aut acriſias, (id-eſt judicationis carentias) *aut dolores, aut morbi longitudinem, aut mortem, aut morbi recidivam ſignificant*. Tantum ad malum præſagium poſſunt ſigna cruditatis, in urinis, alvi dejectionibus, atque aliis excrementis, ut cum ipſis quicquam boni umquam elucere nequeat. Mala enim ſigna, cujuſmodi ſunt vigiliæ, deliria, anxietudines, reſpirationes, pulſus mali, & alia multa, durante cruditate, in acutis morbis mortem ſignificant: bonaque viſa ſigna, cujuſmodi eſt morbi allevatio, ſudores vel etiam boni, eruptiones ſanguinis, vomitus, dejectiones, urinæ copioſæ, nihil boni ſignificant, neque his eſſe fidendum, quod non ex ratione fiant; nobis perſuadetur, juxta illud Hipp. *Aph. ſect. 2. text. 27. His, quæ ſine ratione fiunt, parum eſt credendum*. Cum cruditate itaque neque bonis ſignis fidere debebimus; quoniam ex ipſis nullum fidele judicium habetur. Hinc dixit Galen. *in lib. 1. de Criſib.* Decretoria ſive judicatoria ſigna non ſtatim apparere, quod tunc omnia ſint crudiſſima, & *in 4. lib. Aphor. 22.* quando aliquis incipit morbus, nullam vacuationem eſſe, & *in primo Aphor.* judicatio cum cruditate aut perniciem, aut longum morbum ſignificat. Idque fit, quod numquam principio morbi reſolvantur, ſed iiſdem declinantibus, aut in vigore cum aliqua criſi, quia omnia inquam cruda ſint. In acutis itaque morbis, præſertim febribus atque inflammationibus attendenda erit coctio & cruditas, quæ in urinis, & alvi dejectionibus, &, ſi una pulmonis vel thoracis pars lædatur, etiam in ſputis. Urinæ crudæ variis modis cognoſcuntur, quippe ipſarum ſubſtantia, contentiſque mutatis; eodem modo dejectiones mutatæ, item & ſputa. Sed de horum coctione & cruditate cognoſcenda poſterius ſigillatim ſcribetur. Nunc ſufficiet hæc dixiſſe, quod cruda excrementa dicuntur ea, quæ & ſubſtantia & contentis mutata ab iis, quæ tempore ſanitatis fiebant, obſervantur, atque quæ notis coctionis, quas antea recenſuimus, careant: ſed non in urinis tantum, ſed in omnibus aliis excrementis hoc erit ſedulo cognoſcendum. Sed jam tempus eſt, ut de prædictione, ab excretionibus ſecundum communem viam, quippe univerſaliter (quando poſterius de iiſdem ſigillatim & accuratius ſit a nobis agendum) agamus.

Cruditas quid dicitur.

CAP. II.

De prædictione ab excretionibus.

DE prædictione ab excretionibus & abſceſſibus in præſentia acturi, primo de bonis agemus, quæ in morbis ſalutem præſagiunt, & poſtea de malis exitialibuſque. De bonis hoc in primis affirmamus, optimas eſſe, quæ poſt manifeſtam & optimam concoctionem apparent. Juxta illud Hipp. præceptum, *coctiones quippe*, quod in *primo Epidem. ſect. 2. pag. 948.* ſtatuit, *celerem morbum atque ſalutarem denotare*. Atque hujuſmodi excretio naturæ lege fit, Auctore Galen. *in lib. 4. Aphoriſm. & in 2. de præſag. ex Pulſib.* quoniam natura prius concoquit, poſtea ſeparat, atque

Excretiones quæ. nam bonæ.

que mox excernit, proinde his prægreſſis optimæ ſunt excretiones, non minuſque abſceſſus. De quibus locutus Galen. *in eodem* 4. *Aph.* 22. ſcripſit: *Nobis a natura expurgari, exinde ſignificari ſtatutum eſt.* Et in primo *Aphor.* 12. de iis excretionibus judicatoriis ſcribens, dixit: *Siquidem morbo jam cocto ſupervenerint, futuram ſtatim ſanitatem denuntiant.* Quod de *Melidia* Hippocrates, *lib.* 1. *Epidem. Ægr.* 14. *pag.* 991. ita habuit; *In urinis ſubſedit album, læve, ſudavit, judicata eſt abſolute undecimo.* Ex quibus colligamus, excretiones omnes, una cum ſignis coctionis conſpectas, eſſe bonas, optimaſque, ſi plene concoctus fuerit morbus. In febribus vero acutis urinarum concoctio erit attendenda, quum eæ ſtatum venoſi generis affectuum demonſtrent. Hinc Hippocrat merito *in libr.* 4. *de Vict. rat. in acut. pag.* 396. *lin.* 21. *& ſeq. text.* 10. ſcripſit: *Etſi e naribus fluxerit ſanguis, ſolvitur ægritudo, etiam ſi ſudores ſupervenerint judicatorii legitimi, cum urinis albis craſſiſque & levibus ſubſidentiis.* At ne nos turbet, quod nonnumquam intereant aliqui cum urinis ſalutaribus, atque quod in aliquibus moribundis appareant ſigna coctionis, veluti in *Philiſco, lib.* 1. *Epidem. Ægr.* 1. *p.* 966. morti proximo, urinæ melioris coloris apparuerunt. Hoc vero coctionem non demonſtrare, poſtea, ubi de urinis agemus, demonſtrabimus. Sed nunc nobis ſufficiet, urinas colore ac ſubſtantia, contentiſque recte valentium ſimiles, in pernicioſiſſimis morbis aliquando conſpici; in quibus præſertim natura prorſus morbo ſuccubuit, ac ne propterea minima, vel etiam inter ipſam & morbum, fiat pugna, & corporis agitatio. Si vero dicent, nobiſque obiicient hunc textum *Prorrheticorum, lib.* 1. *text.* 102. qui ita legitur: *Qui principio ſudant, urinis coctis, æſtuantque, & abſque judicatione refrigerantur, & celeriter perruruntur, torpidi item comatoſique & convulſi, pernicioſe habent.* Quaſi ex hoc pernicioſa ſymptomata cum urinis coctis ſtare poſſint: aut enim legendum erit, *non urinis coctis*, ſed *laborioſis*, ut Galen. in comment. placuit, aut forſan Auctor *Prorrhet.* coctas urinas albas, & craſſas vocavit, quoniam ſubſidentiam hujuſmodi & in vere coctis urinis vidit. His itaque non obſtantibus, perpetuo bonæ erunt urinæ coctæ in febribus, omneſque excretiones, cum urinis coctis, erunt optimæ. Galen. *in lib.* 4. *Aph.* 37. optimarum excretionum coctionem inter præcipuas notas recenſuit, veluti etiam bonam ægri tolerantiam. Quod ex Hipp. 2. *Aph. lib.* 1. accepit, in quo ſcriptum eſt: *In perturbationibus alvi & vomitibus, quæ ſponte fiunt, ſi qualiter oportet purgentur, confert, & facile ferunt.*

Cum ſignis coctionis.

In urinis.

Quæque conferunt ægrotis.

Ex quo aphoriſmo tertiam notam bonæ excretionis addimus, quæ eſt, ut excretiones conferant ægrotis. Juxta illud medicum præceptum, quod eſt, *ſi ea, quæ juvare debent, juvant, bonum:* atque hæ ſunt bonarum, & ſalutarium excretionum præcipue notæ; addantur aliæ, quod in diebus decretoriis appareant, & loci rectitudinem ſervent; ita ut læſo hepate ſanguis e dextra nare, ac ex ſiniſtra, liene; demum quod nullum ſignum pernicioſum ſimul illuxerit, una cum quibus eſſe non poſſet, ut dictum eſt, urinarum coctio vera: aliquando vero in pernicioſis morbis, ut nuper dictum eſt, urinæ, etſi appareant ſanorum ſimiles, concoctæ non ſunt. Sed de his

inferius

inferius nos accurate. Atque de criticis boniſque excretionibus ſatis: nunc ad malas, quas *ſymptomaticas* Medici (quod ſymptomatis ratione fieri dicantur) appellant. Atque hæ ſunt, quæ, ut ſummi Medici voluerunt, quovis modo ante morbi coctionem apparent, utpote cum urinis cæteriſque aliis excrementis crudis. De his Gal. *in libro quarto Aphoriſ.* 22. ait: *Quamdiu enim a cauſis morbum facientibus natura gravatur, & humorum adeſt cruditas, tunc, ut aliquid recte evacuetur, eſt impoſſibile.* Pravarum enim excretionum cruditatem eſſe cauſam, Galenus etiam *in Epidem. Epiſt.* 2. *text.* 38. ita habet: *Omnium, quæ tunc inciderent, incommodorum erat caput, incoctio humorum, quod ſignum pravum natura ad aliquos eorum excernendos aggreſſa eſſet, nihil proficiebant, immo vero ab iis ſuperata, aut in profundum recurrere permiſit, aut propter paucitatem excretionum abſceſſum moliebatur*; & propterea Hippocr. *in primo Epidem. comm.* 2. *pagin.* 948. *text.* 36. ſcripſit: *Ante coctionem excretiones, vel nullam criſin, vel dolores, vel longitudinem, vel mortem, vel recidivas.* Et Galen. in comm. *in* 1. *Epidem. comm.* 2. *text.* 37. de his quoque ita ſcripſit: *Qui procedunt morbi a coctionis difficultate & copia crudorum humorum, nullum ab excretionibus conſequuntur emolumentum.* Dixit quidem multas & violentas confeſtim opprimere vires, verum tales nihil juvant. Quæ quum etiam duplices ſint, nihil proficient, quæ concoctionem non habent adjunctam; quandoquidem, etiamſi multæ ſint excretiones, nihil tamen conferunt, ſi abſque coctione eveniant. Hinc eſt, quod in principio morbi, quod tunc omnia cruda ſint (hoc enim primum morborum tempus cruditate ab aliis, quod quicquam cocti non oſtendatur, in eo interſtingui Galen. *in lib.* 1. *de Criſibus* teſtatum reliquit) aliquid bene evacuari impoſſibile eſſe, ſcripſit *Galen. in comm. Aphor.* 22. *&* 29. *lib.* 4. non minuſque tunc temporis quicquam excerni a natura, atque excretos humores eſſe ſymptomata diſpoſitionum præternaturalium in corporibus, nullamque propterea exinde bonam criſin poſſe ſperari, ibid. ſcripſit, atque *in* 1. *lib. de Criſib. cap.* 8. Hinc etiam *in lib. Epidem. lib.* 2. *pag.* 998. *Hippocr. & in eodem* 1. *de Criſib.* Galen. *Judicatoria non ſtatim, ideſt, in morborum principiis apparere.* Ex quibus certo certius apparet excretiones malas & pernicioſas eſſe, quæ cum ſignis cruditatis apparent. Haſque ſignificare futuram nullam vel criſin, vel dolores, vel labores, vel recidivas, vel longitudinem, vel mortem, ut dictum eſt Galen. affirmavit: quare malæ ſunt omnes excretiones, quæ ante coctionem apparent, idque, quod dictum eſt, præſagiunt: ſed intelligamus has ita ante coctionem conſpectas, ut nulla coctionis ſigna apparuerint, quæ in principio morbi apparent, quo tempore nulla coctionis ſigna cœperunt, quoniam eæ, quæ (ut ſequenti capite declarabimus) aliqua etſi obſcura coctione facta apparent, minus malæ ſunt, & quandoque imperfectas criſes ſignificant; peſſimæ ſunt, quæ nedum non juvant, ſed quinimmo lædunt. De quibus Galen. *in* 3. *Prorrhet. commen.* 35. *Et Hippocrates, lib.* 2. *Epidem. p.* 999. ait: *Quæcumque ex judicatoriis nihil juvant, ſunt judicatu difficilia: Quæ vero etiam in contrarium repunt, ſunt letalia.* De quibus Hipp. *in* 1. *Epidem.* 2. *p.* 945. *in medio. Sudores multi, his tantum aberat, ut*

Excretiones ſymptomaticæ, ſive malæ.

Quæ ante coctionem malæ.

Quid notant.

Peſſimæ quænam.

recrearent, ut etiam contra læderent, & poſtea *pag. 948. ſub fin. Sed & virulenta vomunt, & ex his quidem ſubito moriuntur*. Peſſimæ item ſunt, immodicæ & maximæ, itemque paucæ; quod de abſceſſibus Hippoc. *in eodem primo Epidem. comment. 2. pag. 946. text. 35.* expreſſit dicens: *His ſuccedebant abſceſſus aut majores, quam ut ferri poſſent, aut minores, quam ut prodeſſe quicquam, ſed ſtatim redierunt*. Atque hæc de malis excretionibus dicta ſint. Nunc reſtat ad certiorem de prædictione ab excretionibus habendam cognitionem, ut quamdam tractemus difficultatem, quæ eſt, an natura ante coctionem probas habere ſoleat excretiones.

CAP. III.

An ante concoctionem excretiones ſint bonæ atque utiles.

AT ſummi Medici fuere, qui plures vel etiam excretiones, ante coctionem, in morbis bonas elucere, ac non raro obſervari affirmarunt, quorum auctor fuit *Victor Trincavellius*, Medicus ſua tempeſtate admirandus qui in *Tractatu de peſtilenti febre*, atque *in* 1. *& libr. Epiſt.* voluit, dari excretiones ante coctionem, quæ nedum malæ ſint, ſed utiles, & propterea fovendæ, ac adjuvandæ. Pro qua re diſtinxit excretiones in criticas, ſymptomaticas, atque in medias, quæ mediam inter ſymptomaticas atque criticas naturam obtineant, atque hoc itidem modo diſtingui abſceſſus ſtatuit. Primam differentiam eſſe ait illarum excretionum, quæ natura, morbum evincente fiunt, quo tempore omnia, & evicta, & concocta ſunt, haſque omnino criticas appellat, & judicatorias, quod ægrotos perfecte judicent atque liberent. Cujuſmodi ſunt poſt manifeſtam coctionem ſudores optimi, ſanguinis eruptiones, alvi dejectiones, nec non in morbis thoracis etiam ſputa copioſa, & concocta. Alteram differentiam facit earum excretionum, quæ naturam morbo evincente apparent. Has plane ſymptomaticas vocat, quod ſymptomatis tantum ratione fiant. Cujuſmodi ſunt in acutis morbis ſudores frigidi circa frontem & collum, immoderatæ, vires diſſolventes, quæ plane crudo morbo obſervantur. Tertiam earum excretionum, quæ mediam obtinent naturam inter criticas & ſymptomaticas, quas potius bonas quam malas, potius utiles quam inutiles eſſe, affirmavit. Probavit vero dari has tres excretionum differentias puris exemplo in ulceribus, ex Galen. *in lib. de dif. feb. cap. 6. & 4. Aphoriſm.* Hic enim Galen. de ſymptomaticis excretionibus ita eſt locutus: *Malæ vacuationes ſunt pravarum ſigna diſpoſitionum, prodeuntque ſæpius eodem modo, quo in ulceribus putridis, a quibus ichores, hoc eſt liquores ſanioſi, deſinunt, nihilque diſpoſitioni conferentes, nonnumquam vero ita ſicut pus, ex abſceſſu diſrupto bene expurgans partem patientem*. Clarius *in primo illo de diff. feb.* dixit enim in ulceribus aliquando pus effluere, omnino probum, & laudabile, nempe album, ſanum, leve & æquale, citra ullum odorem gravem, quippe natura partis ulceratæ affectum evincente, quam excretionem criticis excretionibus quiſque facile poteſt comparare: nam quemadmodum excretio critica & proba ſanitatem ſtatim prænuntiat futuram, ita hujuſmodi pus ulcus ipſum ſana-

Excretionum differentiæ tres.

Quomodo dari probantur.

ſanatum iri. Aliquando vero pus ex ulceribus omnino putridum, fœtidum, & pravo colore infeſtum, naturali partis ulceratæ calore, ex toto ab extraneo exſtincto, ut in gangrenis, quod plane ſymptomaticam excretionem demonſtrare videtur. Demum aliquando manat pus medio modo ſe habens, non ex alterius abſoluta victoria, ſed ex utriuſque veluti pugna, & neutro alterum plane ſuperante, in quo pure apparent utriuſque indicia, nempe quæ & actionem nativi & externi caloris oſtendunt. Nam hujuſmodi pus, ſi album erit, non erit leve, & ſi leve, non æquale, male olens. Ex prænarratis excretionibus, eas, quæ plane ſymptomaticæ ſunt, perniciales eſſe; & prorſus criticas, plane laudabiles; medias vero laudabiles quidem, atque magis bonas, quam malas videri, proinde ab ipſis non raro Medicos ſalutem præſagire poſſe. Quod eæ mediæ excretiones bonæ ſint, atque etiam fovendæ & adjuvandæ, etſi ante coctionem fiant; quod erit demonſtrare, excretiones & abſceſſus ante coctionem, & in principiis morborum conſpectos, contra multorum præclarorum Medicorum opinionem, bonos eſſe atque utiles: quæ veritas hiſce argumentis nobis demonſtrari eſt viſa, quippe primo humoribus turgentibus, quos utiliter educi, vel etiam in principio morborum, quo tempore crudi ſunt, ex Hippocrat. conſtat, nimirum dicente in 1. Aphor. 22. *Concocta medicari atque movere, non cruda, neque in principiis, niſi materia turgeat, plurima vero non turgent.* Itaque ſi tales humores in principio crudi exſiſtentes poſſint educi, ergo etiam ipſorum ſpontaneæ excretiones erunt fovendæ adjuvandæque: idque forte fit, quod propter tenuitatem, caliditatem, atque facilitatem admotum, non incommode arte educi, & natura excerni queant. Secundo apparet in peſte, papulas, ulcera, abſceſſus omnes, parotides, exanthemata, variolas, vel etiam ante coctionem erumpentes, magis utiles, quam inutiles ab omnibus Medicis fateri. Hinc omnes a repellentibus, & has prohibentibus excretiones, Medicos abſtinere, omniaque facere, ut leviter ipſorum motus foveatur, & adjuvetur, cucurbitulis, frictionibus calidis; inunctionibus, balneis, atque aliis multis. De quibus Galen. *in primo libr. de ſuccorum bonit. & vitio. capit.* 1. ita ſcripſit: *Atque hæc quidem facere ea, quæ per cutim efflorescentia placidiſſime vitioſum ſucum e viſceribus profundoque corporis evacuarent.* Quis in peſte, vel in peſtiferis febribus umquam auſus fuit, parotides, tumores, in adenis obortos, carbunculos, repellere? quis exanthemata, quis variolas, quis etiam alvi bilioſas & putridas dejectiones, quis ſudores & eruptiones ſanguinis? Denuo demonſtrant naturam vel etiam crudos humores non raro neque inutiliter excernere, de qua re Galenus *in libro tertio, de diebus decretoriis, cap.* 8. ita habet: *Nam perturbationis violenta naturam ea, quæ moleſtant, etiam ante tempus, propulſare compellit, quippe virtus ipſa eſt alienorum expultrix.* Atque clarius in lib. 3. de præſag. ex pulſibus *cap.* 12. *Semper porro omnis excretio naturæ lege perfecta ſequitur coctionem, etenim in ventre conſpicitur natura excrementum a concoctione excernere. Cæteras omnes excretiones, quæ, antequam cibus coctus fuerit, fiunt, nunc quod vellicetur*

Excretiones mediæ licet ante coctionem fiant, bonæ.

cetur ab illis, quæ continet, nunc quia depravetur ante tempus coctionis, cogitur moliri: haud aliter totius corporis facultas, posteaquam satis familiarem succum concoxerit singularium partium, tum demum excrementum excernitur, nisi quid eam, ut diximus, irritet ante tempus. Ex quibus liquido constat naturam excernere ante tempus, neque omnes excretiones & abscessus ante coctionem conspectos esse symptomaticos, sed quosdam a natura esse, neque inutiles. Quarto, excretiones humorum calidorum tenuiorumque esse faciendas, quod hi, ni turgeant admodum, facilitate, & calore futuri turgentes dici queant. Ex quo merito a Galeno scriptum est *in lib. 3. Prognost. comm.* 23. humores corporis calidiores, tenuioresque paratissimos esse ad excretionem Hinc Averrhoi ac multi, hos, ut purgentur, coctione non egere, visum est, quod facilius ad excretionem sint: & postea ait Galen. *abscessibus retrocedentibus motionem quamdam inesse necessario, quo nobis persuadetur humores ipsorum proxime ad turgentium naturam accedere.* Demum probant hujusmodi excretiones esse utiles & adjuvandas, etiamsi omnia cruda sint, *Sileni* (*Vide ejus historiam lib. 1. Epidem. Ægrot. 2. pag. 969.*) exemplo de quo Galen. ait: *Quum igitur virium robore septimum diem*, ut dixi, *potuerit superare, octavo papulas cum sudore habuit rubentes, rotundas, parvas, nam ejus morbo repugnante & humorum superfluitatem malorum ad cutem propellente, illud fuit causa, cur die nono non sit mortuus, sed undecimo.* Ex quo colligunt papularum eam excretionem fuisse utilem, etiam morbo plane crudo; atque ita de aliis dicendum. Quam veritatem multorum ægrotantium historiæ, in *Epidemiis* nobis ab *Hippocr.* memoriæ traditæ, confirmabunt, & præsertim *Herophontis lib. 1. Epidem. Ægrot. 3. pag. 974. Metonis ibidem Ægr. 7. pag. 983. Sileni ibidem, Ægr. 2. pag. 969. uxoris Epicratis ibidem Ægr. 5. pagin. 979. Clazomenii ibidem, Ægrot. 10. pag. 985. Melidiæ ibidem, Ægr. 14. pag. 991. Charionis lib. 3. Epidem. Ægrot. pagin. 1072.* atque aliorum multorum. De *Herophonte* scribit Hippocrates, Quinta die cum urinis nigris tenuibus lienem intumuisse, & octava doluisse inguen primum, secundum lienis rectitudinem, deinde dolores in tibiam utramque transiisse, urinasque tunc melioris fuisse coloris, parvam habuisse subsidentiam. Ex quibus adhuc paullulum crudum esse morbum conjiciebatur, proinde neque lienis tibiarumque abscessus, neque sudor, nona die secutus, inter symptomaticos erat ponendus, quum ab ipsis judicatus sit, licet non integre. Quid de *Metone*? an non eruptione sanguinis e naribus judicatus est, cum urinis nigris & crudis? an non Hippocr. eo tempore, quo crudus erat morbus, lotione capitis est usus, ad augendam & fovendam sanguinis illam symptomaticam eruptionem? Quod commendavit Gal. etiam *in 1. Epidem. text. 3. comm.* 25. dicens: *Hujus te præsentissimum remedium docuit, capitis lotionem: dixit enim in* libro de ratione victus in morbis acutis *pag. 395. lin. 44. & seq. caput non lavandum esse iis, quibus de naribus erumpit sanguis, nisi minus justo fluat; nunc vero erat justo minus, siquidem perpetuabat vigilias & deliria.* Eodem itidem modo *Uxor Epicratis* sudores habuit, vomitusque bilioſos subcrebros, quibus etiam, cru-

do

do adhuc morbo exsistente, fuit judicata. Idem *Clazomenio*, de quo Hippocr. *Dejectiones ab initio ad diem usque decimum quartum multæ tenues aquei coloris, urinæ perpetuo tenues, ceterum boni coloris, & multum habebant suspensionum diversarum*, Idem quoque in *Melidia*, quæ die septimo critice sudavit, & febris intermisit, & rursus dejectiones habuit tenues, biliosas, mordaces, paucas, nigras, licet urinæ tenues & crudæ essent. Hoc & in *Charione* est visum, quum urinis tenuibus, licet boni coloris, die secunda sudaverit per totum corpus, & fuerit judicatus. Hoc idem in longe pluribus fuit observatum, quippe ante coctionem excretiones multas conspectas fuisse judicatorias atque bonas. Quid igitur dicendum? an non Hippocrates artis medicæ dogmata verissima ac certissima scripsit? an non hæc ipsa Galen. plane confirmavit? Certe quidem; neque ad contrarium demonstrandum rationes adductæ, & veritatem hanc obscurare poterunt, si, ut Alexander Massaria, Medicus hujus ætatis eximius, nobis hac ætate in hoc gymnasio concessus, ut Hippocr. Galenique veterem medendi artem, a multis Medicis, variis temporibus, obscuratam, ac maxime vitiatam, pristino candori restituat, ac illustret; quem Medici ingenui ac innocentes, veteris Medicinæ studiosi, summis laudibus merito perpetuo extollunt, ipsiusque de hac ipsa medendi arte clara, posteris ab ipso relicta, monumenta maxime suspiciunt, admirantur, non indigna, ut antiquorum Medicorum illorum, qui olim supra omnes claruerunt, scriptis comparentur; in disputatione *de purgatione, morborum principio instituenda*, respondebimus: *Tametsi excretiones sine coctione, vel sua sponte, vel ex arte factæ, videantur nonnumquam utiles esse, illas tamen non esse dignas imitatione, quum maxima ex parte noxiæ & periculosæ esse soleant. Nam etsi quis contendat, ægros interdum istiusmodi importunis vacuationibus liberari, non propterea statuendum eas commodas fuisse, & quas Medicus debet imitari: licet enim mortem non afferant, alia incommoda invehunt, quæ profecto non inveherent, si cum signis bonæ concoctionis factæ fuissent. Hujusmodi autem incommoda præclare describuntur ab* Hippocrat. *lib.* 1. *Epidem. comm.* 2. *pag.* 948. *quippe* excretiones ante coctionem vel nullam afferunt crisin, vel malam, vel dolores & labores (*quorum nomine mala omnia symptomata comprehendi possunt*) aut morbi diuturnitatem, aut mortem, aut recidivas. *Istud facile demonstrant ægri, quorum superius facta est mentio: in* Metone *lib.* 1. *Epidem. Ægrot.* 7. *p.* 983. *Crisis intempestiva, etiamsi non fuerit perniciosa, gravia tamen symptomata intulit, vigilias ac delirium, intulisset que adhuc recidivam, testimonio Hippoc. & Gal. nisi crebro sanguis post judicium profluxisset.* Herophon. *lib.* 1. *Epidem. Ægrot.* 3. *pag.* 974. *in tot periculosa incurrit symptomata, ut* Galen. *scribat præter exspectationem eum superstitem fuisse, præterquam quod die quarta decima recidivam non potuit evitare. Qui in* Dealcis horto decumbebat *lib.* 3. *epidem. Ægrot.* 3. *pag.* 1066. *omnia subiit incommoda & pericula præter interitum, ex quo etiam evasit, teste* Galeno, *propterea quia maximas habuit vires, quæ tot & tanta mala sustinere potuerunt.* Hactenus *Massaria*. Hac hora ejus mors audita est magno cum omnium medici-

Excretiones sine coctione factæ non imitandæ.

næ ſtudioſorum dolore. Hæc omnia hic recitare placuit; quod hæc omnia noſtram de hac difficultate ſententiam maxime confirmant. Quibus addimus, ut ad objecta reſpondeamus, nos quidem fateri turgentium humorum excretiones, vel etiam in principio morborum utiles, fovendas atque adjuvandas eſſe. Proinde & exanthematum, puſtularum, abſceſſuumque omnium ad ignobiles partes talium humorum, quales ſunt calidiſſimi, tenuiſſimi, ſumme putridi & venenoſi, ad turgentium naturam accedentium, vacuationes eſſe potius fovendas, & adjuvandas, quam cohibendas; nihilominus bonas quidem per ſe non dicemus, crudo prorſus morbo exiſtente, quum plures his conſpectis interiiſſe, & Hippocr. *in Epidemiis* & Gal. itidem *in commentariis* & præſertim *in libro de ſuccorum bonitate & vitio, cap.* 1. nobis affirmarint. Quis enim parotidibus, quis carbunculis, quis exanthematis, atque aliis abſceſſibus, tametſi bonum ſit, humorem illum malignum foras effluere, fidere poterit? Quum & cauſas & morbos perniciales denotent, quibus plures pereunt, & nonniſi robuſtiſſimi ſervari ſolent:

Excretiones turgentium humorũ fovendæ.

De eruptione vero ſanguinis non negandum, vel etiam multis has profuiſſe ægrotis, ut Hippocrat. *in* 1. *Epidemiorum, comm.* 2. *pag.* 9 1. ſe vidiſſe hiſce verbis expreſſit: *Febribus autem ardentibus hæc accidebant, quibus rite, & largiter ſanguis per nares erupit, eadem cauſa maxime ſervabantur. Nec ullum novi, ſi recte ei erupiſſet ſanguis in hoc ſtatu, mortuum. Nam Philiſcus quidem Epamenon & Silenus, quibus parum quarto die & quinto e naribus ſtillavit, mortem obierunt.* Hoc in *Cleonactide, lib.* 1. *epidem. Ægrot.* 6. *pag.* 982. *Metone, ibidem, Ægr.* 7. *pag.* 983. *in eo qui in Dealcis horto decumbebat, lib.* 3. *epidem. Ægr.* 3. *pag.* 1066. *Pericle, ibidem, Ægr.* 6. *pag.* 1102. *Abderæ virgine, ibid. Ægot.* 7. *pag.* 1103. *& Lariſſæ virgine, ibid. Ægr.* 12. *pag.* 1110. atque in aliis *Hippoc.* obſervavit Galen. de *Metone* ait: *Largæ de naribus eruptiones ſanguinis liberant fere, ſane enim a ſola videtur ſanguinis eruptione & judicatus & ſervatus, quamvis non omnino tuta ſigna haberet.* Ex quibus apparet, excretiones ſanguinis majori ex parte ſalubres eſſe, vel etiam ſi in principio morborum apparuerint; neque mirum, quum vel etiam in principiis, non exſpectata coctione, multitudinem minuant, plurimum venoſum genus refrigerent, caloremque tranſpirare faciant, putredinibus, ne fiant, occurrant, qua ratione Medici omnes in magnis morbis ſtatim ſecta vena ſanguinem copioſius mittunt. Hæc etſi vera ſint, nihilominus ſi eæ excretiones, ſeu eruptiones morbo concocto fiant, fidelius ſalutem prænuntiant; infidelius vero, quæ cum cruditatis ſignis conſpiciuntur, quod etiam Galen. *in primo libro de Criſibus* viſus eſt voluiſſe, quum ibi, ſi vel etiam ſanguis e naribus profluit, crudo morbo, non judicare affirmarit, & Hipp. *in quarto, de victus rat. in acutis, pag.* 396. *lin.* 21. *& ſeq.* dixerit: *ſi e naribus fluxerit ſanguis cum urinis albis, craſſiſque & levibus ſubſidentiis, ſolvi ægritudinem:* & Galen. *in primo de Criſibus cap.* 8. ita habet: *Sanguinis autem profluvia, & ſudores, & tumores, qui juxta aures fiunt, & reliqui decubitus, ſi in tempore quidem fiant, opportune prodeſſe poſſunt; intempe-*

Excretiones quando fidelius ſalutem præſagiunt.

tempeſtiva autem nihil juvant. Hippocr. ſcribit: *in 3. Epidem. Ægr.* 12. *p.* 1080. *cap.* 7. *Mulierem, in mendacium foro decumbentem*, habuiſſe de naribus ſanguinis eruptionem, quæ tamen poſtea interiit. Quod *Lariſſæ Hypoſtent* eveniſſe etiam Hippocr. *in lib.* 5. *Epidem. text.* 14. *p.* 1145. tradidit. Quod certe ego in multis vidi, ſed proxima æſtate in quadam juvene, quæ, quum ex abortu febre ardenti duobus menſibus laboraſſet, eoque tempore habuerit crebras, largas, de naribus eruptiones ſanguinis, ipſiſque aliquantiſper videretur juvari, tamen, quod perpetuo urinas, alvique dejectiones crudas habuerit, ideo labores, dolores, longitudinemque paſsa eſt, ac denique mortem obiit. Non tacebo me *Venetiis* quemdam *Bononienſem* vidiſſe ardente febre conflictatum, in quo a prima die uſque ad decimum quartum, qua die perfecte eſt judicatus, ſanguis e naribus, die nocteque, una cum copioſo & aſſiduo profluvio ventris bilioſo virulento, effluxit, qui tamen, etſi dolores, deliria, vigilias & fere mortem ſuſtulerit, quia maximas vires habuerit, præter exſpectationem ſervatus eſt. Quibus tamen ſymptomaticis excretionibus non eſt fidendum. Sed quid ad excretiones, quæ abſque ſignis coctionis in *Epicratis uxore*, *Clazomenio*, *Melidia*, *Chærione* & in eo, *qui in Dealcis horto decumbebat*, & in aliis ſervatis, apparuerunt? Dixerim eas excretiones non fuiſſe ex iis, quas Galen. cum Hippocr. ſymptomaticas vocat, ſed potius criticas; quum non abſque aliqua coctione, tametſi non perfecta, illuxerint. Intelligimus ex Galeno, Hippocrateque, ſymptomaticas eſſe, quæ, nullis coctionis ſignis viſis, ſed omnino crudo morbo exiſtente, apparent: propterea dixiſſe has morborum in principio eſſe malas, neque in principio poſſe quicquam bene evacuari, ut Galen. docuit *libro* 4. *Aph.* 22. hiſce verbis: *Quare quum morbi in initio ſint ſemper indicia cruditatis, omnino ut tum mala non ſit hujuſmodi humorum vacuatio, fieri prorſus non poteſt*. Et Hippocrates *in ſecundo Epidem. ſect.* 1. *pag.* 998. dixit: *Judicatoria ſigna non ſtatim apparere*. In principio vero morborum omnia eſſe cruda, vel ex eo cognoſcimus, quod Galen. *primo de Criſibus* principium fecerit primum morborum tempus, in quo morbus omnino crudus exiſtit, habereque terminum ad principium coctionis, quæ ubi incipit apparere, augmentum dicitur, eaque perfecta & abſoluta, ſtatus, quibus duobus temporibus fieri criſes omnes Medici noverunt. Quare prædictorum ægrotorum excretiones non fuere ex Hippocratis Galenique ſententia ſymptomaticæ, ſed criticæ, quum coctionis quædam rudimenta adfuerint. Namque in *Herophonte* die octava urinæ fuerunt melioris coloris, & reſidebant in iis pauca, a quibus die nono ſudore fuit judicatus; quod vero urinæ non omnino eſſent concoctæ, ideo recidivam illa excretio minabatur, quando bonarum criſium, ut poſtea dicemus, duplex ſit differentia; quædam enim perfectæ ſunt, quibus omnino ægri judicantur, & quædam imperfectæ; hæ aliquo ſigno coctionis conſpecto, ideſt in augmento, fiunt, illæ omnino coctione perfecta, in ſtatu. In *Epicratis uxore* die undecimo urinæ coloratiores cum multo ſedimento fuerunt: & de *Metone* Hippocrat. *die quinto e dextra nare affatim profluxit ſanguis merus, ſudavit, judicatus eſt; a judicio, urinæ tenues*

ſubnigræ

ſubnigræ meliores erant, quum antea nigræ eſsent cum nigro ſedimento, quæ ſolent eſſe omnino letales. In *Clazomenio* item *urinæ perpetuo*, ut ſcripſit Hippocr. *tenues fuerunt, ſed boni tamen coloris & multum habebant ſuſpenſionem diſperſarum*. Atque itidem in *Melidia* & *Charione* tenues, & boni coloris, quas ex colore aliquam coctionem habuiſſe, notavit Galen. Ex hiſque eſto nobis demonſtratum, poſſe quidem naturam excernere humores, vel etiam crudos, ſed hæ excretiones raro bonæ, numquamque per ſe, quæ aliquando ſalutem quum exitiales plerumque ſint, nonniſi magnis incommodis, pollicentur; numquamque ita bonas eſſe, ut illis nos fidere debeamus. Quibus una ſi ſignum aliquod illuxerit pernicioſum, omnino exitiales erunt. Itaque colligamus naturam ante coctionem ſanguinem ſæpius critice, ideſt, utiliter excernere, ſed neque huic excretioni perpetuo eſse fidendum: atque hæc obiter a nobis de hac difficultate dicta ſint. Nolui enim ita ſicco, ut ajunt, pede lectores ad prædictionem ex particularium humorum ſingulis excretionibus, de quibus nos poſtea accuratius, his non præmiſſis ac cognitis, deſcendere.

CAP. IV.

De diebus decretoriis ad prædictionem facientibus.

QUum ad ſingulas humorum excretiones pro ſalutis ac mortis prædictione deſcendere minime poſſimus, ni prius & de *diebus decretoriis*, & *judicatoriis* vocatis, atque *de criſibus*, non minus accurate ſcripſerimus; horum etenim cognitio videtur neceſsaria ad rectam omnium excretionum rationem ad prognoſin aſsequendam: idcirco in primis de iis ſermonem præmittemus. Dicimus itaque, diebus, in quibus morbi finiuntur, has ineſse differentias; nam quidam ſunt, in quibus obſervatum eſt, morbos aut ſimpliciter reſolvi, aut cum aliqua excretione, aut cum abſceſsu, aut ægros in iiſdem quovis modo interire. De quibus Hippocr. *in 3. libr. Prognoſt. pagin. 43. in fine, & 44. initio*, ait: *Febres autem judicantur iiſdem numero diebus, & ex quibus ſuperſunt homines, & ex quibus intereunt, ſimpliciſſimæ enim febres, ac ſignis firmatæ ſecuriſſimis, quarto die, aut citius deſinunt. Deterrimæ vero, ac ſignis affligentes difficillimis, quarto die aut citius interimunt.* Ex quibus Galen. in *Comm.* ait: *dies decretorios* nominari, in quibus morborum fiunt mutationes, aut quod in ipſis ægroti ſtatim liberantur, aut quod in melius mutantur, aut quod moriantur, aut quod in deterius labuntur. Hæ vero mutationes, (quas *judicationes* etiam vocant) fiunt cum quadam evidenti vacuatione, excretioneve, aut abſceſsu. Itaque ex iis dicimus, dies, quos decretorios, judicatorios, atque criticos Medici vocant, illos eſse, in quibus naturæ pugna cum morbo, vel alterius ipſorum victoria apparet; aut in quibus morbos ſolutos iri, quoviſmodo nobis indicatur; aut in quibus

Dies decretorii quinam dicuntur.

ægri.

ægri moriuntur. Pro decretoriis vero complures ac fere innumeri paſſim apud Hipp. in libris *Epidemiorum*, *Prognoſticorum*, & *Aphorismorum* leguntur ac obſervantur; ex quo multis viſum eſt, quod in omni die poſſit ſolvi morbus, omnesque fere dies poſſe decretorios dici Hippoc. *in* 1. *Epidemiorum*, *com.* 4. *pag.* 956. *text.* 14. hoc expreſſit: *Eſt autem primus decretorius circuituum, qui diebus paribus judicant, quartus, ſextus, octavus, decimus, decimus quartus, vigeſimus octavus, trigeſimus, quadrageſimus octavus, ſexageſimus, octuageſimus, centeſimus. Et circuituum, qui judicant imparibus diebus, eſt primus, tertius, quintus, ſeptimus, nonus, undecimus, decimus ſeptimus, vigeſimus primus, vigeſimus ſeptimus, trigeſimus primus.* Et *in libro quarto Aphoriſm.* 36. eoſdem expreſſit dicens: *Sudores febricitanti ſi inceperint boni, & tertio die, & quinto, & ſeptimo, & nono, & undecimo, & decimoquarto, & decimoſeptimo, & vigeſimo primo, & vigeſimo ſeptimo, & trigeſimo quarto; qui vero non ita fiunt, laborem ſignificant, & morbi longitudinem & recidivam.* Non deſunt, qui omnes ad vigeſimum uſque decretorios fecerint. *Diocles*, ut Gal. *in* 1. *lib. de diebus decret. cap.* 9. ſcribit, primum & ſecundum diem non raro decernere affirmavit, forte, quod primo die febres varie reſolvantur, atque etiam quod ex Galeno *in lib.* 1. *de Criſib. cap.* 17. aliquis morbus ad ſtatum pervenire etiam prima die poſſit; non raroque contingit, ut una die moriantur homines, uti ſunt Apoplectici, & qui repente ſuffocantur: ſed tamen raro criſes atque judicia prima & ſecunda die fieri poſſunt, quando humores longiori ſpatio ad maturitatem perveniunt. Tamen non negandum erit, non raro ſpectari excretiones prima & ſecunda die, ſed hæ omnes pravæ exiſtunt, ut ſuperiori capite ſatis eſt demonſtratum. De tertio vero, quarto, & quinto nulli dubitant, hoſque dies eſſe, in quibus non raro judicia animadvertantur. Sextum quoque eſſe decretorium, *Gal. in* 3. *de dieb. decret.* conceſſit, ſed plerumque in ipſo difficile ac incertum fieri judicium. In quo die *Lariſſam virginem* fuiſſe integre judicatam Hipp. *Epid.* 1. *Ægr.* 12. *pag.* 1110. *text.* 4. ita tradidit: *Sexto ex naribus largiter multum fluxit, inhorruit, ac mox ſudavit toto corpore multum & calidum, ſine febre, eſt judicata.* Septimum non ſolum eſſe decretorium, ſed omnium validiſſimum eſſe, omnes fatentur. Octavum ex paribus decretoriis feciſſe Hipp. nuper vidimus. *Et in lib.* 4. *Epidem. pag.* 1121. *in fine text.* 3. plures ægrotos ea die judicatos meminit. De nono ab aliquo non dubitatur. Decimum quoque judicatorium feciſſe aliquando viſum eſt Hipp. *lib.* 3. *Epidem. pag.* 1059. *Ægr.* 1. *in hiſtoria Pythionis.* quum dixerit: *Decimo ſudavit, ſputa ſubcocta, judicatus eſt*; & in 6. *Epidem. ſect.* 3. *text.* 5. *pag.* 1174. *mutierem*, quam in *Cranone* curavit, decima die ſudores, ut Galeno placuit, bonos habuiſſe, ſcriptum reliquerit. Gal. *in Comment. Hiſtoriæ Pythionis* non plane e numero decretoriorum dierum detrahendum decimum diem affirmavit: idem de duodecimo & tertio decimo dicunt, quum tamen raro aut numquam, & neque recte hi dies judicent. Decimum quartum poſt ſeptimum præcipuum obtinere locum Gal. docuit. De decimo quinto, & decimo octavo, qui inter decretorios vere recenſeri non debent, dicunt, quod in ipſis & in ſingulis aliis aliquando morbi reſolvuntur.

Cete-

Cæterum etſi aliquando in iis omnibus morbus aliquis poſſit judicari, tamen non hos omnes judicatorios merito Gal. & alii Medicinæ Auctores fecerunt, ſed eos tantum, in quibus frequentes & multæ judicationes morborumque mutationes ſpectantur. At ut vere judicatorii cognoſcantur, Hippocratis regulæ erunt obſervandæ. Quando non omnes dies, ſed eos tantum, qui quaternis ſeptenisque circuitibus dierum fiunt, eſſe decretorios Gal. *in primo Epidemiorum*, hiſce verbis expreſſit: *Oſtendimus vero in lucubratione de diebus decretoriis, omnium eſſe decretoriorum validiſſimos, qui quaterno, vel ſepteno circuitu fiunt*. Sed de horum cognoſcendorum regula Hippocratem nunc audiamus, qui *in libr. 3. Prognoſticorum pag. 44. lin. 2.* ita habet: *Itaque primus impetus hunc in modum finitur, ſecundus vero ad ſeptimum producitur, tertius ad undecimum, quartus ad decimum quartum, quintus ad decimum ſeptimum, ſextus ad vigeſimum. Hi ergo ex morbis acutiſſimis per quatuor ad viginti ex additione terminantur*. Et *in ſecundo libro Aphoriſmorum 24. Septenorum quartus eſt index, alterius ſeptimanæ octavus principium. Eſt autem & undecimus contemplabilis, ipſe enim quartus eſt ſecundæ ſeptimanæ. Rurſus vero & decimus ſeptimus contemplabilis, ipſe ſiquidem quartus eſt a decimo quarto, ſeptimus vero ab undecimo*. Ex quibus ſupra viginti ſi addamus quatuor, vigeſimum quartum decretorium faciemus, & ab ipſo addentes ſecundum quaternarium, cujus principium eſt vigeſimus quartus, faciemus vigeſimum ſeptimum, & hoc ordine, trigeſimum primum, trigeſimum quartum, trigeſimum ſeptimum, quadrageſimum, quadrageſimum quartum, quadrageſimum ſeptimum, quinquageſimum primum, quinquageſimum quartum, quinquageſimum ſeptimum, ſexageſimum, ſexageſimum quartum, ſexageſimum ſeptimum, ſeptuageſimum primum, ſeptuageſimum quartum, ſeptuageſimum ſeptimum, octuageſimum, octuageſimum quartum, octuageſimum ſeptimum, nonageſimum primum, nonageſimum quartum, nonageſimum ſeptimum atque centeſimum. Quare tot erunt dies decretorii vocati, in quibus ſæpiſſime morborum fiunt mutationes & judicia, & ſolutiones; addunt quoque Hippocr. & Galen. tertium, quintum & nonum, ut ex *libro quarto Aphoriſmorum, Aphoriſm. 36.* apparet. Non minus & ſextum. Hippoc. vero hos omnes diviſit in *decretorios* atque in *indicatorios*. Hos eſſe quartum ſeptimi, undecimum decimi quarti, & decimum ſeptimum vigeſimi, & vigeſimum quartum vigeſimi ſeptimi, & trigeſimum primum trigeſimi quarti, & trigeſimum ſeptimum quadrageſimi, & ſic de aliis omnibus, primus quaternarius indicat, quod in altero eſt futurum, & tertius quod in quarto, & quintus quod in ſexto & ita de aliis. Et hoc eſt, quod Hippocr. in Aphoriſmis *ſect. 2. 24. Septenorum quartus eſt index*.

De quo Htppocr. *in 4. Aphoriſm. 71.* ita habet: *Quibus ſeptima judicatur, his nubeculam habet quarta die urina rubram, & alia ex ratione*, & Gal. *in comment.* ait: *Nam quum quarta dies ſit index, quemadmodum ipſe edocuit, & qualis ſit futura ſeptima præmonſtret, omne quod ipſa dignum effatu ſignum coctionis apparuerit, futuram ſeptima die*

judi-

judicationem oſtendit, adeo quod non ſolum rubra aliqua nubes in urina apparens, antea non viſa, judicationem ſignificat; ſed & alba multo plus ipſa, adhuc autem magis enæorema, (latine craſſamentum quoddam ſuſpenſum, & velut conglobata nubecula, media in urina penſilis, dici poteſt) æquale atque conſiſtens, ſibique ipſi cohærens, criſin fore prænuntiant. Si vero velociter admodum morbus moveatur, & mutatio coloris & conſiſtentiæ, ſunt ſufficientia ſigna futuræ judicationis, tenuis itaque urina, ſi mediocriter craſſa efficiatur, & ſi alba rubra fiat, in tali morbo judicationem ſignificat. Ex quibus apparet, quod coctionis ſignis non tantum in urinis, ſed in aliis quoque excrementis, quarto die, vel aliquo alio die, contemplabili, vel indice apparentibus, ſeptimo futura bona judicatio nobis indicabitur; & ſic mala, eodem die cruditatis & malignitatis ſignis conſpectis. Quam rem maxime a Galeno in *Commento* illuſtratam habemus. *Cherion* (*Ejus vide hiſtoriam lib. 3. Epidem. Ægr. 5. pag. 1072.*) vigeſimo judicatus, decimoſeptimo, qui eſt vigeſimi index, habuit urinas melioris coloris cum ſubſidentia. Quare contemplabiles indiceſque dies ideo ſunt appellati, quod perpetuo indicent judicationes in altero quaternario futuras; & decretorii, quod ipſi judicent: ſed aliquando confunditur hic ordo, ut quandoque indices fiant decretorii, & decretorii indices. Quare tot ſunt dies vere decretorii & indices, quot in febribus continuis ad prædictionem conſiderantur, & ipſorum loco eſt circuitus acceſſionum numerus in febribus intermittentibus: nam, ut Hippocr. *Apho. Sect. 4. 59.* habet *tertiana febris ſeptenis circuitibus terminatur*; atque quarta acceſſio erit index ſeptimæ, ex ipſa poterimus ferre judicium de ſeptimæ exitu. De qua re Galen. *in lib. 3. Prognoſt.* ita ſcripſit: Ut enim per febres continuas numeramus omnes deinceps dies in præſenſionem futuræ indicationis; ita per intermittentes annotationes, ut, quod per continuas ſeptimus dies valet, id per intermittentes ſeptima circuitio præſtat: ob id igitur exquiſita tertiana ſeptem circuitibus, non diebus ſeptem; judicari natura ſolet; quinetiam, quod quartus dies a principio numeranti adverſus ſeptimum eſt, id quarta circuitio adverſus ſeptimam circuitionem. Quartus enim dies ſeptimi index eſt, & item quarta circuitio ſeptimæ index. Itaque in intermittentibus febribus acceſſiones, atque in continuis, dies obſervamus, qui, ut dixi, ſunt partim *judicatorii*, quod in ipſis fiant in morbis mutationes & judicationes, partim *indicatorii*, quod indicent, in altero quaternario mutationes & judicia. Adduntur alii, qui vocantur *intercalares* atque *intercidentes*, cujuſmodi ſunt, tertius, quintus, ſextus, nonus, vigeſimus primus, in quibus quandoque fiunt judicationes, ſed tamen raro, & quæ neque bonæ, neque certæ ſunt; quia nimirum fiant a natura morbo irritata ac provocata, ex quo aliquibus etiam *provocatorii* fuere nominati. Ceteri alii omnes dicuntur *non decretorii*, uti eſt primus, octavus, decimus, duodecimus, tertiodecimus, decimus quintus, & decimus ſextus, decimus octavus, & decimus nonus, atque alii item plures omnes, quippe qui ultra decretorios, indices, atque intercidentes ſunt; atque tot ſunt dies decretorii & ipſorum præcipuæ differentiæ, de quibus qui plura deſiderant, legant libros Galen. *de Diebus Decretoriis*, & quorumdam

Dies Indices quare ita vocati.

Dies intercalares atque intercidentes quinam.

dam recentiorum Medicorum, qui de iis ſatis accurate ſcripſerunt. Nunc unum, priuſquam de prædictione ab ipſis diebus agamus, ſuperfluiſſe nobis attingendum, certe ſcimus, quod a multis ſane, quo ſcitu difficilius, eo avidius deſideratur, quippe de cauſis dierum criticorum, de quibus ſane quædam attingam, etſi meum non ſit de hac re accuratius agere. Jam ſciunt omnes, plures cauſas a viris eruditis afferri. Pythagoreorum plures ad vim numerorum retuliſſe dies decretorios dicitur, quod Deus naturaque certis numeris gaudeat: Aſtrologi ad varios aſpectus ſtellarum errantium & fixarum; alii ipſorum, ut Galen. ad lunæ aſpectus; alii ad ſolis lunæque ſpeciatim aſpectus, eo modo, quo quidam viri eruditiſſimi ſtuduerunt probare maris fluxum, & refluxum, augmentum & decretionem exinde concitari. *Amatus Luſitanus*, Medicus Hebræus, ad harmonicam conſonantiam: *Ludovicus Lemoſius*, qui de prædictione doctiſſime ſcripſit, naturam fecit criſium, criticorumque dierum, auctorem, præſertimque expultricem, humoris copiam, acceſſiones, morbos ipſos, atque ambientis naturam: *Hieronymus Fracaſtorius*, Philoſophus & Medicus præclarus, ad motum proprium humoris melancholici omnem dierum criticorum cauſam retulit: Nos vero non ad hujus ſolum humoris motum, ſed bilis atque pituitæ; ita ut ex propriis motibus humorum exuberantium mutationes judiciaque in quibuſdam terminatis diebus fiant. Humores enim bilioſos & acutos ſcimus nos alternis diebus moveri, quaternis craſſos melancholicos, atque uſtos, quotidie pituitoſos. Hinc Hippocr. *in 4. lib. Aphoriſm. 61.* ſcripſit: *Febricitanti, niſi diebus imparibus febris reliquerit, ſolet reverti*: quaſi febres, omniumque maxime ardentes, diebus imparibus, ex acutorum humorum, a quibus excitantur, natura, apta moveri de tertio in tertium, judicari optimum ſit. Quod Galen. in libello Dogmatum Hippocr. confirmat, dicens; *acutos morbos magna ex parte diebus imparibus judicari*. Qui etiam in 3. *Epidem.* ſcriptum reliquit; eaſdem febres ſolitas eſſe accedere diebus imparibus; proinde rariſſimum eſſe notat, quod Hippocr. *in illo Lib. 3. Epidem. pag. 1085.* dixerat, quippe pleroſque ægrotos in ea conſtitutione habuiſſe acceſſiones diebus paribus. Quod egregie Hippocr. *in 1. Epidem. ſect. 3, pag. 964.* ita expreſſit: *Quæ diebus paribus accedunt, paribus judicantur, quorum vero ſunt in imparibus acceſſiones, imparibus judicantur*. Ex quo Hippocr. dies criticos coincidere cum acceſſionum motibus affirmat. Quam rem Gal. *in comm.* perbelle notavit hiſce verbis: *Sæpius fieri in acceſſionibus judicia, tum quod in iis humores vehementer moveantur, & veluti ebullientes erumpant ſanguinis eruptione, vel ſudoribus, vel vomitibus, vel dejectionibus, vel hæmorrhoidibus, vel menſtruo in mulieribus; tum propterea, quod id temporis ad excernenda illa impellatur natura, ſimul quod gravata & afflicta ad excernendum irritetur, ſimul quod illis magis fuſis & diſcretio noxiorum humorum promtior & judicium fiat proclivius*. Quare ab una eademque cauſſa & acceſſiones & die judicatorios fieri, eſt neceſſarium. Hinc Hippocr. ex acceſſionum varietate, ideſt, ab ipſis paribus accedentibus pares dies criticos conſtituit, & impares ab acceſſionibus imparibus.

Dierum criticorũ cauſæ.

Quos

Quos ipſe *in* 1. *Epidem. comm.* 3. *pag.* 965. *text.* 14. ita expreſſit dicens: *Eſt autem primus decretorius circuituum, qui diebus paribus judicant, quartus, ſextus, octavus, decimus, decimus quartus, vigeſimus octavus, trigeſimus, quadrageſimus octavus, ſexageſimus, octuageſimus & centeſimus. Circuituum vero, qui judicant imparibus diebus, primus, tertius, quintus, ſeptimus, nonus, undecimus, decimus ſeptimus, vigeſimus primus, vigeſimus ſeptimus, trigeſimus primus.* Quoniam vero fit, quod raro exſuperant humores puri & ſimplices, ſed mixti, bilioſis fere perpetuo melancholicorum uſtorum portio aliqua permiſcetur, & non raro pituitoſorum; ideo non ſimplices bilioſorum, aut melancholicorum, aut pituitoſorum motus apparent: quare ab eadem cauſſa fient dies judicatorii, ex qua acceſſiones. Sed dicet lector, a quibusnam fiunt acceſſiones? a motu proprio humorum; & ſi rurſus proprii humorum motus a quo fiant, petierit, dicam nondum vere cognitum eſſe, neque ad nos pertinere quæſtionis iſtius reſolutionem. Humorum itaque motui addimus quoque naturam ac excretricem facultatem; hæc excernit, quod concoctrix debito tempore concoquit, proinde ſervat certos dies ad excretionem faciendam, qui ſunt, ut dictum eſt, dies vere decretorii, quos diviſimus in *decretorios*, *indices*, atque *intercidentes* ſeu *provocatorios*, in quibus & in aliis quoque, quos *non decretorios* vocavimus, aliquando natura ante tempus excernens, irritata aut provocata humorum aut qualitate acri venenoſa, aut copia humorum, mutationes morborum atque judicia facit. Atque hæc obiter a nobis de hac re dicta ſufficiant.

CAP. V.

De prædictione a diebus decretoriis.

EX diebus criticis ſeu decretoriis & ſalutem & mortem Medici prænoſcunt, quatenus in ipſis ſigna coctionis & alia bona apparent, ex quibus, quarta die obſervatis, aut criſin futuram ſeptima, aut morbi quovismodo ſolutionem merito omnes ſperant. In morbis ſpirituoſarum partium ſputa, in febribus urinas, atque in ventris affectibus dejectiones Medici debent obſervare. Quæ omnia in die aliquo decretorio, aut indice, bona conſpecta, ſanitatem futuram denotant; & quæ cruda, ut dictum eſt, longitudinem, laborem, dolorem, recidivam, aut demum mortem ipſam: una vero cum ſignis exitioſis crudæ urinæ in febribus, aut ſputa in morbis ſpirituoſis, & in ventris affectibus dejectiones, mortem proculdubio in proximo altero decretorio; quod *uxori Dromeadæ*, *lib.* 1. *Epidem. Ægrot.* 11. *pag.* 987. contigit, quum quarta die (quæ obiit ſexta) comatoſa, ſtillas ſangninis ex naribus habuerit, cum urinis paucis oleoſis, quæ ſunt pernicioſa ſigna in quarta die, quippe ſigna decretoria. Signa vero coctionis & bona, etſi conſpiciantur in intercidentibus diebus, quicquam certi ad prædictionem non ſignificant, ſed potius mala eſſe ſuſpicandum erit; tametſi non negandum quoque ſit, quoſdam ſervatos

Salus aut mors quomodo ex diebus decretoriis cognoſcitur.

ſexta

Judicationes bonæ vel malæ quibus diebus fiunt.

ſexta die, ſed rariſſime & non ſine recidivis. Obſervant quoque optimum eſſe, ſi imparibus diebus morbi acuti, febreſque præſertim ardentes, ſigna bona habuerint, certumque præſagium facere dicunt; incertum, non bonum, & cui non ſit fidendum, ſi paribus diebus, in prædictis acutis morbis, vel ſigna coctionis vel mutationes conſpiciantur, ex quo Hipp. ut dictum eſt *in* 4. *lib. Aphor.* 61. dixit: *Febricitanti, niſi in diebus imparibus febris reliquerit, ſolet reverti*: quod tamen falſum eſſe Galen. *in Comment.* clare demonſtravit, ac etiam Hipp. *in* 3. *Epidem. pagin.* 1085. confirmavit, quum dixerit: *Acceſſiones perique diebus paribus habebant.* Quod tamen rarum fieri, Galen. *in Comment.* docuit; quum proprium ſit omnium ardentium febrium & peracutorum morborum, imparibus diebus ut reſolvantur. Malaſque propterea, non fideles judicationes eſſe, quæ eveniant diebus paribus, Galen. *in* 3. *Epidem.* ita docuit: *Si acceſſiones diebus paribus fiunt, a principio ſtatim ad ſextum diem, peſſimum indicium fore prænuntiant. Interim in longum producendum morbum. At ſi quidem admodum moveantur, quarto die pravam habentem acceſſionem ad diem ſextum de vita decedere.* At hoc plerumque veritatem habet, quoniam non pauci fuerunt recte ſexta quoque die judicati, cujuſmodi fuit *virgo Lariſſæ*, de qua Hippocr. *lib.* 3. *Epidem. Ægr.* 12. *pag.* 1110. ita habet: *Sexto ex naribus largiter multum fluxit, inhorruit, ac mox ſudavit toto corpore multum & calidum, ſine febre, eſt judicata*, & Gal. *in* 6. *Epidem.* mulierem, quam Hippoc. (*Vide lib.* 6. *Epidem. Sect.* 3. *text.* 5. *pag.* 1174.) in *Cranone* curavit, decima die habuiſſe bonos ſudores ſtatuit. Colligimus itaque, quod morbi accedentes diebus imparibus, iiſdem judicari debebunt, & ubi paribus hi judicentur & reſolvantur, quicquam boni ac certi non habere. Contra quoque diebus imparibus longos, ut Galen. *in lib.* 3. *de dieb. Decret.* tradidit, morbos judicari, qui paribus moveri deberent, bonum non erit, imparibus ſcilicet moveri & judicari; judiciumque neque bonum majori ex parte fiet. Atque hæc ſunt de prædictione a diebus decretoriis, a quibus potius tempus futurorum judiciorum in morbis, & reſolutionum prænoſcitur, quam vere quicquam certi ad ſalutem haberi queat. Nam ſigna coctionis, etſi in diebus decretoriis bona eſſe conſtat, tamen eadem erunt, & idem ſignificabunt, in omnibus diebus conſpecta; etſi negandum tamen non ſit, ſalutis ſigna, in diebus decretoriis conſpecta, longe certius & fidelius ſalutem prædicere, & mortem cruditatis ſigna, eaque prava. Addamus regulam aliam ad prædictionem a decretoriis diebus, quam Hippoc. in *lib.* 3. *Prognoſt. pag.* 46. *lin.* 5. *& ſeq.* ita expreſſit: *Si quibus horum cœpit dolor primo die, quarto premuntur magis, ſeptimo vindicantur. Plerique eorum incipiunt dolore vexari tertio die, quinto conflictantur magis, deinde vindicantur nono aut undecimo. Quod ſi quinto die incipiunt dolore vexari, & alia quoque ſecundum rationem ipſis ex prioribus accedant, quartodecimo morbus finietur.* Sed his præmiſſis potius in gratiam criſium cognoſcendarum, ad ipſas modo declinemus.

CAP.

CAP. VI.

Quid Criſis ſit, quotuplexque, & quomodo fiat.

PRæmiſimus accuratam criticorum dierum tractationem, ut criſium quoque cognoſcendarum cognitio illuſtraretur; quum diverſarum criſium ratio poſſit commode in dierum criticorum cauſas referri, quod propterea tunc temporis ad excretionem natura moveatur, illiſque ſtatutis diebus humores noxios excernat. Sed hæc inferius accuratius cognoſcentur, ſi modo quædam, etiam ſcitu neceſſaria, præmiſerimus, nimirum in primis quid ipſa criſis dicatur quotque habeat differentias atque cauſas. Quod ad primum attinet, per criſin omnes fere intelligunt naturæ & morbi conflictum, ſeu melius judicium, unde dies critici, ideſt, judiciales, dicti ſunt a κρίνω, quod eſt judico, aut a κρίσι, ideſt judicio, quod in ipſis de naturæ morbique exitu fiat judicium. Neque hoc nomen a Medicis inventum putat Galen. at a quopiam vulgari potius, qui cum iſtis adeſſet, ipſa re cogente ita pronuntiavit, quod judicium tunc de vita ægrotantis ageretur: neque enim Medicorum aliquis, ut ait Galen. primus invenit id nomen, ſed omnino neceſſarium fuit, ut qui præſens eſſet, conturbaretur, atque ideo exclamaret, & criſin, ideſt, judicium rem ipſam nominaret, aut ἀπὸ τῦ κρίνειν, ideſt, ſecerno, quod in optima veraque criſi humores noxii ſecernantur, & poſtea excernantur, ut Galen. *in libr. 2. Aphoriſm.* docet. Per criſin vero plures plura intelligi voluerunt. Nam teſte Galen. *in primo libro de criſib. cap.* 1. *&* 2. quippe aut ſubitam in morbo mutationem, aut ad meliorem ſtatum inclinationem, ſive ſolam agitationem, quæ anteceſſit, vel omnem morbi ſolutionem, aut illam tantum, quæ bona ſit. Ceterum Galen. *in libro tertio de criſibus, cap.* 1. *&* 2. dixit: Criſin eſſe ſubitam præcipitemque in morbo mutationem, vel ad ſanitatem, vel ad exitium factam. Idem *in lib. 2. Aphoriſm.* 13. ita expreſſit: *Criſis, (ideſt judicatio) eſt ſubita in morbo, vel ad ſanitatem, vel ad mortem mutatio. Fit autem natura ſeparante a bonis mala, & ad excernendum præparante.* Hujuſcemodique permutationes, quando repente in morbo fiunt, Hippocrat. criſes, judicationes vocare ſolet, in quibus nonnumquam integra ſanitas reſtituitur, aut moritur æger; nonnumquam vero magna fit ad ſalutem, vel ad mortem permutatio, ut Galen. *in eodem libro Aphoriſm.* affirmavit. De qua etiam *in libr. 3. de Criſibus*, dixit: *Sola igitur ſubita ad ſanitatem converſio ſimpliciter criſis nominatur, & quidem omnino fit per manifeſtas quaſdam excretiones, aut effatu dignos abſceſſus. Quicumque enim aliter quieverint, malignius retrocedunt*: antecedit autem hujuſmodi excretiones & abſceſſus non mediocris perturbatio in corpore ægrotantis. Quare ex Galeno Criſis, uti dictum eſt, ſubita præcepſque in morbo mutatio eſt, vel ad ſanitatem, vel ad mortem. Hanc malam & iſtam bonam Criſin vocat Galenus *in libro tertio, de Criſibus*. Verum Galen. tametſi, ut dictum eſt, *in primo*

Criſis quid.

mo libro, de Criſibus capite primo, ſcripſerit ſubitam in morbo mutationem, inclinationem ad meliorem ſtatum, ſolam agitationem, quæ bona tantum eſt, criſin appellari poſſe, tamen *in lib. 3. de Criſibus cap. 1. & in 2. Aphoriſm.* apertius Criſin diſtinxit a morbi ſolutione, quæ fit aut morbo emarceſcente, aut ægroti viribus paullatim diſſolutis; mutationemque ſubitam in morbo, vel ad ſanitatem, vel ad mortem, Criſin eſſe voluit, proptereaque hujuſmodi permutationes, quando nimirum repente in morbo fiunt, & in quibus nonnumquam integra ſanitas reſtituitur, aut moritur æger, nonnumquam vero magna fit ad ſalutem, vel ad mortem permutatio, Criſes, ſeu judicationes Hippocratem vocaſſe, dixit. Quas Criſeos in morbis mutationes Hippocr. breviter ſane, ſed divine hiſce verbis *in primo Epidem. ſect. 3. pagin. 965.* eſt complexus: *Ad ſalutem aut mortem, vel inclinatio ad melius, aut ad pejus:* quod omnes in morbis, ut Galen. ait, mutationes ſint vel ſtatim ad ſalutem, ut optimæ criſes; aut ad mortem, ut peſſimæ; aut ad melius inclinare aut ad pejus; has imperfectas & malas criſes vocant, illas bonas & imperfectas. Sed Galen. *in lib. 3. de Criſibus cap. 1.* ſex ait eſſe omnes numero mutationes, quæ in morbis obſervantur; primas duas eſſe ad ſalutem atque interitum ſubitas mutationes, quas bonas & malas criſes vocat; duas alias, quæ paullatim, non confertim & ſubito fiunt, aut morbo quidem marceſcente, aut viribus ægroti diſſolutis; alias duas miſtas ex his atque ex primis, quippe ex iis mutationibus, quæ paullatim & confertim fiunt; quando nimirum ſubita quidem aliqua in morbo ad melius vel ad pejus mutatio facta fuerit, & deinceps uſque ad omnimodam ſolutionem, vel mortem reliquum totum emarcuerit: ita ut exempli gratia, ſi quis ſeptima die aut excretione, aut abſceſſu, aut decubitu fuerit non perfecte judicatus, poſtea nulla amplius facta mutatione, ſenſim ac ſenſim reliquum morbi conſumatur, aut ſenſim viribus diſſolutis ægri intereant. Addamus duas alias, non dixerim mutationes, ſed potius ſolutiones morborum ad ſanitatem, aut virium ad exitium. Atque tot ſunt in morbis mutationes, quas, etſi non proprie, dici criſes poſſe aſſerimus. Ceterum veræ criſes quatuor tantum ſunt, quippe ſubitæ mutationes ad ſanitatem & ad mortem, aut ad melius, aut ad pejus. Ex quibus has primo colligimus eſſe Criſium primas differentias, quippe primam ſubitam mutationem ad ſanitatem, quæ eſt perfecta optima Criſis, quod omnino ægrotum a morbo liberet; & alteram ad mortem, quæ perfecta, & peſſima, quum continuo ægrotum interimat; tertiam ad melius, quæ eſt bona ſed imperfecta, propterea, quod non prorſus hominem ſanet; atque quartam ad pejus, quæ & ipſa peſſima eſt ac imperfecta, quod & ipſa non continuo hominem perdat, ſed paullo poſt. Longe plures differentias alii fecerunt Criſium, quippe quod ipſarum quædam bonæ, quædam malæ ſint, quædam perfectæ, quædam imperfectæ, quædam fideles & certæ, quædam non, quædam manifeſtæ, quædam obſcuræ, quædam pericuioſæ, & quædam citra periculum, & demum quædam per dies indicatorios ſignificatæ, & quædam abſque ulla indicatione prærumpentes. At quod eæ omnes differentiæ bonis ac malis comprehendantur,

Criſium differentiæ.

dantur, propterea de bonis tantum & malis agemus. Quandoquidem quæ bonæ ſunt certe fideles, perfectæ aut imperfectæ manifeſtæ, aut obſcuræ, diebuſque indicibus ſignificatæ, citraque periculum exſiſtunt. Contra malæ quippe infideles, non die decretorio ſignificatæ, obſcuræ, imperfectæ, periculoſæque. Sed priuſquam de iis agamus, videamus prius, a qua cauſſa criſes fiant, quam rem Galen. *in libro ſecundo Aphoriſmorum de veris criſibus*, ita expreſſit: *Fit autem natura ſeparante a bonis mala & ad excernendum præparante. Non temere igitur in tali turbatione graviter ſe habent.* Ex quibus patet naturam ipſam eſſe, quæ, humores dum ſtudet bonos a malis ſegregare, maloſque excernere, criſes faciat. At alias a nobis demonſtratum eſt, naturam ipſam ad criſes faciendas moveri, aut ab humoribus noxiis plane ſecretis a bonis, aut ab iiſdem etiam nondum ſeparatis a bonis, qualitate, vel copia expultricem internorum viſcerum moleſtantibus. Ex quo & naturam & humores criſium cauſſas eſſe, liquido conſtabit. At has criſes ab aliis in morbo factis mutationibus diſtinguent excretiones aut abſceſſus ſubſecuti. Propterea criſes perfectas optimaſque dicimus, in quibus humores noxii omnino fuerint excreti, poſteaquam ipſos a bonis natura ſeparaverit, quod concoquendo agit. Aliarum vero mutationum in morbis vere non criticarum, quas verius ſolutiones appellant, aliæ quidem cauſæ exſiſtunt, quippe vincente natura, aut humores crudi, craſſi ac lenti, ad motum difficiles, ſed coctione primo extenuandi, & abſumendi, quo morbus paulatim marceſcit, uſque ad omnimodam ſanitatem; aut morbo ipſo vincente, eique natura ſuccumbente, virium proſtratio, qua natura paullatim a morbo conſumitur; atque hoc eſt, quod Galen. *in tertio libro de criſibus, cap.* 10. ita habet: *Eſt autem primum & maximum in morbis mortalibus ſignum, quod ſine criſi mors ſit ſubſecuta, virium imbecillitas.* Nam virtus ita proſtrata ad pugnam contra morbum non excitatur. Atque hæc de criſium cauſis in communi, quas accuratius etiam poſtea de ſingulis criſium differentiis acturi explicabimus. Nunc videamus, quinam morbi criſibus terminentur, ſeu judicentur, & qui non.

Criſium cauſa.

CAP. VII.

De morbis, qui per Criſim terminantur, & de iis, qui abſque Criſi finiuntur.

ACutos tantum magnoſque ſive vehementes morbos criſibus terminari, vel ex eo cognoſcetur, quod numquam in parvis criſes fieri obſerventur. De veris autem loquimur, quæ teſte Galen. *in libro tertio, de criſibus, cap.* 4. omnino fiunt per manifeſtas quaſdam excretiones, aut effatu dignos abſceſſus. Demonſtratum quidem eſt has criſes naturam movere, irritatam vehementer a magnitudine ſeu vehementia morbi, quod idem eſt, ac ſi dixerimus, a quantitate accidentium, quibus ma-

gnitudo ſive vehementia morbi, ut docuit Galenus *in eodem libro de criſibus*, dignoſcitur. Neceſſarium enim eſt, ut ipſe quoque *in ſecundo libro Aphoriſm*: ait: *ob morborum magnitudinem, ac caſuum vehementiam vel cito vires proſterni, adeo ut homo moriatur, vel ad noxiorum humorum excretionem excitari, ſi modo, quos invaſerint, exſuperent, bonam ſequi judicationem, ſin autem exſuperentur, malam.* Ex quibus conſtat magnum vehementemve, quod idem eſſe ex Galeno in nuper citato *lib. 3. de Criſibus*, conſtat, morbum criſi tantum judicari ac terminari, a parvo enim natura non irritatur ad excretionem. Hinc Hippocrat. *in libro ſecundo Aphoriſmor.* 13. ait: *Quibuſcumque judicatio ſit, his nox gravis ante acceſſionem eſt.* Natura enim, ut in *comm* docet Galen. ſeparante a bonis mala & ad excernendum præparante, non temere in tali turbatione graviter ægroti ſe habent. Hinc præcedunt accidentia multa & magna, quæ & valde turbant exagitantque ægrotos, tum etiam quæ timorem inſpicientibus, ut ait Galen. *in tertio de Criſibus, cap.* 2. inducant; licet deceat Medicum generoſum neque turbari, neque futurum eventum ex ipſis ſymptomatis ignorare. Quam rem probe expreſſit Galen. *in tertio de Criſibus, cap.* 10. hiſce verbis: *Futuram autem præcognitionem ex eo, quod urgeatur, ac vehementer irritetur natura a morbo, atque ex ſubita præter rationem circa corpus facta perturbatione: omnino enim ſit aliqua novitas, quando criſis futura eſt, vel circa reſpirationem, vel circa mentem, vel auditum, vel viſum, vel ferendi facilitatem, vel circa aliquod eorum, quæ ſæpe diximus, quæ uno nomine ſummatim judiciaria accidentia, et ſigna appellamus. Quare etiam, quod ab Hippocrate* in Aphoriſmis, *ſect.* 2. *Aphoriſm.* 13. *dicitur*, quibuſcumque criſis fit, his nox moleſta, quæ antecedit acceſſionem, *eſt ipſum, quod nunc nos dicimus.* Addimus quod criſes, quum fiunt in morborum acceſſionibus, (concurrere enim in idem tempus criſes, cum morbi acceſſione Galen. docuit) etiam in morbis, habentibus acceſſiones, manifeſtius fient, qui omnes magni vehementeſque ſunt. Quare colligamus morbos magnos ac vehementes per criſes terminari, nequaquam vero parvos & exiles, a quorum parvitate (quando parvi dicantur, *in 3. de Criſib. cap.* 24. ex Galeno, qui multis magniſque ſymptomatibus carent) quum natura ad excretionem irritari nequeat. Hinc Galen. *in ſecundo libro Aphoriſmorum*, dixit, acutos magnoſque morbos in parvo tempore magnas facere mutationes, quarum quæ repente fiunt, criſes Hippocratem appellare. Magni itaque morbi ſunt, qui per criſes judicantur, & parvi citra criſes, quod, ut dictum eſt, ab ipſis natura non irritetur ad humorum excretionem. Sed hoc tamen accuratius erit cognoſcendum; quum, ut Galen. monuit, debiles quidem & parvæ febres quandoque valde malignæ ſint. Sæpe enim Medici decipiuntur, quum febres exterius debiles & parvas obſervent, putantes vere parvas & debiles eſſe, quum tamen valde magnas eſſe reipſa comprehendatur, quum præſertim (etſi calore vehementi carere exterius videantur,) multa ſævaque accidentia habeant, a quibus magnæ & non parvæ ſunt, veluti ſunt vigiliæ, deliria, difficiles reſpirationes,

Morbi quinam per criſin terminãtur, quinam vero non.

tiones, inquietudines & alia hujuſmodi, quæ magnum eſſe morbum teſtantur. Hinc Hippocrat. phrenitides quaſdam debiles, imbecilles, & obſcuras vocavit in *Prorrheticis*, *lib.* 1. *text.* 34. valde phreniticas. Quare hi morbi (quos merito Medici malignos appellant) criſibus ſolent terminari, quod & ipſi habeant accidentia multa & magna, quibus natura ad excretionem humorum noxiorum poteſt irritari, & excitari. Sed jam doceamus, quibus ſignis futuræ criſes poſſint prænoſci.

CAP. VIII.

De ſignis criſes futuras ſignificantibus.

QUum cognitum a nobis ſit, morbos magnos vehementeſque tantum per criſin terminari ſeu judicari; nunc videndum eſt, quibuſnam ſignis criſes futuræ prænoſcantur: ſed de perfectis cognoſcendis ſermonem faciemus, quum eæ certa ratione, teſte Galeno, *in tertio de Criſibus*, *capite quarto*, præſciri poſſint; veluti imperfectæ non certa ratione, ſed conjectura potius poſſunt prænoſci: qua notitia Medici (quod maximum in medicina eſt) poſſunt præcognoſcere, & prædicere futuras criſes, & quo tempore fient, & etiam, ut paullo poſt docebimus, qualibuſnam criſibus ſeu excretionibus, ſive abſceſſibus, ſint futuræ. Itaque vere quidem a nobis ſcriptum eſt, nonniſi morbos magnos vehementeſque per criſin terminari, atque hos etiam non terminari per criſin, ni virtus ſatis in corporibus robuſta & firma fuerit: ſi modo verum eſt, criſin fieri morbo naturaque invicem colluctantibus; quo pacto enim natura prælanguida pugnam audebit tentare cum morbo graviſſimo? Ob morborum enim magnitudinem ac caſuum vehementiam Galen. dixit, vires vel cito proſterni, & nullam fieri criſin, vel ad noxiorum humorum excretiones excitatas, moliri evacuationem. Quare in magnis vehementibuſque morbis, & in corporibus robuſtis certo poterimus criſes prædicere; & quo majores, & una robuſtiores erunt, eo certius & citius poterit criſis prædici. Ceterum quum nobis non ſatis ſit, hoc cognoviſſe, quippe in magnis morbis, viribus exſiſtentibus firmis, futuras criſes certo prædicere nos poſſe, ſed opus eſſe, ut etiam inſtantes criſes animadvertamus & poſſimus aſſidentibus, ac etiam ægrotis, ſi ſalutares futuræ ſint, eas præſagire; ideo omnia illa ſigna, quibus criſes inſtantes innoteſcunt, nunc deſcribemus. Quæ ex Hippocrate, atque Galeno, ſunt Ægrotantium corporum turbationes vehementes, morbi idea, magnitudo, natura, motus, mos, coctiones, cruditates, rigores, anni tempus, regio, præſens conſtitutio, ægrotantis natura, ætas, victus, anteacta, & alia hujuſmodi ſimilia. Ex his enim Galen. *libro primo*, *de Criſibus*, *cap.* 8. & *in ſecundo libro Aphoriſmorum* inſtantes, & futuras criſes prænoſci tradidit. Ceterum horum quædam particulatim videntur facere ad criſes has futuras, quædam ad bonas atque malas cognoſcendas, & quædam ad tempus, quo ſint exſpectandæ, quod interſtinguendum. Hoc enim

Criſes unde futuræ prænoſcuntur.

enim denotare videntur dies indicatorii, in quibus aliquod criticum ſignum illuxerit, ſive in humoribus concoctio, ſive cruditas, ſive aliud ſignum. De quibus Hipp. *in libro quarto, Aph.* 71. ait: *Quibus die ſeptimo futura eſt criſis, iis urina rubram die quarto nubeculam habet, ceteraque pro ratione.* Ex motu vero morbi aut celeri, aut tardo, itidem cognoſci Hipp. *in libro* 1. *Aph.* 12. ſic indicavit: *Exacerbationes vero & conſtitutiones morborum indicabunt tum morbi ipſi, tum tempora anni, tum periodorum proportionis inter ſe obſervatio, ſive ea quotidie, ſive alternis, ſive majori intervallo fiant: ſed ex iis, quæ poſtea apparent, indicia ſumuntur; veluti in pleuritide ſputum, ſi ſtatim initio appareat, breve fore denuntiat, ſi vero poſterius conſpiciatur, longum.* Ad bonas vero atque malas criſes denotandas, coctiones, & cruditates facere videntur. Idem fere & morbi idea quippe videtur notare, utrum evacuatio ei proportione reſpondeat, & an ſit bona: mos morbi itidem ad bonam vel malam criſin agnoſcendam facit, qui a ſignis ſupervenientibus, teſte Galeno, aut bonis aut malis denotatur. Hæc omnia ſigna privatim ad bonas malaſque criſes cognoſcendas faciunt, de quibus poſterius nos accuratius. Reliqua vero faciunt ad judicandas criſes ſimpliciter futuras, quippe quæ ſunt, turbationes ante criſin, & ſimul omnia ſigna, quæ critica dicuntur, magnitudo morbi, virium robur, naturæ morborum, & humorum morbos facientium, non minuſque ægrotantium corporum victus, anteacta ætas, anni tempus, regio, ſtatus præſens, atque ſimilia. Ex his tamen omnibus tria videntur ſufficere ad prænoſcendam criſin, quippe acutos magnoſque morbos, magnas turbationes, atque virium robur. His quidem viſis neceſſario fiet criſis. Etenim virtus, a vehementi acutoque morbo maxime turbata, neceſſario aut exſtinguetur, aut ad pugnam vehementer irritata, ad excretiones noxiorum humorum inclinabit. Si enim prælanguida citra criſin ſuccumberet morbo, ac exſtingueretur, robuſta vero non poterit, niſi facto conflictu ſuperetur: ſed in eo conflictu neceſſe eſt aliquam humorum erumpere excretionem, aut bonam aut malam; bonam natura morbum ſuperante; malam a morbo natura ſuperata. Alia vero, etſi non præcipue criſin indicent, tamen maxime adjuvant futurarum criſium cognitionem, quæ inquam ſunt, morbi idea ſeu ſpecies ea ratione, qua ſigna appareant proportionatæ excretionis futuræ ad eam ſpeciem morbi, ut ſigna ſanguinis erupturi in febribus ardentibus, coctiones, & cruditates. Motus quoque morbi celer vel tardus; quando tardi motus morbi raro aut numquam criſi judicentur: morborum item naturæ; ætas, natura, victus ratio anteacta ægrotantis; tempus anni, præſens conſtitutio, & regio, quæ omnia maxime faciunt ad confirmandum futurarum criſium judicium. Sed age ſingula hæc ſigna conſideremus accuratius; & primo ex Hippocr. qui *in lib.* 2. *Aphoriſm.* 13. ita ſcripſit: *Quibus criſis fit, iis nox gravis ante acceſſionem, quæ vero ſubſequitur, magna ex parte levior exſiſtit.* De ſignis iis, ægrotos ante criſin turbantibus, Hippocr. *in* 1. *Epidem. comm.* 1. *pag.* 948. *in fine, & initio* 949. ait: *capitis, colli dolores & gravitates cum febribus, & ſine febribus,*

Ex naturæ viribus.

Ex morbi idea.

phre-

phreniticis convulſiones, ſed & virulenta vomunt, & ex iis quidam ſubito moriuntur. In ardentibus autem ceteriſque febribus, quos colli dolor, temporum gravitas, caligo oculorum, vel hypochondrii contentio, neque cum dolore corripit, his e naribus ſanguis erumpit. At vero quibus totius capitis gravitates, tum autem cordis dolores & faſtidia ſunt, bilioſa poſt aut pituitoſa vomunt. De quibus clarius Galen. *in lib. 2. Epid.* & *in lib. 3. de Criſib. cap.* ita ſcripſit: *Sola igitur ſubita ad ſanitatem mutatio ſimpliciter criſis nominatur, & quidem omnino fit per manifeſtas quaſdam excretiones, aut effatu dignos abſceſſus. Quicumque enim aliter quieverint, malignius retrocedunt. Antecedit autem hujuſmodi excretiones & abſceſſus non mediocris perturbatio in corpore ægrotantis. Nam & difficiles tolerantiæ, & vigiliæ, & deliria, & graves ſomni, & difficiles anhelitus, & vertigines tenebricoſæ, & difficiles ſenſus, dolores capitis, colli, & ſtomachi & multorum aliorum membrorum, nonnullis vero aurium ſonitus, & vani ante oculos apparent ſplendores, & lacrymæ involuntariæ efſluunt, & urina retinetur, & labrum agitatur, aut aliquid aliud tremulum fit, oblivio, & præſentium ignorantia, & vehemens accidit rigor, & plurimum acceſſio conſuetam anticipat horam, & multus æſtus, ſitiſque intolerabilis ſequitur, clamant & ſaliunt ſicut furentes, neque poſſunt in eodem ſitu recumbere, deinde repente multus ſudor erumpit, aut vomitus aliquis non paucus inſequitur, aut venter ſubito ſolvitur, aut abundans ſit fluxus ſanguinis, aut hæc omnia ſimul contingunt, unde non parvus invadit timor inſpicientes.* Addamus ex Galeno in *3. de Criſib. cap.* 80. pulſum inæqualem in pluribus criſibus fieri, & præcipue, quum non fiunt ſine pugna & periculo; multo magis, quum bilioſi humores ad ventriculum confluunt, apparentibus etiam aliis vomitus ſignis, quæ Hipp. deſcripſit. Sed Hippoc. ſigna ex pulſibus ſumta, vel quia non noverit, vel quia non magni momenti exiſtimaverit, idcirco non eſt ſecutus. Atque hæc ſunt ſigna omnia critica, quibus ante criſin fit turbatio vehemens, præſagiens in acuto magnoque morbo, viribuſque robuſtis, aut non languentibus, criſin bonam, ſi fiant, ut alias dicemus, in ſtatu morbi, concocto jam morbo; malam in principio, natura morbo ſuccumbente. Rigores quoque privatim in febribus ardentibus aliiſque acutis morbis ſolent criſibus præire. De quo Hipp. *in libro 4. Aphor. 29.* habet: *Quibus in febribus ſexto die rigores ſiunt, difficilis ſunt judicii.* Et *Epid. libri Aphor. 46. ſi rigor incidit, febre non deficiente, jam imbecillo, letale.* Et poſtea *Aph. 58. Ei, qui ardente febre laborat, ſi rigor ſupervenerit, morbi ſit ſolutio.* Et poſtea *Aph. 63. Quibus in febribus quotidie rigores ſiunt, quotidie febres ſolvuntur.* Inter ſigna enim decretoria ſeu critica non minimum rigor locum habet, ad criſin quippe aut bonam aut malam prænuntiandam. Motus quoque morbi celer maxime facit, cum critico aliquo conſpecto ſigno, ad prænuntiandum criſin: namque celer motus criſin futuram, & tardus acriſiam ſignificare ſolet. Celerem vero motum oſtendunt brevia morborum tempora; ſiquidem, qui morbus breve principium habuit, breve quoque augmentum, ſtatum, atque declinationem habebit. Ex brevioribus quoque acceſſioni-

Ex ſignis criticis,

Ex Rigore.

Ex motu morbi celeri.

bus idem oſtenditur. Galen. *in tertio de Criſib. cap.* 3. dixit, febrem, quæ quatuor tempora acceſſionum omnia breviter percurrit, properare ad criſin: & idem *in primo libro Epidem.* ita habet: *Quare fac memineris, ubi quartus perinde ac tertius gravia habeat ſymptomata & ſigna in morbo acuto, brevi exſpectandum eſſe judicium.* Ex ſpecie vero ſeu idea morbi, quod morborum ſingulis ſpeciebus conſtitutæ quædam proprietates ſint, ut ad criſes veniant; cujuſmodi, teſte Galeno *in* 3. *libr. de Criſib.* ardentium febrium proprium eſſe videtur, ut ſanguinis eruptione ex naribus, aut ex alia corporis parte, aut poſt vehementem rigorem ſudore multo & calido erumpente ex toto corpore, aut per vomitum bilioſorum humorum excretione judicentur. Proinde in his ſigna omnia, quæ aliquam prædictarum excretionum prænuntiant, & ſignificant, conſpecta, criſin nedum futuram, ſed quoque ſpeciem criſis, ac vel etiam aut bonam aut malam oſtendent. De quibus Hippocr. *in Aphoriſm.* 58. *lib.* 4. ait: *Ei, qui ardente febre laborat, ſi rigor ſupervenerit, morbi ſit ſolutio.* Ubi præſertim poſt ipſum aut ſanguinis eruptio, aut ſudor, aut bilioſorum humorum ſequatur excretio. De iis ait Hippocrat. *Prorrhetic. lib.* 1. *text.* 132. *Morbi qui ſtatim turbulenti ſunt, inſomnes, ſanguinem de naribus ſtillantes, ſexto die levantur, noctu laborant, poſtridie ſudant, in ſomnum feruntur, delirantque, abunde ſanguinem profundunt.* Et in Epidem. *lib.* 1. *comment.* 2. *pagin.* 948. *ſub finem: In ardentibus autem febribus, ceteriſque febribus, quibus colli dolor, temporum gravitas, caligo oculorum, vel hypochondrii etiam contentio, neque cum dolore, corripit, his e naribus ſanguis erumpit.* Atque ita de iis, qui ſudores, vel alvi dejectiones, aut vomitus bilioſos habent. De quibus *in* 2. *Prognoſt. pag.* 45. *ſub finem: Qui vero totius capitis gravitates & oris ventriculi morſus, ac ſtomachum anxium habent, iſti bilioſa & pituitoſa evomunt*; uti *Charioni* contigit; de quo Hippocrat. in 3. Epidemior. *Ægrot.* 5. *pag.* 1072. *Quinto cum dolore cuncta exacerbata fuerant, nugabatur, noctem moleſtam habuit, non dormivit, ſexto nihil eſt immutatum, ſeptimo ſuperriguit, febris acuta, per totum corpus ſudavit, judicatus eſt.* Et de *Virgine* quadam Lariſſæ, *lib.* 3. *Epidem. Ægrot.* 12. *pag.* 1110. *Quarta ſub noctem deliravit, ſexto ex naribus largiter multum fluxit, inhorruit, ac mox ſudavit toto corpore multum & calidum, ſine febre, eſt judicata.* Ita ex aliis ſignis, in aliis etiam morbis denotantibus vacuationes, formis ipſorum proportione reſpondentes ſeu proprias, ut in tertianis febribus vomituum, dejectionum bilioſarum, aut ſudorum ſigna, criſin oſtendunt; & in quartanis ſudorum multorum & pituitoſarum excretionum; & in phreniticis ſudorum præcipue futurorum ex capite copioſiorum, eruptionis ſanguinis e naribus; non minus in pleuriticis & in hepatis lieniſque inflammationibus, atque tandem in omnibus præcordiorum inflammationibus, ſigna, vel erupturum ſanguinem, vel alvi dejectiones, vel vomitus, vel ſudores denotantia, critica eſſe affirmamus; atque ita licebit ex morborum idea criſin Medicis prænoſci. Ex coctione vero criſin, & bonam criſin, ſi aliquod criticum ſignum una illuxerit, ex prædictis nobis ſignificari certiſſimum erit. Perpetuo enim, ubi

Ex ſignis excretionum futurarum.

Ex coctione.

in

in aliquo decretoriorum seu indicatoriorum dierum in magno morbo, cum aut capitis dolore, aut delirio, aut gravitate, aut aliquo signo ex criticis, crisin in altero quaternario futuram significabit. Propterea Hippocr. dixit *in* 1. *Epidem. sect.* 2. *pag.* 948. *Coctiones celeritatem judicii & securitatem ostendere*. Ex diebus quoque judicantibus crisis præsagitur; Galen. enim *in* 3. *de Crisibus* scribit: *Ubi in* 4. *die aderit magnitudo morbi ejusque morbi celer motus, atque signum coctionis, in septimo judicium sequetur, et si hæc septimo tantum fient, judicium undecimo, aut decimo quarto erit.* Crisium vero futurarum judicium augere naturam morbi calidam, calidosque humores & summe putridos, naturam itidem ægroti calidiorem, ætatem florentem, victus rationem anteactam, bilioſorum ciborum, calidam cæli regionem, anni tempus æstivum, non opus est, ut ad hoc demonstrandum diu laboremus, quum omnes sciant, proprium esse calidorum humorum, ut facillimi sint ad excretionem, atque etiam sua qualitate naturam movere maxime atque irritare ad excretionem ipsorum, temperamentumque calidum aptissimum esse ad crises; veluti, frigidi morbi, humores frigidi, naturæ frigidæ, cælum frigidum atque hiemale tempus, & alia ejusdem generis, quum crises retardare, tum, ut ne fiant, facere, Galen. in loco citato, atquè alibi in multis locis, nobis demonstratum reliquit. Atque satis de signis criticis, quorum, ut diximus, tria tantum nobis poterunt crises prænuntiare, quippe morbi magnitudo, corporis turbationes, uti sunt dolores, inquietationes, deliria, & alia hujus generis critica, quæ superius ex Galeno omnia adnumeravimus; atque virium robur. His tribus conspectis signis, non dubium erit, quin crisis sit futura: alia vero signa, quæ, etsi non per se denotent crisin, tamen aliquo modo possunt crises prænuntiare, uti Galeno placuit, & a nobis jam est demonstratum.

Crisium futurarū quænam augent.

CAP. IX.

De Crisibus salutaribus, quæ certam salutem significant, cognoscendis.

PRæmissis, quæ ad prænoscendas crises faciunt, nunc supereſt, ut bonas, salutares, atque malas, exitiales, cognoscamus, ut ex ipsis salutem & mortem ægrotantium assidentibus præsagire sciamus: atque hoc est unum præcipuum, propter quod nos crisium cognitioni tam accurate incumbere voluimus. Sed esto, principium faciamus a bonis salutaribusque cognoscendis, quæ omnes in morbis salutem proxime futuram significant. Hæ vero duplices exsistunt, quædam optimæ, fideliter salutem ægrotis indicantes, quædam non certam, sed plerumque cum recidivis, & periculo. De primis nunc agimus, quæ optimæ ac saluberrimæ exsistunt, a quibus certa salus perpetuo prædicitur. Hanc vero certo indicabunt signa perfectæ coctionis in excrementis, status morbi, in diebus indicatoriis fuisse indicatas, in aliquo judicatoriorum dierum fieri, excretiones subsecutas morbi naturę convenire, morbum ab ipsis resolvi, ęgrotos coloratiores ac robustiores, ac, quam antea, quietiores

Crises duplices.

Optimæ unde noscuntur. Ex coctione.

res videri, pulſus meliores evaſiſſe, quippe vehementiores, æqualiores, ordinatiores. Coctionis autem perfectæ ſigna, quæ penes excrementa noſtri corporis conſiderantur, præcipuum optimarum criſium certiſſimumque eſſe argumentum ex Hippocra. qui *in primo Epidemiorum Sect. 2. pagin.* 948. ita habet, colligitur: *Concoctiones celeritatem portendunt judicii, ſecuritatemque ſalubrem.* Et Galen. *in 3. libro de Criſibus cap.* 4. ita ad ſalutem in ægrotis præſagiendam coctiones facere novit, ut affirmaverit, conſpectis coctionibus, neminem morientem vidiſſe. Quod ipſe ita ſcripſit: *Primum quidem & maximum inter omnia eſt conſiderare coctiones ex urinis, alvi excrementis, & ſputaminibus. Siquidem ego millies, quum, dum criſes fierent, intereſſem, neminem umquam vidi intereuntem, qui præcedentibus coctionibus criſin habuiſſet.* Perfectæ ſeu exquiſitæ itaque coctiones in excrementis conſpectæ, ſunt certiſſima præſagia optimarum criſium. In omnibus itaque febribus vel ſine paſſione alicujus viſceris, vel cum inflammatione hepatis, vel renum, vel veſicæ, vel ſplenis, ac, ut uno verbo dicam, ſemper ubi febris affuerit, vel ex ſola humorum putredine accenſa, vel ex membro inflammationem patiente, urinæ concoctæ optimam ſecuriſſimamque criſin, teſte Galeno, pollicentur; veluti in morbis thoracis, & pulmonis primo ſputa concocta, quæ præcipua harum partium affectarum ſunt indicia, atque una cum ipſis urinæ quoque & alvi excrementa itidem concocta ſi ſpectentur, certiſſimum optimæ criſis nobis erit indicium. Non ſecus in affectibus ventris primo ad optimam criſin prænoſcendam, alvi excrementa concocta, & poſtea urinæ erunt attendendæ. Quare præcipuum certiſſimumque ſignum optimarum criſium erunt coctiones in excrementis conſpectæ. De quibus Galenus etiam *in eodem libro 3. de Criſibus cap.* 5. ita ſcripſit: *Quum enim poſt ſigna optima, atque exquiſita coctione, facta fuerint, neceſſe eſt, ut optimæ ſint, quoniam & ſola coctio criſis celeritatem, & ſalubrem ſecuritatem oſtendit, neque enim vel animo concipi poteſt, quod poſt morbi exquiſitam coctionem criſis mala ſequatur.* Exquiſita vero coctio fit tempore ſtatus. Hinc optimas criſes, vel in ſtatu vel parum ante ipſum fieri, Galen. *in 3. de Criſib. cap.* 6. docuit, quoniam tunc omnia concocta ſunt, ut Galen. *in eodem lib. cap.* 4. docuit, perfectaſque eas criſes eſſe, quæ tunc temporis fiunt; in augmentiſque, ſi ſalus ſit ſubſecutura, imperfectas eſſe, vel non ſecuras. At diſtinguendus hic ſtatus, quem naturæ ſtatum in primo libro vocavimus, in quo optimæ criſes fiunt, a ſtatu morbi, quod numquam cum naturæ ſtatu convenit: aut enim in principio, aut denique in augmento naturæ ſeu materiæ, ut alii vocant, morbi ſtatus non raro celebratur; quo tempore dicimus morbum ultimas vires exercere, neque amplius magnitudine & vehementia augeri: de hoc ſtatu morbi nos non loquimur, ſed de naturæ ſtatu, qui non penes morbi majorem vehementiam, ſed penes coctionem exquiſitam cognoſcitur; in hoc enim optimæ, ſalutares, ſecuriſſimæ, ac perfectæ criſes apparent. Optimam quoque criſin eſſe diximus, quæ priuſquam fiat a die indicatorio aliquo fuerit indicata, veluti exempli gratia, die quarta, ſi ſeptima futura ſit criſis, de qua Hippocrat. *in* 4. *Aphor.*

A die quæ criſin antecedit.

Aphor. 71. *Quibus ſeptima morbus judicatur, his nubeculam urina continet quarta die rubram, & alia ex ratione.* Addamus eam quoque eſſe potiſſimam, quæ in diebus criticis apparet, de quibus *in eodem libro Aphoriſm.* 36. Hippocrat. *ſi ſudores febricitanti inceperint, boni & tertio die, & quinto, & ſeptimo, & nono, & undecimo, & decimoquarto, & decimo ſeptimo, & vigeſimo primo, & vigeſimo ſeptimo, & trigeſimo primo, & trigeſimo quarto: ii enim ſudores morbos judicant; qui ſecus evenerint, laborem & morbi longitudinem, aut ejuſdem reditum ſignificant.* His etiam addimus cognoſci optimam criſin, primo ex qualitate humoris excreti: optima enim habet excretionem, morbi naturæ ſeu ideæ convenientem, cujuſmodi, exempli cauſa, in ardente febre, & in omnibus viſcerum inflammationibus, ſanguinis eruptio, aut copioſi ſudores, aut vomitus, vel alvi dejectiones, multæ, biliosæ, quæ excretiones conveniunt morbi ideæ, quæ eſt calida & ſicca, atque a calidiſſimis bilioſiſque humoribus fovetur. Quo apparet etiam confirmari hanc bonam excretionem, ab ægrotantis natura bilioſa, a bilioſa victus ratione anteacta, ab ætate efflorescente, atque ab anni tempore æſtivo, in calida ſiccaque regione, atque in tali cæli ſtatu. Hæc enim bilioſa excretio, prægreſſis ſignis coctionis, optima erit, & ſalutaris in omni morbo bilioſo; veluti in pituitoſis, pituitoſæ, & in melancholicis atri humoris excretiones, optimæ itidem erunt. Diximus alias ex Galen. per ſudores judicari omnes febres ardentes, tertianas, efferveſcentes inflammationes; eoque magis, ſi una ſanguis ex aliqua parte corporis copioſius erumpat, aut bilioſus vomitus, vel alvi excretio bilioſa appareat; itidemque cerebri inflammationes, reliquoſque omnes capitis affectus. Sanguinis vero excretione ſeu eruptione ardentes febres, ſynochas, aliquando phrenitides, etſi eæ non frequenter, pleuritides quoque, etſi minus quam ardentes febres, aliquando etiam peripneumonias, quod tamen raro fit, judicari alias docuimus. Hepatis, lieniſque inflammationes frequentiſsime e naribus eruptiones liberant; ſed hepatis ex dextra nare profluens ſanguis, & lienis e ſiniſtra, quod rectitudinem omnes bonæ excretiones & evacuationes ſervare debent. Omnes item præcordiorum inflammationes ſanguinis fluxio judicat. Sudor etiam, ut dictum eſt, juvat omnes inflammationes calidas, & acutas, quæ ſunt in præcordiis. Item hepatis partes devexæ, ſanguinis fluxu, ſudoribus, & copioſioribus urinis ſolent judicari; & convexæ alvi excrementis bilioſis, atque ſudoribus, nonnumquamque etiam vomitibus. Renum etiam & veſicæ affectus copioſioribus urinis judicari ſolent. Thoraciſque ac pulmonum affectus ſputaminibus. Hæc pauca adderè ex Gal. *in libro 3. de Criſib. cap.* 2. volui, ut lector poſſit ex ipſis pernoſcere, quænam excretiones morborum ideis conveniant, atque ex ipſis bonam criſin, quod congruat naturæ morborum vacuatio; & malam, quum nullo pacto congruat. De quibus forte Hippocr. *in* 1. *Aphoriſ.* 2. dixit: *In perturbationibus ventris & vomitibus ſpontaneis, ſi qualia purgari oportet, purgantur, confert, & ægri facile ferent.* Quod repetit poſtea, *Epidem. libri Aphoriſm.* 23. dicens: *Quæ vacuantur: non multitudine ſunt æſtimanda, ſed, ſi qualia purgari oportet, purgantur, confert, & ægri facile ferent.* Quod repe-

Vel quæ ſit.

Ex qualitate humoris excreti.

tit

tit poſtea *Epidem. libri Aphor.* 23. dicens: *Quæ vacuantur, non multitudine ſunt æſtimanda, ſed, ſi qualia oportet evacuentur, & æger facile ferat*. Itidem & locus, per quem, ut dictum eſt, fit excretio, erit attendendus, ut ſit conveniens, & ad quem natura inclinaverit. De quo etiam Hipp. *in Aphor.* 21. *lib.* 2. ita habet: *Quæ educenda ſunt, quo maxime tendit natura, eo ducenda, per ea videlicet loca, quæ conferunt*. Galenuſque in *commentario*, loca convenientia, per quæ excretio bona fit, intellexit, ſi, κατὰ, ideſt directo ad locum affectum fieri contingant. Ex quibus apparet, quæ omnes ſint excretiones naturæ morborum congruentes, per quas optimæ ſalutareſque criſes fiunt. Quas etiam optimas eſſe aliis ſignis cognoſcimus, & primo, quod ab ipſis ægroti aut ſanentur, aut in melius mutentur, corporaque quietiora evadunt; atque hoc eſt, quod Hippocr. per hunc Aphoriſm. 13. *ſect.* 2. docuit, qui eſt: *Quibus criſis fit, iis nox gravis ante acceſſionem, quæ vero ſubſequitur, magna ex parte levior eſt*. Hocque fieri, Galen. *in comment.* ait, quia videlicet plures ad ſalutem criſes deſinunt. Certo ſiquidem ſcimus ex ægrotis plures eſſe, qui ſervantur, quam qui intereant, niſi forte peſtilens ſit cæli ſtatus. Optimæ quoque excretionis certiora ſigna notat Hippocr. *in* 1. *Aphor.* 11. & 23. ut ægroti facile evacuationes tolerent. De quo ſigno Galen. *in comment.* ita habet: *Nam ſi humor ſuperexcedens evacuetur, tunc ipſum ſeipſo ægrotum fieri leviorem, & melius tolerari, eſt neceſſarium*. Addit *in tertio de Criſibus cap.* 2. Fieri etiam melius coloratum pro ratione evacuationis, atque ad reſurgendum robuſtiorem, febremque reſolvi, aut ſaltem maxima ex parte diminui. Ceterum hæc optimarum criſium ſigna confirmabunt quoque pulſus; meliores quippe, vehementiores, æqualiores, ac ordinatiores, de quibus Galen. ſcripſit: *Vehementior igitur ſit continue magis pulſus, & æqualior, atque ordinatior in bona declinatione; expellit enim natura fortius omnem ſubito febrilem calorem: debilior vero atque inordinatior & inæqualis eſt pulſus in mortalibus declinationibus*. Atque tot ſunt, quæ optimas criſes ſignificant, eaſque, ut dictum eſt, fideles atque certas, quibus certa quidem ſalus perpetuo promitti ægrotis poterit. Quales ab Hippocr. 3. *Epidem. comm.* 1. *Ægr.* 3. *pag.* 1066. in illo, qui *in Dealcis horto* decumbebat, & in aliis fuere conſpectæ; de illo ait: *Quadrageſimo alvus pituitoſa, alba, ſubcrebra, dejecit, multum toto corpore ſudavit, abſolute eſt judicatus*. Et de *Nicodemo ibidem, pag.* 1108. *Ægr.* 10. *Vigeſimoquarto multam urinam, & albam reddidit, in qua multa ſubſidebant, ſudor ei toto corpore copioſe calidus emanavit, ſine febre judicatus eſt*. Et de *Pericle lib.* 3. *Epid. pag.* 1102. *Ægr.* 6. etiam, qui fideliter per criſin fuit judicatus tertio: *Febris emollita fuit, urinæ multæ & concoctæ, in quibus multum ſubſidebat, nocte quievit. Quarto circa meridiem ſudor prorumpit toto corpore multus & calidus, ſine febre judicatus eſt, neque rediit*. Et de *Anaxione pleuritico, ibid. pag.* 1104. *Ægr.* 8. *Vigeſimo ſeptimo rediit febris, tuſſiit, multa excrevit concocta, in urina multa ſubſidebant alba, deſiit ſitire, dormivit, trigeſimo quarto die ſudavit, ceſſavit febris, in totum eſt judicatus*. Atque de *Heropytho, ibidem, pag.* 1104. *Ægr.* 9. *Jam vero circa diem octuageſimum cuncta remiſſa ſunt, nihil tamen deſtitit*,

Ex loco, per quem fit excretio.

Ex levamine morbi.

Ex Pulſibus.

deſtitit , etenim urinæ boni coloris , & copioſiores ſubſidentias habentes exierunt , deliriaque imminuta ſunt . Circa diem centeſimum alvus fuit turbata multis bilioſis , durabantque diu multatalia , deinde dyſenteria cum dolore , reliqua levia fuerunt , in ſumma febres eum reliquerunt , diſceſſitque ſurditas . Centeſimo eſt abſolute judicatus . In his omnibus poſſunt omnia præcipua optimarum fideliumque Criſium ſigna pervideri , quæ eſſe diximus , coctionem manifeſtam ac exquiſitam in excrementis , quæ juxta affectuum locos affectos conſiderantur , in ſtatu morbi criſes fieri , præindicarique ab indicibus vocatis diebus , in criticiſque diebus conſpici , excretioneſque ideæ morborum reſpondere , haſque ſequi aut febrium ſolutionem , aut manifeſtam imminutionem , ceſſare ſymptomatum moleſtias , quæ ſingula in iis ab Hippocrate conſpectis criſibus fuere obſervata . Coctionis manifeſtæ ſignum in *Nicodemo* fuit multa urina alba , in qua multa ſubſidebant ; & in *Pericle* , urinæ item multæ & concoctæ cum multa ſubſidentia ; & in *Anaxione* , multa quæ tuſſi excrevit concocta cum urina optimam ſubſidentiam habente , & in *Heropytho* , urinæ itidem melioris coloris , copioſiores ſubſidentias habentes erant . Quæ etiam concoctio perfecta , in ſtatu naturæ factas fuiſſe eas criſes indicabat . In quibus quum criſes in criticis diebus apparuerunt : tum videntur quoque antea ab indicatoriis præindicatæ . Fuereque excretiones morbum illorum naturis convenientes . In eo enim , *qui in Dealcis horto* , quod febris ejus fuerit ex miſtione bilioſorum pituitoſorumque craſſorum humorum , ideo excrevit per alvum multa pituitoſa , & ſudore copioſo tenues bilioſi humores fuere excreti , & *Pericles* quoque ſudore multo excrevit bilem , a qua in febrem delapſus fuerat , atque ita de aliis ; quas omnes & allevatio , quum febris , tum ſymptomatum , fuit ſubſecuta : & hæc de optimis fidelibuſque criſibus , ſalutem certam ægrotis ſignificantibus .

CAP. X.

De Criſibus ſalutaribus , quæ tamen neque fideles , neque certæ perpetuo ſunt .

APparent vero Criſes non raro bonæ ſane , ſed tamen quibus Medici perpetuo fidere minime debent , quæ hiſce ſignis ab optimis fidelibuſque diſtinguuntur , quippe , quod non cum exquiſitæ coctionis ſignis ; neque in ſtatu morbi , ſed in augmento ; atque etiam , quæ non ab indicibus vocatis diebus fuerint indicatæ ; neque in diebus decretoriis apparuerint , ſed in intercidentibus , quos etiam intercalares & provocatorios appellari ſuperius diximus , quod natura , non perfecta coctione , in iis cogatur pugnam cum morbo aggredi , ex qua raro optime morbus judicatur , ſed plerumque imperfecte & non tuto ; & quemadmodum etiam (etſi appareant quædam coctionis ſigna ,) non habent vacuationes neque ideæ morborum , neque naturæ ægrotantis , neque ætati , neque victui

Criſis imperfecta & non certa quando.

victui anteacto, neque anni tempori, neque cæli ſtatui aut loco congruentes: demum, etiamſi omnia bona eſſe apparuerint, ſi ægroti facile vacuationem non toleraverint, neque juventur, criſi huic non erit fidendum; & multo minus, quum ægroti pulſus meliores, quietiores, ordinatiores, ac vehementiores non habuerint. His quidem ſignis criſes conſpectæ non plane certæ dicuntur, etſi pleræque ſalutem oſtendant; at cum laboribus, recidivis, & mala ægrorum tolerantia, morbos judicant. Sed ſingula hæc ſigna diligenter conſideremus, & primum de iis, quæ in augmentis morborum, quo tempore natura non plane morbum concoxit, ſed cępit concoquere, paucaque apparuerunt coctionis indicia. Hęc ſane inceptæ coctionis, nondum abſolutæ, ſigna, in morbis non exitialibus, bonam criſin pollicentur; ſed tamen neque omnino certam ac fidelem, ex quo plerumque ſanantur, at non abſque recidivis, aut moleſtiis ſeu laboribus, ac longitudine. Quæ vero ſanguinis profluvio fiunt, certiores & fideliores ceteris exſiſtunt; quum vel etiam in principio, nullis quidem conſpectis ſignis coctionis, non incertam ſalutis ſpem aliquando ſanguinis larga eruptio ſoleat polliceri. Cujuſmodi fuerunt, quę in *Pericle lib.* 3. *Epidem. Ægrot.* 6. *p.* 1102. in quo lienoſo ſanguis prima die e ſiniſtra nare profluxit: & in *Virgine Abderæ*, *ibidem*, *Ægrot.* 7. *pag.* 1103. quę in veſtibulo templi habitabat, prima die menſes fluxerunt, & rurſus decima ſeptima e naribus erupit, & ipſa vigeſimo, etiam plurimo erumpente cum ſudore ſanguine, fuit judicata: eodem modo in *Metone*, *lib.* 1. *Epidem. Ægrot.* 7. *pag.* 985. quarta die cœpit criſis per ſanguinem e naribus, quę quinta die perfecte cum ſudore ipſum judicavit, in quo non fuit recidiva, quoniam ſanguis etiam poſt judicium erupit.

Per ſanguinis excretionẽ.

Quę imperfecta criſis ſanguinis eruptione clarius in *Heropytho* viſa eſt, de quo Hippocrat. *in* 3. *Epidem: Ægrot.* 9. *pag.* 1106. ita habet: *Vigeſimo multum deliravit, itemque ſequentibus diebus. Quadrageſimo multum ex naribus ſanguinis erupit, menteque conſtitit magis, ſurdus quidem ſed non perinde fuit, febres fuerunt remiſſæ. Proximis diebus ex naribus ſanguis, & paullatim erupit. Circa diem ſexageſimam e naribus quidem ſubſtiterunt eruptiones, ſed dextra coxendix admodum dolebat, febreſque increverunt; at ille die centeſimo tantum fuit perfecte judicatus.* Ex qua hiſtoria colligimus, Criſes vel etiam per ſanguinis excretionem, quæ ceteris aliis vacuationibus ſunt fideliores & ſalubriores, nondum cum perfecta coctione, ſcilicet ante ſtatum, apparentes, bonas quidem eſſe, ſed infideles ac incertas, quibus non ſit fidendum: verum ex his recidivas, longitudinemque morborum, laboreſque Medici prænuntiare debent; plerumque tamen ſalutares exſiſtunt. At hæ in principio morborum, aut cum exitiali ſigno, ſi illuxerint, malæ erunt, quibus aut ſubito mors ſuccedit, quippe in prælanguidis corporibus, aut poſt longum tempus, in robuſtis ac prævalidis, veluti contigit *mulieri*, quæ *in mendacium foro decumbebat*, *lib.* 3. *Epid. Ægr.* 12. *p.* 1080. quæ plures criſes ante mortem habuit in principio morbi, ideſt, nullis ſignis coctionis conſpectis. Sed de hac accurate quum de exitialibus agemus. Colligamus criſes ante ſtatum non eſſe omnino bonas &

Ante ſtatum.

certas;

certas; quod Gal. hiſce verbis expreſſit: *Eſto igitur, ut in die decimaquarta ſpes ſit fore ſtatum, & aut ob morbi magnitudinem, vel motus velocitatem, vel propter ea aliquod aliud extrinſecum irritamentum criſis die undecimo anticipet, neque ipſam perfectam, neque omnino bonam*: & poſtea dixit, *ſiquidem morbus ſalubris ſic inveniatur, ut neque ejus acumen neque magnitudo feſtinent, neque error aliquis circa ægrotum admittatur, ſtatus tempus criſis exſpectat: & hæc quidem optima criſis eſt; fit enim morbo jam cocto: ſi vero vel propter morbi magnitudinem, vel motus celeritatem, vel propter aliquod irritamentum ante ſtatum criſis venire cogatur, tanto hæc criſis deterior erit, quantum ſtatum anticipaverit*. Quod autem natura, etiam ante ſtatum, ac vel etiam in principio aliquando, excernat, alias a nobis demonſtratum, eſt, interim enim nondum incepta humorum coctione, & aliquando incepta quidem, & demum ipſa perfecta: hoc tempore criſes ſunt optimæ: illæ ſunt omnino pernicioſæ; & in augmento, quo tempore, teſte Galeno in 1. *lib. de criſibus cap.* 8. & in *primo de tot morb. temp. cap.* 3. incepta eſt concoctio, in morbo non mortali, bonæ, ſed imperfectæ, & infideles: & hinc diximus alias Hippocrat. & Gal. omnes excretiones in principio, & crudo omnino adhuc exiſtente morbo, letales affirmare, & in augmento bonas dici, ſed non certas, neque perfectas. Quas omnes Galen. *in libro tertio de Criſibus cap.* 7. *c.* 12. nec non, & *in libr.* 4. *de præſag. ex pulſib.* in hunc modum expreſſit, dicens: *Nam ea expellere, quæ moleſtant naturam, ſæpe ante tempus convenit, quippe virtus ipſa eſt alienorum expultrix, quemadmodum in opere de naturalibus facultatibus, ante demonſtratum eſt, Tempus autem coctionis poſt finem alteratoriæ facultatis eſt*: tunc enim functionem obire, omnibus ſecundum naturam abſolutis, oſtendebatur, quum illa ab actione deſtiterit: verum ante perfectam coctionem interim, quæ obſtant, amoliri cogitur; ut interdum, coctione jam abſoluta, moratur adhuc, & lente, propter imbecillitatem, munus ſubit. Utramque autem in ventriculo clare licet contemplari. Inſtigatus enim coctionis tempus non exſpectat, ſed protinus etiam idoneum, cum eo, quod moleſtat, excernit, & ubi ſatis jam coxerit, interdum lente ac cunctanter ſuperfluum, imbecillitatis vitio, expellit. Quare criſes ante augmentum quibuſdam, etſi non omnibus, ſignis coctionis conſpectis, bonæ quidem dicuntur, non tamen fideles, & certæ, quibus nos fidere debeamus. Eodem modo eæ, quæ non in diebus decretoriis fiunt, incertæ exiſtunt, morbique, qui non in diebus iis ſolvuntur, reverti ſolent. In quibuſdam vero intercidentibus, ſeu provocatoriis vocatis, eodem itidem modo criſes non omnino bonæ neque certæ apparent, de quibus Hippocr. *in lib.* 4. *Aphor.* 29. ait: *Quibus in febribus ſexto die rigores fiunt, difficilis ſunt judicii*. In hac die *virginem Lariſſæ* ſanguinis profluvio fuiſſe ſimul cum ſudore judicatam, alias meminimus: & Galen. *lib.* 3. *Epidem. Ægr.* 12. *p.* 1110. ait *in* 6. *Epidem. comment.* 3. *in tit.* 19. aliquando bonas criſes decima die fuiſſe obſervatas. Ex quo merito Hippocr. dixit *in* 4. *lib. Aphor.* 61. *Febricitanti, niſi in diebus imparibus febris deſierit, reverti ſolet*. Criſes quoque, etſi cum quibuſdam ſignis coctionis appareant, tamen cum vacuationibus, morborum ideis ſeu naturis non congruentibus, numquam perfectæ,

Quæ non in diebus decretoriis fiunt.

Quæ non recte ideæ morbi conveniunt.

convenient. ctæ, nec certæ esse poterunt. Exempli gratia, in adolescente biliosæ naturæ, morbo itidem bilioso laborante, anni tempore æstivo, per alvum, aut per vomitum, si pituitosum multum humorem excretum observaverimus, crisis, quod non congruat vacuatio ideæ morbi ac aliis, incerta ac infidelis erit; idem in febre pituitosa, si biliosum, & non minus si sanguis, hepate affecto, e nare sinistra, & liene, ex dextra copiosior profluxerit. Crises enim hæ non recte ideæ morbi conveniunt; propterea merito, quum aliquando bonæ, & aliquando malæ sint, infideles incertæque dicuntur. Addamus denique etiam hoc ipsum in his morbis significari, a quibus ægroti, etsi parum statim meliusculi visi sint, tamen paullo post recidunt, symptomata, & febres redeunt. Atque hæ sunt crises quidem bonæ, etsi non omnino bonæ, plerumque salutares sint, sed minime certæ, & fideles, nec perfectæ, neque perpetuo salutem prædicentes; quum aliquando ab ipsis ægrotos mori contingat. Sed hujusmodi judicium confirmabitur signis, mortem significantibus, quæ si bona erunt, bonum quoque judicium futurum dicemus, licet non perfectum, & forte non sine recidivis. Ceterum esset quoque agendum de bonis crisibus per abscessus futuris, sed quoniam sat accurate agemus de iis, quum de prædictione ex abscessibus particularem sermonem instituemus, ideo lectorem lubens ad eum remittendum duxi. Nunc ad exitiales declinemus.

Nec morbum tollunt.

CAP. XI.

De Crisibus exitialibus cognoscendis.

Crises perniciosæ unde cognoscuntur. PERNICIOSÆ cognoscentur crises contrariis signis, quibus optimas internosci diximus, quæ sunt, quæ nullo coctionis signo conspecto, quippe in principio morbi, apparent, quo tempore natura quicquam boni numquam excernit; certioresque erunt, si in diebus decretoriis apparent; tertio ubi excretiones non respondeant ideæ morborum, uti superius dictum est, vel locis affectis, uti si in hepate inflammato sanguis exeat e nare sinistra, & e dextra, liene affecto, atque itidem utero affecto e naribus, & non per uterum perfluat. Addimus, si excretiones sint per se malæ, & exitiales, de quibus Hippocr. in *primo Epidemior.* Sect. 2. pag. 945. lit. E. ait: *Sudores multi, his tantum aberat, ut recrearent, ut etiam contra læderent.* Et paullo post: Ibidem, pag. 954. inter E. & F. *Paullulum in fronte, & claviculis exsudabant, sed nemo per totum corpus.* Et de iisdem in *tertio Epidemiorum*: Pag. 1089. lit. E. *Sudores intempestivi, frigidi, multi perpetuo; copia urinarum non bonarum, colliquationes malæ.* Et in 1. *lib.* Epidem. Sect. 2. pag. 948. ante lit. H. de vomitibus: *Sed & virulenta vomunt, & ex his quidam subito moriuntur.* Quare crudo plane exsistente morbo, in principio quippe morbi, quo tempore natura nondum coxit, crises non fiunt, nisi, ut superius docuimus, natura maxime a vehementia morbi, & celeritate irritata, ut cogatur aut statim sine pugna succumbere, aut pugnando cum morbo crisin faciat exitialem, qua, si virtus debilis sit,

Ab excretionibus malis.

subi-

ſubito exſtinguitur. Cognoſcitur quoque hæc exitialis excretio, primo, ſi non reſpondeat morbi naturæ, & quum excretio per ſe ſit prava, uti dictum eſt, aut una ſigna letalia conſpiciuntur, qualia ſunt ex urinis nigræ, turbidæ, cum nigris ſedimentis, vomitus virulenti, & colliquationes alvi, quibus in peſte, Romæ olim graſſata, multos fuiſſe interemtos, Galen. *in* 3. *Epidem.* ſcripſit, præterea extremarum refrigerationes non recaleſcentes, de quibus *Hippocrates*: *Epidem. libro primo Sect.* 2. *pagin.* 940. *liter. G. ſudabant ſemper, ſed non toto corpore, multum extremitates frigebant, ut vix calorem reciperent*. Frigidum per os exſpirare, reſpirare itidem per nares. Addamus quoque pernicioſas has criſes ſæpius decipere Medicæ artis ignaros, quod ab ipſis criſibus natura exſtincta, ægroti melius quieſcere videantur, & melius ſe habere, quum tamen ex pulſibus langueſcentibus, ac prioribus atque aliis, eruditi Medici exitium in foribus eſſe cognoſcunt. De iis pulſibus Galen. *in* 3. *de Criſibus* ita habet: *Debilior vero atque inordinatior, & inæqualis eſt pulſus in mortalibus declinationibus, nam una cum aliis tunc calor febrilis exſpirat, atque hinc ſpecies melioris exoritur, deinde paullo poſt, vel, quum ad levandum ventrem ſurrexerint, animi defectum incurrunt, & nonnulli pauco ac tenaci ſudore effuſo moriuntur, vel etiam ſine ſurrectione*. Propterea nos dicimus, criſes bonas ac ſalutares ſubſequi in ægrotis ſtatum meliorem; nam vere quidem quietiores evadunt, quum ſymptomata morbi vel prorſus tolluntur, vel multum minuuntur: ita poſt exitioſas criſes ægroti redduntur inquietiores, debiliores, & ſymptomata ſæve augentur, ni ſtatim exitium ſubſequatur; aut apparent quietiores & liberi magna ex parte a morbo & ſymptomatis, quibus gravantur, ex quibus artis Medicæ ignari putant ægrotos in melius evaſiſſe. Ceterum his non eſt fidendum, & hoc eſt, quod Hippocrat. *in Aphor. Section.* 2. *Aphor.* 27. dixit. *His, quæ non ex ratione levant, non oportet fidere, neque multum formidare mala, quæ præter rationem eveniunt. Plurima enim talia ſtabilia non ſunt, neque multum durare & permanere conſueverunt*. Sed hanc falſam allevationem cognoſcemus, tum quod, ut ait Hippocrat. ipſa ſtabilis non ſit, neque diu bonus hic ſtatus duret, atque etiam quod, ut dictum eſt, ægri languidiores aut non robuſtiores, & pulſus debiliores, inæqualiores, atque pejores evaſerint; unde perfectas criſes continuo exitium ſequitur, veluti imperfectas mutatio in pejus. De iis Hippocrat. *in Epidem. Libr.* 1. *Epidem. Ægr.* 9. *pagin.* 985. de *Critone* ita habet: *Secundo tumor toto pede & ad talum ſubrubeus cum contentione, puſtulæ nigræ, febris acuta, valde inſanivit; dejectiones crebræ, bilioſæ, periit poſtridie quam ægrotare cœperat*. Et de *muliere Dromedai, ibidem, Ægr.* 11. *pagin.* 987. *Sexto die mane ſuperriguit, cito percaluit, toto corpore ſudavit, extrema membra frigida, deliravit, ſpiritus magnus, & rarus*. Paullo poſt: *Convulſiones a capite cœperunt. Subito obiit*. Et *in tertio Epidem. Ægr. tertia pagin.* 1098. de *Pythone*, qui ſupra Herculis fanum decumbebat: *Decimo mane ſine voce, multum frigus, febris acuta, multus ſudor, obiit*. Nunc etiam de criſibus malis & pernicioſis, quæ imperfecte ad interitum judicant, quippe a quibus in pejus fit mutatio, tamen ægroti non ſubito intereunt,

Ex pulſibus.

Ex falſa allevatione.

Vel a Morbi in pejus mutatione.

tereunt, hocque evenit, ut vires prævalidæ contra morbum ſtrenue pugnent, & ut in exitialibus perfectis unica vice pugnans natura, præ imbecillitate, morbo ſuccumbat, ita robuſtam cogitur morbus iteratis vicibus, quod unica pugna non cedat, pugnando ſuperare. Propterea virium magnum robur facit criſes exitiales imperfectas, veluti minus robur perfectas, quo natura ſubito in pugna vincatur. Virium itaque magnum robur ſignum erit in exitialibus morbis criſium futurarum imperfectarum. Eædem notæ erunt imperfectarum, & perfectarum, hoc excepto, quod imperfectæ fiant plerumque cum incepta aliqua humorum coctione, ita ut potius in augmentis fiant, quam in principiis, & non abſque aliquo ſigno coctionis; veluti ſi alvi excrementa fuerint liquida, & poſtea parum incraſſentur, ſed tamen inæqualiter, ita ut ſi hac die craſſiuſcula apparuerint, altera rurſum liquida; & quod ad urinas, quum aliqua ſit in ſedimento bona mutatio, vel in colore, vel in contentis, quæ tamen non ſit ſtabilis, ſed ſtatim redeat ad ſolitam cruditatem. In perniciosis itaque morbis, vires robuſtæ & validæ hujuſmodi imperfectas criſes multas futuras præindicare ſolent, antequam moriantur ægroti, & præſertim, ubi quædam coctionis præludia apparuerint. Nam qui fieri poteſt, ut natura robuſta, in morbum agens, aliqua levi coctione ipſum non mutet? neceſſe eſt enim morbum aliqualiter a natura pati. Hinc in morbis letalibus non raro in excrementis, præſertimque in urinis, ſolent videri quædam ſigna coctionis. Noſque ſæpius in peſtiferis, aliiſque febribus perniciosis, urinas vel tenuiſſimas, rufas, melioris coloris, & craſſiores factas, & craſſas turbidaſque ante exitium claruiſſe, ſedimentumque aliquando habuiſſe, vidimus. Sed hæc præludia coctionis neque augentur, neque ſtabilia ſunt; ſtatim enim mutantur in pejus: & hoc eſt, quod nos monuit *Hippocrat. Aphor.* 27. *Section.* 2. ut dictum eſt, his urinarum aliorumque excrementorum præludiis coctionis, Medicos fidere non debere, hæcque cognoſci ait *Hippocrat.* quod ſtabilia non ſint, neque diu durent. Addamus, quod ex praxi didicimus, quum in morbis apparent criſes cum iis præludiis coctionis, vel etiam abſque letali aliquo ſigno, & febris perſeverat, præludiaque coctionis non augentur, ſigna letalia eſſe exſpectanda; quando illud nobis argumento ſit, naturam propter magnas vires ſe diu ſuſtentare, & ſervare, tamen quicquam morborum cauſarumque non poſſe ſuperare, proinde longo tempore morbo oppugnatam, marceſcere, ſuccumbere, atque exſtingui, eſt neceſſe. Quod proxime *Patauii*, una cum *Alexand. Maſſaria*, & *Hieronymo Aquapendente*, Medicis celeberrimis, in *Marina Teupola* Sereniſſimi ducis *Grimani* nepote, juvene quidem ſanguinea, & moribus vere clariſſima, *Matthæo Mauroceno*, juveni clariſſimo nupta, obſervavi. Hæc enim ex abortu in febrem continuam ardentem incidit, quæ incepit cum graviſſimis ſymptomatis, quippe dolore capitis punctorio vehementi, perpetuis fere vigiliis, vertiginoſo affectu, ſiti intenſa, & perpetua jactatione corporis, ſummaque inquietudine, quæ omnia cum urinis crudis mortem ſubito minabantur; tamen ipſa morbo magnis viribus reluctato, etſi natura numquam quicquam morbi ſuperare potuit, primo ſanguine cum urinis craſſis, obſcuris, rubris, habentibus ſedimenta craſſa, e nare ſiniſtra

Ex virium magno robore.

Ex coctione incepta & non perfecta.

crum-

erumpente, una cum vomitu, & per alvum rejectis copiosis excrementis pituitosis admodum lentis, & bilioſis, interim porraceis, interim æruginoſis, itemque ſudore copioſo, fuit judicata; a qua tamen neque alvi excrementa, quæ perſeverarunt uſque ad exitium, neque urinæ probam umquam coctionem fuere aſſecutæ; neque minus, etſi ſanguinis e naribus excretione, & vomitibus, ac vel etiam aliquando ſudoribus ſæpius fuerit judicata, & exinde videretur ſatis allevata, tamen numquam, ut dictum eſt, excrementa illa probam concoctionem habuerunt, etſi aliquando viderentur, aliqua ſcilicet die, meliorem coctionem accepiſſe, tamen illa concoctio per diem, nec plus, perſeverabat, rurſuſque redibant excrementa ad priorem cruditatis gradum; quo factum eſt, ut dixi, clariſſimam juvenem, propter maximas vires, diu cum morbo pugnando plures criſes imperfectas habuiſſe, quas ego perpetuo malas eſſe ac letales prædixeram; quod nimirum coctiones in excrementis inceptæ numquam a natura augerentur, atque quod numquam immunis febre remanſerit. Sed jam morbo ingraveſcente, viribus tandem reſolutis, poſt multas imperfectas criſes, obiit.

Hanc lubens hiſtoriam adjunxi iis, quæ de his criſibus nobis fuere adnotata, ut clarius ſtudioſi aſſequantur, quomodo debeamus criſes magis imperfectas letaleſque præcognoſcere, quibuſque ſignis nobis innoteſcant; quæ ſunt: quod morbo vel omnino exiſtente crudo fiant, vel cum principio quodam concoctionis; tertium, quod illa præludia concoctionis numquam augeantur, & non durent, inæqualiterque etiam appareant; quartum quod numquam febre ægroti prorſus liberentur: atque hoc eſt, quod Hippocr. *in ſecundo Epidemior. Sect. 1. pag. 999. ſub lit. E.* vocavit *judicatorium non judicans*, quod aut, ut Galen. docet, *eſt difficilis judicii, quippe nullo præ-lucente ſigno letali; aut letale, ubi una cum aliquo exitiali ſigno appareat.* Quintum addimus, has quoque criſes ab excretionibus, judicari ſeu cognoſci, quæ aut ſunt immoderatæ & nihil juvant, aut ſunt paucæ, non reſpondentes noxiorum humorum quantitati excernendæ, de quibus Hippocrat. *in lib. 1. Epidem. Sect. 2. pag. 946. lit. G.* ita habet: *His ſuccedebant abſceſſus, aut majores, quam ut ferre poſſent, aut minores, quam ut prodeſſe quicquam, ſed ſtatim redierunt, & deteriores evaſerunt.* Et ab excretionibus ſudores, aut multi, aut pauciores, de quibus itidem Hippocr. *ibidem, pag. 945. lit. E. Sudores multi, his tantum aberat, ut recrearent, ut etiam contra laederent. Et Ibidem, Sect. 1. pag. 940. lit. G. ſudabant ſemper quidem, ſed non toto corpore.* Et poſtea, *ibidem, Sect. 2. pag. 934. inter E. & F. Paullulum in fronte & claviculis exſudabant, ſed nemo per totum corpus.* Itidem malæ ſanguinis excretiones, de quibus Hippocr. *ibid. pagin. 944. ante lit. F.* etiam dixit: *Hic ſanguis de naribus, niſi paucis, & admodum paucus erupit.* Et poſtea: *ibid. pag. 951. lit. E. Nam* Philiſcus *quidem* Epamenon, & Silenus, *quibus parum quarto die, & quinto, ex naribus ſtillavit, mortem obierunt.* Et de dejectionibus malis: *& ibidem Section. 1. pag. 940. lit. G. Alvi turbatæ erant, bilioſis paucis, meris tenuibus mordacibuſque, & frequenter deſidebant.* Quales vidi in *Guadagnina mea uxore dilectiſſima*, cum febre ardente, quæ tunc exſtincta eſt. Alvi itidem colli-

quationes, de quibus etiam *in 3. Epidem. Pag. 1086. inter B. & C. Unoque verbo, quot longis morbis, vel acutis tenebantur, ventris vitio omnes præcipue mortui ſunt*; & ſic de aliis. Demum vacuationes omnes morbi ideæ non reſpondentes; quippe veluti in pituitoſis meræ bilioſæ, & e contrario, de quibus nuper ſatis accurate egimus; aut locis affectis non reſpondentes; ut quando uterus laborat, ſi ſanguis e naribus erumpat, aut ſi hepar e ſiniſtra, & ſi lien ex dextra. Demum diſtinguuntur eæ criſes imperfectæ a perfectis, quod imperfectæ fiant nullis conſpectis ſignis coctionis, atque viribus minus robuſtis. Ex quo merito, quum natura nequeat quicquam morbi alterare, & concoquere, ſed ſtatim magno morbo, quod magnis viribus non conſtet, prima pugna ſuccumbat. Perfectæ vero fiunt in corporibus robuſtiſſimis, quæ non ſemel, neque bis, ſed pluries morbis oppugnata, & nonniſi ſpatio temporis ſuperantur, quo tempore aliquid contra morbum etiam agentia, ipſa paullulum alterant; hinc quædam ſolent conſpici coctionis veſtigia, licet levia, quæ tamen nedum non augentur, ſed neque diu durant. A ſalutaribus vero etiam diſtinguuntur, eo quod veſtigium coctionis appareat, durat. In ſalutaribus enim præterquam, quod manifeſtiora ſigna coctionis appareant, etiam in dies magis augentur, & ſtabilia videntur, atque in his quoque ægri in melius mutantur, febre aut omnino relinquuntur, aut magna ex parte iiberantur. Sed unum harum exitialium imperfectarum criſium proprium eſſe diximus, quod non niſi in robuſtis corporibus fiant. Cujus veritatis exemplum nobis eſſe, ad id quippe cognoſcendum accommodatiſſimum, illius *mulieris* hiſtoriam, quæ in *mendacium foro* decumbebat, quæ juvenis & robuſtiſſima, ante exitium, plures hujuſmodi pugnans a maximo morbo, & criſes ob virium robur, etſi quicquam morbum alterare non poſſet, ſuſtinuit, de qua *in libr. tertio Epidem Pagin. 1080. Ægr. 12.* Hippocrat. ita habet: *Mulierem, quæ decumbebat in mendacium foro, primo enixam cum dolore maſculum corrupit ignis. Initio ſtatim ſitibunda, cor illi dolebat, faſtidioſa, lingua arida, venter turbatus tenuibus, pauciſque, non dormivit. Altero die aliquantulum riguit, modicus ſecundum caput, & frigidus ſudor. Tertio cum dolore dejecit alvus cruda, multa, tenuia. Quarto ſubriguit, omnia irritata ſunt, inſomnis. Quintum diem laborioſe tranſegit. Sexto eadem erant, alvus reddidit humida, copioſa. Septimo ſuperriguit, febris acuta, ſitis ingens, ſe jactavit, ſub veſperum per totum corpus ſudavit frigidum, frigus partium extremarum, nec redibat illi calor. Iterumque nocte ſuperriguit, extremitates calorem non recipiebant, non dormivit, nonnihil deliravit, ſtatimque ad mentem rediit. Octavo circa meridiem rediit calor, ſitibunda, comatoſa, vomuit bilioſa, pauca, ſubflava. Nocte graviter ſe habuit, nihil quievit, multum affatim minxit inſcia. Nono omnia fuerunt remiſſa, ſub veſperum comatoſa, aliquantulum ſuperriguit, vomuit amara, bilioſa. Decimo rigor, febris exacerbata eſt, nihil dormivit. Mane multam, in qua nihil ſubſideret, reddidit urinam. Extremæ partes receperunt calorem. Undecimo virulenta, bilioſa vomuit, non multo*

Ex vacuationibus morbi ideæ non reſpondentibus. Criſes imperfectæ quomodo a perfectis diſtinguuntur.

poſt

post riguit, rursusque extremæ partes frigescebant. Sub vesperum rigor, sudor frigidus, multum vomuit. Nox gravis fuit. Duodecimo vomuit multa, nigra, fœtida, singultus multus, sitis laboriosa. Tertio decimo nigra, virulenta, multa vomuit, rigor circa meridiem. Quarto decimo die sanguis de naribus. Defuncta est. Annum ætatis agebat circiter septimum decimum. Dignus fuit hujus mulieris casus, ut, ad cognoscendas crises letales imperfectas, a nobis accuratius audiretur; nam omnia signa exitialium imperfectarumque crisium, quæ nuper a nobis producta sunt, in hoc casu facile recognoscentur. Atque hæc de cognoscendis exitialibus crisibus: supereſt, ut ad crisium species, aut modos etiam exacte cognoscendos descendamus, quod scitu certe est dignissimum.

CAP. XII.

De cognoscendis crisibus, quæ per abscessus, et quæ per excretionem sunt futuræ.

PLURIMUM facit ad præsagium salutis vel mortis specialem crisium cognitio, nimirum, an eæ fient per aliquem abscessum, an per aliquam excretionem. Itaque in primis eas crises indicabimus, quæ per abscessum fiunt, & deinceps illas, quæ per humorum excretionem. At quum nomen abscessus sit æquivocum multis diversis competens, hoc ipsoque nomine multa diversa intelligat Hippocrat. propterea hæc omnia distincte sunt cognoscenda. Abscessus nomine Hippocrates aliquando intelligit humoris translationem de una parte corporis in aliam. Hosque abscessus vocat per effluxionem, de quibus *in* 2. *Epidemiorum*, *Sect.* 1. *pag.* 1002. *inter B. et C.* ait, *optimos esse, qui per effluxionem fiunt, cujusmodi est sanguis e naribus, pus ex aure, sputum, et urina.* Quomodo dysenterias, lienterias, tenesmodes, sudoresque, abscessus dixit. Aliquando per abscessum intelligit suppurationem, de qua *in Prognosticis Pag.* 39. *lin.* 1. dixit, *tumores in ventre minus faciunt abscessus, quam in præcordiis*, teste enim Galeno ibi suppurationem intellexit. Tertio intelligit humoris decubitum ad aliquam corporis partem, quo vel dolor & tumor aliquis concitetur. Quomodo nos dicimus, proprie magis abscessus nomine intelligi omnia cutis vitia, & præsertim, quicquid sub cute a causa interna humoris erumpit, quales sunt omnes tumores. De crisibus itaque per abscessus, seu per cutem, seu per tumorem aliquem futuris, quæ fiunt, ubi humores abscedunt ab internis ad cutem, quam aut maculis afficiunt, aut in tumorem levant, nunc sermo a nobis instituitur.

Abscessus quid.

Pro qua re assequenda in primis videndum erit, quænam crises per abscessus, & quænam per humorum excretiones fiant. Hoc vero facile cognoscemus, quum recte humorum in corporibus inclinationem cognoverimus, utrum inquam humores transmittentur tantum de parte ad partem, an præterquam quod transmittuntur, etiam foras excernentur per meatus, vacuandis humoribus destinatos. Hoc modo crises per excretiones; &

Crises quæ per Abscessus fiant quomodo cognoscuntur.

illo per abſceſſus fieri dicimus. De quo modo criſium Galen. *in lib. 3. de Criſibus* ita ſcripſit: *Summatim enim nihil aliud oportet conſiderare in modo criſis, præter naturæ inclinationem, quam manifeſte oſtendit* Hippocr. *in Prognoſticis, Pag. 45. et 46. partim quidem oris ventriculi morſum, atque rigorem memorans, in quibus vomitus ſubſecuturus eſt; partim ſpirandi difficultatem, & oculorum alucinationes, in quibus profluvium ſanguinis e naribus exſpectatur; ac præter iſta diſtinguens de urinis, & alvi excrementis, in quibus inquit Prognoſt. pag. 43. lin. 9. et ſeq. Si neque bilioſa fuerint alvi excrementa, neque facile ſolubilia, & impermiſta, neque urina multa valde, & multam habens ſubſidentiam. Si quid enim tale fuerit, manifeſtum eſt, quod huc repit ægritudo, & per illa expurgatur; quum vero huc non repit, & protrahitur morbus, cum ſignis tamen ſalubribus, futurum abſceſſum exſpectare oportet.* In tertio vero *Prognoſt.* Galen. ſcribit, morboſa calidioribus humoribus cum ægri viribus vehementioribus per excretionem judicari; atque his contrarias eſſe affectiones, in quibus facultas debilis eſt, & humor frigidus, quæ nec excretione nec abſceſſu deſiſtunt; ſed hæc aut corrumpere ægrum, aut perquam longo temporis ſpatio vix coqui obſervamus. At humores calidi non egent facultate valida, ut abſceſſus fiant, veluti frigidi, qui nonniſi a robuſta vi moventur ad abſceſſum. Ex quibus præter criſis modum ex humorum inclinatione cognoſcendum, quippe ad abſceſſum inclinatum iri morbos, ubi neque ſigna vomituum, neque hæmorrhagiæ, ideſt, ſanguinis fluxus, neque alvi dejectionum, neque ſudorum, neque urinarum copioſarum apparuerint; etiam hoc itidem ex virium magnitudine, & humorum morbos foventium natura, conjici poterit: ex humoribus enim calidioribus facilius excretiones, abſceſſus vero, ubi ad excretionem natura nullam habebit inclinationem, neque hi opus habent validioribus viribus, quum ſuapte natura facile ex parte ad partem moveantur, & decumbant, crudi vero ac craſſi plerumque in corporibus robuſtis, ſi longius morbus protrahatur, abſque ſignis exitialibus, in abſceſſum aliquem decumbent. De his Galen. *in 3. Prognoſt. comm.* ita habet: *Hos igitur aſſolet natura in partem quamdam ignobiliorem expellere, quoties per excretionem corpus nequeat.* Sæpe enim definitum jam eſt, ut humores calidiores tenuioreſque paratiſſimi ſint ad excretionem, crudis vero & craſſis aut per abſceſſum, aut per concoctionem natura medeatur. Sed age ſigna modo dicamus, quibus futuros abſceſſus in morbis præſcimus. Galen. *in libr. 3. de Criſibus capit. ult.* ſcribit in morbis acutis & calidis, ſi criſis fiat primis periodis, excretionem ſperandam eſſe; ac ſi morbus fuerit diuturnus & tardus, atque urinæ fuerint longo tempore tenues & crudæ, abſceſſum futurum. At hæc non ſatis ſunt ad abſceſſus prænoſcendos; plura enim addi eſt opus: & primo, quod morbus habeat ſigna ſalutaria, corporaque viribus ſatis conſtent. Quum dictum ſit, debilem facultatem non poſſe crudos craſſoſque humores movere ex viſceribus ad partes ignobiles, ad quas decumbentes humores abſceſſus faciunt. Quod morbi, longi, & tardi ab humoribus craſſis & crudis foveantur, ſatis liquido conſtat, quodque hi quoque humores non facile, vel etiam a robuſta natura, moveantur ad

Abſceſſus quibus ſignis in morbis prævidentur.

excre-

excretionem, ex Galeno dictum eſt; quapropter neceſſe eſt, ut aut ægrotum corrumpant; aut, ſi convaliturus ſit, ut excretis ad aliquam partem ignobilem abſceſſus fiant, vel paullatim concoquantur; tametſi hoc ipſum, ut per concoctionem medeatur, teſte Galeno, excretio quædam eſt, quæ per urinam magna ex parte lapſam ſit, raro per alvum.

Signa vero futuri abſceſſus Galen. hiſce verbis complexus eſt, dicens: *Si vero ad abſceſſus convertuntur, communia quidem omnium indicia ſunt, ſalutariter ſe habente ægro, quod neque morbus ſolvatur, neque urina multa, & multam habens ſubſidentiam, ſed cruda & tenuis appareat.* Quæ ex Hippocrate accepit, *in ſecundo libro Prognoſt. Pagin. 43. lin. 7. et ſeq. text. 26.* ita habente: *Conſiderandum eſt in hunc modum: ſi febris detinet, & dolor non deſinit, & puris excreatio non excernitur ex ratione, neque biliosæ fuerint alvi dejectiones, neque ſolutiores, at ſinceræ, nec urina admodum multa craſſa, ac plenius obtineat ſedimentum, promittitur vero ab omnibus aliis ſignis ſalutare, his tales fore abſceſſus ſperandum eſt.* De urinis abſceſſus ſignificantibus *in ſecundo Prognoſticorum Pag. 40. lin. 48. et ſeq. textu trigeſimoquarto* ait: *Quicumque autem mingunt urinam tenuem ac crudam multo tempore, ſi quidem alia ipſis ſigna ſalubria affuerint, his abſceſſum exſpectare oportet, ad loca, quæ ſub ſepto tranſverſo ſunt.* Idem fere & *in libro tertio, Pag. 45. lin. 38. et ſeq.* ita legitur: *Si qua febris prorogatur, ſalvo affecto homine, nec dolore detinente aut ob aliquam inflammationem, aut ob aliquam cauſam evidentem, exſpectari oportet abſceſſum cum tumore aut dolore, qui in articulos maxime inferiores decumbat.* Galenus ait, ſpem eſſe futuri abſceſſus, ubi febris neque propter aliquam partem affectam curatu difficilem, neque propter commiſſum aliquem errorem prorogetur; neceſſe enim eſt ex craſſis crudiſque humoribus, quos ſæpe natura ſolet ad ignobilem partem e viſceribus protrudere, febrem prorograri. De quibus *in lib. 4. Aphor. 44.* dixit: *Quibus adſunt febres longæ, iis tubercula, aut dolores circa articulos fiant.* Quare ubi febris ultra diem vigeſimum prorogatur, teſte Hippocrate *in tertio Prognoſt. Pag. 45. lin. 46. text 25.* quum dies vigeſimus ſit terminus acutorum morborum, in morbo quidem ſalutari, & urina tenuis, & cruda, longo tempore mingatur, converti ad abſceſſum morbum ſperare poſſumus, eoque magis, ubi humoris alicujus craſſi purgationem ſubſequatur; ſolvitur enim morbus. De quo nos Hippocrates *in 4. Aphor. 74.* commonuit, ita dicens: *Quibus ſpes eſt in articulis fore abſceſſum, liberat eos ab abſceſſu urina multa, & craſſa, & alba, qualis in febribus, cum laſſitudine, quarta die, quibuſdam fieri incipit.* Unum videtur neceſſario cognoſcendum, quippe, quibus ſignis morbum eſſe ſalutarem cognoſcamus. Quod Hippocrates *in lib. 3. Prognoſt. Pag. 44. lin. 25. et ſeq. text. 10.* ita habet: *Qui enim convaliturus eſt, facilius ſpirat, ſine dolore agit, noctu dormit, & alia ſigna ſecuriſſima habet.* Quare hæc erunt ſigna communia abſceſſus futuri; propria vero, quæ in partibus aut ſupernis aut infernis futuros denotent, Hippocr. *in 2. Prognoſt. Pag. 43. lin. 14. et ſeq. text. 62.* ita eſt complexus: *Abſceſſus conſiſtunt hi in locis infernis, quibus circa ilia inflammatio fatigat; illi in ſupernis, in quibus ilia molliora, et ſine dolore perſiſtunt.*

ſiſtunt. Si vero aliquandiu ſpiret difficulter, ſine aliqua alia cauſa deſinet: Quæ Galenus *in tertio de Criſibus capit. ult.* etiam docuit, dicens, *abſceſſus ſperandos ad loca inferiora, quibus circum præcordia, aliquid inflammationis atque caloris affuerit; et ad loca ſuperiora ubi repunt, præcordia mollia perpetuo eſſe ac ſine dolore, et æger ad aliquod tempus anhelitum habebit difficilem, ſine occaſione manifeſta, et poſtea ceſſabit.*

Loca ad quæ Abſceſſus futuri quomodo cognoſcuntur.

Sed particulatim locorum, ad quæ futuri abſceſſus fiant, ſigna paullo poſt hiſce verbis expreſſit *Galen.* dicens: *Propria vero (ubi morbus non fuerit valde diuturnus) ſi ſubita difficultas anhelitus laboranti ſuperveniens, mox quieſcat, eamque gravitas capitis ac dolor ſubſequatur, gravis ſomnus ac ſurditas, huic in glandibus poſt aures neceſſe eſt abſceſſus fieri. Si vero morbus jamdiu duraverit, neque ullum ex his ſignis affuerit, ſed in aliquo ex locis inferioribus, vel gravitas, vel tenſio, vel inflammatio, vel dolor apparuerit, huic abſceſſus ad partes inferiores eſt exſpectandus.* Auctor vero Prorrheticorum *in Lib. 1. Prorrhet. text.* 168. de parotidibus ita habet: *Somnus gravis cum dolore capitis, et ſurditas ſtatim adveniens ſunt ſigna parotidum.* Sed longe plura ibi de ratione futuras parotidas prægnoſcendi ſcribuntur, quæ brevitati ſtudens lubens omitto; atque enim, quod, ubi de prædictione a parotidibus ex propoſito agemus, hæc omnia longe accuratius adducere cogemur. Atque hæc de criſibus per abſceſſus futuris dicta ſint. Nunc de cognoſcendis criſibus, quæ per excretionem fiunt, agendum, quippe quæ, aut per fluxum ſanguinis, aut per vomitum, aut per alvi dejectionem, aut per ſudorem, aut denique per urinam fiunt. Exordimur vero ab iis, quæ ſanguinis eruptione fiunt.

CAP. XIII.

De prædicenda criſi per ſanguinis eruptionem, ſeu fluxum.

Criſium ſpecies unde cognoſcuntur.

JAM deſcendimus ad cognoſcendas criſium ſpecies, quæ humorum excretione obſervantur, quæ quidem cognoſcentur a conſtitutione temporis, ægri natura, morbi ſpecie, motu atque naturæ humorumque inclinatione. Diximus ſuperius ex temporis conſtitutione criſes indagantes, & ægri natura, morbi ſpecie, & motu morbi, ſciri poſſe criſes, quæ per excretiones, & quæ per abſceſſus futuræ ſunt. Nunc dicemus, quo natura, & humores inclinabunt, eo criſes fieri neceſſe erit, ut docuit Galen. *in lib. de Criſib. capit. ultim.* Duplex vero quum ſit ipſorum inclinatio, una ad interiora, atque altera ad exteriora; ad exteriora ubi inclinaverint humores, criſes aut per ſudorem, aut per hæmorrhagiam, ideſt, ſanguinis fluxum fient, quæ nobis innoteſcent ex pulſuum & hypochondriorum obſervatione. Ad interiora vero humoribus natura habentibus inclinationem, criſes fient aut per vomitus, aut per dejectiones, aut per urinas, aut per hæmorrhoidas, aut per menſes. Sed age, agamus primo de his criſibus, quæ per hæmorrhagiam ſeu ſanguinis fluxum, ſeu eruptionem fiunt. Hæ enim ceteris videntur anteferendæ, quod

Criſes quales futuræ unde noſcuntur.

ſæpius

ſæpius morbos acutos judicent, tum fidelius, ac certius perfectiuſque. Plures etenim fuerunt, qui ſanguinis hæmorrhagia ſeu eruptione larga e naribus fuere liberati, etiamſi tuta ſigna non haberent, quod Hippocrat. in *Metone Libr.* 1. *Epidemior. Ægr.* 7. *pagin.* 983. vidit, de quo Galen. *Epidem.* 3. *text.* 24. ait: *Largæ de naribus eruptiones aberant fere; ſane enim a ſola videtur ſanguinis eruptione & judicatus, & ſervatus, quamvis non omnino tuta ſigna haberet.* Quare ab ipſis exordiamur, venemurque ſigna, quibus futuræ ſanguinis excretiones, ſeu eruptiones e naribus innoteſcant: ſtatuamus itaque febrem ardentem, vel ſynochum, aut ſimplicem, aut cum alicujus viſceris inflammatione, in qua, propter ipſius magnitudinem, & celerem & fortem motum ac calidam naturam, concurrentibus calidiore ægroti natura, victus & ætatis temperamento, annique conſtitutione calida, æſtivo anni tempore, itemque, loco calido, criſis per excretionem eſt ſperanda, ſi per ſanguinis hæmorrhagiam erit futura, proculdubio omnia aderunt ſymptomata, quæ ſanguinis copia concitabit, a venis ipſis, e quibus ad caput fertur, omnibus in locis permeabit: hinc fit, quod ſi per naturalia membra ad caput feratur, ægroti in primis repente in intenſionem hypochondriorum incidant, & aliquando in difficilem, propter ipſorum diſtenſionem, reſpirationem: ſed hæc ſequitur tenſa hypochondria; veluti ſi per membra ſpiritalia vocata, ſeu reſpirationi deſtinata, ſanguis tranſeat repente, in inſpirandi difficultatem veniunt, quibus tamen cito liberantur, utpote ſanguine ad caput perveniente, in ipſoque ſymptomata concitante, exindeque partes infernæ liberantur; itaque caput gravatur, dolet, & prius aliquid in collo tendi ſentitur, aut in ſincipite aurium tinnitus aliquando ſentiunt, & aliquando ſurditatem; oculorum viſio hebetatur, obſcuratur, aut ſplendores oculis obverſantur, facies rubeſcit, ſcilicet oculi, genæ, atque nares. Atque hæc erunt hæmorrhagica ſigna, quibus præcognoſcimus & prædicemus criſes per ſanguinis eruptionem e naribus. Quæ omnia Hippocrat. quaſi divina mens loquens, hiſce verbis *in primo Epidem. Sect.* 2. *pag.* 948. *ſub finem*, eſt complexus: *In ardentibus autem ceteriſque febribus, quos colli dolor, temporum gravitas, caligo oculorum, vel hypochondrii etiam contentio, neque cum dolore corripit, his e naribus ſanguis erumpit.* Et in *libro tertio Prognoſticorum, Pagin.* 44. *lin.* 34. *& ſeq.* ex Galeni ſententia dixit: *Capitis dolores vehementes, et continui, cum febre, ſi quod ex indiciis exſtiterit exitioſis, integre letales ſunt. Si vero ex iis, quæ didiciſti, de ægro tamquam convaliturο quicquam ſperes, a principio quidem ad ſeptimum diem ſanguinis e naribus fluorem exſpectato; procedente vero tempore id quidem etiam; pus vero erumpet e naribus aut auribus in ſalutem ægri. Si vero ad vigeſimum extendatur diem doloris accidens in capite, tunc etiam ſanguinis fluorem exſpectabis rarius, magis vero ſuppurationem, aut abſceſſum ad inferas ſedes exſpectato. Sed per illud tempus, quo ſanguinis fluorem exſpectabis, augebit tibi exſpectationem, ſi in temporibus ac fronte dolor vehemens perſeveret. Magis autem expectari ſanguinis oportet eruptionem in junioribus triginta quinque annis, in ſenioribus ſuppurationem.*

Criſes quænam per hæmorrhagiam.

Hæmorrhagiæ futuræ ſigna.

Quæ

Quæ hæmorrhagiæ futuræ ſigna clarius poſtea expreſſit, *in 3. Prognoſt. p. 46. lin. 15. & ſeq. text. 33.* dicens: *Quibus vero per talem febrem dolet caput, & pro tenebris ob oculos effuſis hebetudines ſubeunt oculorum, ac ſplendor obvertitur, & pro oris ventriculi morſu, circa hypocondrium, aut læva parte, aut dextra, aliquid contenditur, neque cum dolore, neque cum inflammatione; ſanguinem de naribus in his fluere, pro vomitione exſpectandum eſt. Magis vero & hic in juvenibus ſanguinis fluorem exſpectare oportet. Agentibus vero trigeſimum annum, aut etiam ſenioribus, minus; ſed vomitionem in talibus exſpectari oportet.* His ſignis alia adduntur ſcripta quum in Prorrheticis, tum in Coacis præſagiis: *in lib.* enim *1. Prorrhet. text. 135.* ita habet: *Capitis affecti gravitate & ſincipite dolentes, pervigileſque, ſanguinem profundunt, tum alias, tum ſi quippiam in cervice tendat. Ibidem. text. 136. Qui pervigilaverint repente, cum inquietatione quadam, ſanguinem profundunt tum alias, tum ſi quippiam* (ut melius *in Coacis præſ. Coac. 111. text. 32.* legitur) *fluxerit ante cervicis dolores. Lib. 1. Prorrhet. text. 137.* Nec non *impenſe rubri oculi ſanguinis eruptionem oſtendunt.* Et poſtea *ibidem text. 143. Per ea, quæ caput concutiunt, & quæ ſonitum faciunt, ſanguinem per nares profundere ſperandum eſt. Ibid. text. 144. Ventris quoque palpitationes* (ideſt ex Galen. pulſus arteriæ ſpinam perreptantis) *cum hypochondrii tenſione ſublonga & tumente, ſanguinis indicant eruptionem. Ibid. text. 147.* Et *hypochondrii tenſio cum capitis gravitate & ſurditate, & quæ ſplendores perturbant, ſanguinis denuntiant profuſionem.* Et in *Coac. præſag. Text. 142.* hæc etiam leguntur: *Quibus febricitantibus rubores in facie, & capitis vehemens dolor, venarumque pulſus, iis ut plurimum fluor ſit ſanguinis.* Et *in 3. lib. Coac. 111. ſec. 1. text. 17. Qui e pervigiliis anxietate repente capiuntur, ſanguinem profundunt e naribus, tum alias tum ſi quid antea effluxerit.* Et *in libro quarto. Ibidem 131. text. 26. 27. In febre ardente aurium ſonitus ſuperveniens cum obſcuratione viſus, & gravitate in nares incumbente, vehementem inſaniam firmamque denuntiant, niſi largiter perfluat ſanguis e naribus.* Et *Coac. 167.* libro quinto: *Pulſationes in capite, ſonitus aurium, profluvium ſanguinis ſignant. Ibid. 168.* Et *qui gravitate capitis laborant, dolentque ſincipite, vigiles, ſanguinem e naribus fundunt, tum alias, tum ſi quid tendi in collo ſentiant. Ibid. 195. Et quibus ſurditas, cum capitis gravitate & hypochondrii tenſione, & ad ſplendorem oculi perturbatione, profluvium ſanguinis ſignificatur.* Atque hæc ſunt, quæ de ſignis hæmorrhagicis quum *in libris Epidemiis* Hippocr. tum *in Prognoſticis*, & *in Prorrheticis*, atque *in Coacis præſagiis* nos colligere potuimus, a quibus nobis innoteſcent criſes per fluorem ſanguinis e naribus, quæ hæc eruut. In febribus ardentibus, ceteriſque aliis acutis, vehementibus, & in præcordiorum inflammationibus, omniumque maxime hepatis atque lienis, non raro etiam in phreniticis: hos enim affectus præſertim ſanguinis eruptiones judicant: vigiliæ repentinæ, & inquietudines ſunt ſigna hæmorrhagica; ſed tamen plerumque communia criſium futurarum; quibus quidem conſpectis ſignis, criſis ſperetur, ſed an per hæmorrhagiam, an per vomitum, & an alio modo, ſit futura, ex propriis ſignis diſtinguetur: quod ſi, his

conſpe-

conſpectis, cœperit in die critico, vel hæmorrhagia, vel vomitus, vel fluxio alvi, vel ſudores, vel alia evacuatio, forte poterimus ex iis ſignis conſpectis ſimilem excretionem prædicere. De quo *in 3. Coac. Text.* 111. *præſag.* 40. legitur: *Qui e pervigiliis anxietate repente capiuntur, ſanguinem fundunt e naribus, tum alias, tum ſi quid antea effluxerit.* Galen. his duobus ſignis addidit capitis dolorem, ita ut in capitis doloribus vigiliæ repentinæ atque inquietudines ſanguinem fluxurum ſignificent, eoque magis, ſi antea fluere cœperit. Ex propriis vero ſignis eſt dolor capitis, ſine quo raro ſoleat ſuccedere hæmorrhagia. Ex quo merito, Hippocrat. *in 1. Prognoſt. Pag.* 38. *lin.* 45. *et ſeq. text.* 22. ait: *Accidit in prima circuitione jam ſanguinis e naribus fluor, atque admodum juvat; ſed requirendum eſt, num doleat caput, an hebetudines habeant oculorum, ſi quid enim horum fuerit, eo tendet.* In *Epidemiis Lib.* 1. *ſect.* 2. *pag.* 948. *ſub finem*, expreſſit *temporum gravitatem*, & *in Prognoſticis, Pag.* 44. *lin.* 34. *et ſeq. capitis dolorem vehementem*; in *Prorrheticis Lib.* 1. *text.* 135. *et* 137. *ſincipitis dolorem*, aliquando *cervicis dolorem*, & *capitis gravitatem*, & in *Coacis præſagiis Text.* 142. 168. 195. *vehementem capitis dolorem*, & *capitis* etiam *gravitatem* nominat, & *dolorem ſincipitis:* addamus, qui hæmorrhagiam denotat, debere eſſe calidum, diſtendentem, ac pulſantem. Hocque eſt unum ex præcipuis ſignis, quæ ante hæmorrhagiam attendi debebant.

In *Metone*, in quo die quarto bis de nare dextra fluxit ſanguis, in die tertia capitis gravitatem fuiſſe, Hippocr. *in Epid. Lib.* 1. *Ægr.* 7. *pag.* 983. *text.* 77. notavit, poſteaque auctam: & in *Pericle, Libr.* 3. *Epid. Ægr.* 6. *pag.* 1102. dolorem primo, & poſtea caput gravatum, præceſſiſſe ſanguinis eruptionem. Hoc ſignum vero, non proprium, ſed commune ad ſanguinis fluxum, & ad vomitum eſſe, Galen. *in lib.* 3. *de criſibus cap. ult.* ſtatuit. Ceterum, qui vomitus præſagiunt, dolores mordaces eſſe, docuit. Addamus, neque perpetuo antecedere capitis dolores; ſed ſine aliquo gravitatis ſenſu, videtur impoſſibile fieri poſſe hæmorrhagiam, quum non poſſit multus ſanguis in capite aliquam moram facere, abſque quo caput gravetur: ſed tamen aliquando copioſiſſimus ſanguis repente aſcendens, & erumpens, nullam aut obſcuriſſimam gravitatem capiti infert. Hoc in febribus non acutis ſæpe obſervatur. Quod mihi contigit, qui poſt quartanam febrem, quæ nondum fuerat reſoluta, repente exſpui, & per nares rejeci ad minus ſanguinem ſex librarum ponderis, quo quartana febris (quod eſt rariſſimum) prorſus fuit judicata. Ceterum in acutis febribus raro ſit, ut erumpat ſanguis, non prægreſſo in capite aliquo vel gravitatis vel doloris ſenſu. Poſt dolorem capitis ſequitur ſurditas, atque aurium tinnitus, quæ ſolent eſſe ſigna quoque hæmorrhagica.

In me ante illam copioſam ſanguinis excretionem tinnitus faſtidioſus in dextra aure præceſſit. Quod ſignum notavit Hippocrat. in *Prorrhet. Lib.* 1. *text.* 143. & auctor *Coacorum præſagiorum*, *Text.* 194. Surditatem etiam ante hæmorrhagiam obſervari, quum in *Prorrheticis*, *Lib.* 1. *text.* 147. tum in *Coacis præſagiis Text.* 195. habetur. Quod ſignum vidit in *Virgine Abderæ*, *Lib.* 3. *Epidem. Ægr.* 7. *pag.* 1103. atque in *Heropytho*, *Ibidem ægr.* 9. *pag.*

9. *pag.* 1106. antequam erumperet ſanguis. His quoque addimus pulſus venarum in capite, de quo in 5. *Coac. præſ. Text.* 142. *Quibus febricitantibus rubores in facie et capitis vehemens dolor, venarumque pulſus, iis ut plurimum fluor ſit ſanguinis.* Micatio enim venarum & agitatio ferventis, & concitati ad exitum ſanguinis indicium eſt. Addimus cervicis, & colli tenſionem, de quibus ad hæmorrhagiam, auctorem *Coacorum præſagiorum Text.* 168. meminiſſe ſuperius vidimus; adduntur *in* 3. *Prorrheticorum Lib.* 1. *text.* 144. ventris quoque palpitationes, forte pulſus arteriæ ſpinam perreptantis.

Hæmorrhagia futuræ ſigna magis propria.

Sed nondum attigimus propria ſolius hæmorrhagiæ ſigna, ſed quæ ad alias excretiones ſunt communia. Nam dolores capitis, vigiliæ, deliria, capitis partium tenſiones, ſurditates, tinnitus aurium, venarumque pulſus, ſunt ſigna ſane critica non uni, ſed multis criſium ſpeciebus communia. Sequuntur ſigna magis propria, quæ ſunt hypochondrii vel dextri vel ſiniſtri tenſio, ſublonga, (tumentem addidit auctor *Prorrheticorum* Lib. 1. text. 144.) quod tamen non perpetuo fit, ſed aliquando mediis muſculis, teſte Galeno, a thorace ad pubis oſſa pertinentibus, tenſis: ſed neque hæc hypochondriorum tenſio perpetuo eſt hæmorrhagica, ſed & quæ fit aut in dextro, aut in ſiniſtro; quod ſignum Hippocr. in *Epidem. Lib.* 1. *ſect.* 2. *pag.* 948. tum in *Prognoſticis*, *Pag.* 46. *lin.* 15. *et ſeq.* hæmorrhagicum fecit. Plurimum enim facit, ad hæmorrhagiam prædicendam, reſpirandi difficultas repente ſi apparuerit. Quod Galen. *in libr.* 3. *de Criſib. cap. ult.* ita expreſſit: *Eſt etiam præcordiorum tenſio ſine dolore; nam & hoc non parvum indicium eſt ſanguinis ad ſuperiora tendentis, ſicuti etiam difficultas anhelitus, nam & hæc ſanguine tranſeunte in thoracem fit.* Quum itaque (ut etiam ait Galen. *in* 1. *Epidem.*) in hypochondrii, aut dextra aut læva parte aliquid contenditur, neque cum dolore, neque cum inflammatione, ſanguinis his e naribus profluvium exſpectandum; eſt enim impetus humorum in caput, hypochondrii ſine dolore contentio, ſignum. Quod quidem ſi ei accidat, dolor inflammationem ſequitur viſcerum. Quando vero calore capitis, ſurſum ſanguinem trahente, & jecore impellente, contentio fiat, ſanguinis eſt exſpectanda eruptio. Non raro etiam fit, etſi ſanguis per thoracem haud tranſeat, ex magna ejuſdem ſanguinis copia, tumeſcentibus hypochondriis, ut etiam ægrotus ſpiritu difficili laboret. Feminam quondam Ægyptiam *Cayri* novi, quæ ſingulis menſibus ſanguine menſtruo, interceptis ad uterum viis, in caput ſublato, per nares erumpente vacuabatur; quo tempore aſcendebant, cum magna utriuſque hypochondrii tenſione, abſque dolore, & cum difficillima reſpiratione, vexabatur. Addo, quod quum tenſio hypochondriorum tum reſpirandi difficultas hæmorrhagica repente fiunt, atque paullo poſt ceſſant, de qua Hippocr. *in* 2. *Prognoſticorum*, *Pag.* 43. *lin.* 17. ait: *Si vero aliquandiu ſpiret difficulter, ſine aliqua alia cauſa deſinet.*

Poſt hypochondriorum tenſionem, aliud ſignum eſt ex viſu ſpectandum; namque Hippocr. in *Epidemiis Lib.* 1. *Sect.* 2. *pag.* 984. *ſub finem*, ſcripſit, in iis, quibus per nares fluxurus eſt ſanguis, caliginem oculorum fieri,

& *in*

& *in Prognoſticis*, *Pag.* 46. *lin.* 15. viſum hebetem habere, quo fit, ut caligo oculorum, hebeſque viſus hæmorrhagiam prænuntient. Galen. vero *in lib.* 3. *de Criſib.* & *de præſ. ad Poſthumum*, ait: *fulgoris motus oculis obverſari, quod humor flavus ſit, atque obtuſiores viſus fieri, quoniam multus ſanguis, & totus ſimul elatus ad ſuperiora ſpiritus meatus obſerat.* Aliquando expaveſcunt ægroti ex quibuſdam rubris ſpectris, ut juveni Romano, de quo Galen. *in libro ad Poſthum.* meminit, contingit, cui antequam ſanguis eruperit, ei rubri coloris ſerpentem per laquearia repentem ſupra lectulum ferri viſum fuit, proptereaque ipſum expaviſſe, & e lectulo aufugere voluiſſe. Non raro etiam oculi involuntarie lacrymant ob fluxus ſanguinis copiam, teſte Galen. de quo ſigno Hippocrat. *in primo Epidemiorum Sect.* 2. *pag.* 956. *lit. F.* ait: *Quibus in febribus acutis, atque adeo ardentibus, ſpontaneæ effluunt lacrymæ, his eſt (ſi quidem reliqua non ſint exitialia) e naribus ſanguinis eruptio exſpectanda. Qui incommode habent, his non ſanguinis eruptionem, verum portendunt mortem.* Quare cum aliis ſignis in acutis febribus, ſi reliqua ſalutaria ſint, involuntariæ lacrymæ hæmorrhagiam prænuntiant, quod Galen. *in lib.* 3. *Prognoſt. com.* 33. docuit, atque in *ſexto* etiam *Epidem.* confirmavit. Nos vero de hoc ſigno in proximo libro ſatis accurate ſcripſimus. Nunc ex ſignis explicatis quaſi ad hæmorrhagiam acceſſimus, quæ tamen non videbitur, neque fiet etiam, ni prius facies rubore ſuffundatur; quod ſane ſignum eſt neceſſarium, numquam abſque hoc ſanguinis eruptio fit. Faciei enim partes omnes, & præſertim prope nares poſitæ, rubræ coloratioreſque apparent, ex præſentia inquam ſanguinis, *in Prorrheticorum Lib.* 1. *text.* 137. legitur, *oculos impenſe rubros ſignificare cum cervicis dolore hæmorrhagiam*, & Galen. ait: *In re ejuſmodi magna præſtant virtute impenſe rubri oculi.* Auctor de *Coacis præſagiis Text.* 142. rubores in facie ſanguinis fluorem ſignificare ſcripſit; Galen. vero quum *in tertio de Criſibus cap. ultim.* tum omnium maxime *in libr. ad Poſthumum capit.* 13. malarum nariumque ruborem proximam hæmorrhagiam connotare expreſſit. Neque immerito, quum ſanguinis copia cutis, repletis ipſius venis, coloretur; hinc etiam narium gravitatem fieri adnotatum eſt in *Coac. præſag. Text.* 131. Ceterum ruborem faciei diſtinguemus ab eo, qui aut a cerebri inflammatione fit, de quo *in Coac. præſag. Text.* 7. ait: *Facies flammans cum ſudore, malignum. Et in Prorrheticis: Lib.* 1. *text.* 49. *Faciei color bonus, & mæſtitia multa, malum.* Cognoſcetur hæc propriis ſignis inflammati cerebri. Aut ab eo rubore, qui genas colorat, ex pulmonum affectu aliquo, cujuſmodi fieri in peripneumonicis & aſthamaticis, ſuperiori libro declaravimus. Hæc vero, quæ hæmorrhagica eſt, in ſtatu apparet, in morbo ſalutari, una cum aliquo, vel multis ſignorum nuper dictorum. Atque tot ſunt omnia ſigna, quibus ſanguinem erupturum e naribus quiſque noſtrum poterit præſagire. At quoniam omnia perpetuo ſimul non apparent, proinde ſi duo vel tria ex præcipuis illuxerint, ſufficient ad hæmorrhagiam prædicendam. Præcipua vero ſunt, ex Hippocrate & Galeno, capitis dolor; quod ſignum inſeparabile eſſe Galen. *in* 1. *ad Glauc.* ſæpius ſtatuit; aut ſincipitis, aut cervicis, aut temporum, ac etiam colli;

Hæmorrhagiæ futuræ ſigna propria.

Hæmorrhagiæ futuræ ſigna præcipua.

vel

vel gravitas; ipſa hebetudo viſus, aut fulgoris motus, aut caliginem oculis obverſari; tenſio hypochondrii ſine dolore, aut difficilis reſpiratio, quæ paullo poſt ceſſant. Rubor item in facie jamjam fluxuro ſanguine; in febre ardente, cauſove vehementi, aut aliqua magna internorum viſcerum inflammatione; atque in juvenile ætate, omniumque maxime in iis, quibus ſolitum ſit alias ſanguinem erumpere. Atque hæc de criſi, quæ per eruptionem ſanguinis e naribus, dicta ſint. Addamus ex Galeno *in primo ad Glauc.* in quo loco de hæmorrhagiæ ſignis ſatis accurate agit, pulſus ſubito in tumorem elatos, non recidentes in parvitatem, neque ſi debiles facti fuerint, multo plus, ſi in altum attollantur, & vehementiam ſumſerint: jam faciem ægrotantis inſpice. Nam ſi aliqua ex iis, quæ in ipſa ſunt, partibus palpitet, aut una, quæ ſunt in temporibus, pulſant, aut gena, vel naſus, vel oculus rubidior factus fuerit, magis etiam criſis exſpectanda eſt: ſi vero & inviti lacrymentur, aut marmarigas, ideſt, ſplendores videre imaginentur, ac manus naribus, veluti ſcalpentes, admoveant, tunc non jam fluxurum, ſed jam fluentem ſanguinem inſpicies; nam ubi ſemel aut bis ſcalpſerint, ſtatim erumpit: neque vero ex his perturberis, ſi hominem deſipientem aut ſalientem inſpexeris; nam & hæc humorum repentium ad partes ſuperiores indicia ſunt, veluti & anhelitus difficilis, & hypochondrium retractum, & collum ſimul cum capite aggravatum.

Hæmorrhagiæ jamjam futuræ ſigna.

CAP. XIV.

De criſi, quæ fit per ſanguinis fluxum, quum ab utero, tum ab hæmorrhoidibus.

Criſis per menſes quando ſit exſpectanda.

SÆPIUS etiam fit in mulieribus, ut criſes fiant ſanguinè per uterum, menſium modo erumpente, qui fluor etiam multis ſignis innoteſcet: primo enim ubi conceperimus, criſin eſſe futuram, videndum erit mulieribus ægrotis, an menſes ſolito modo fluant, vel non, tempuſque probe obſervandum, in quo fluere fuerant ſoliti, ætas, & temperamentum, victus ratio anteacta an ſanguine reſponderint. Poſtea videndum erit, an ſigna aderunt hæmorrhagiæ, aut vomituum, aut ſudorum, aut dejectionum, aut copioſarum urinarum. Quum nulla quidem illuxerint, ſuſpicandum in morbo vehementi criſin per menſes fieri poſſe: quod ſi, ut Galen. *in lib. 3. de Criſibus cap. ult.* docet, adfuerint quoque menſium ſigna propria, quæ ſunt gravitas lumborum effatu digna, dolor, atque tenſio. Sed ut iſtud certum fiat, præſtabit mulierem interrogari, & quam diligenter, quibus ſymptomatis fluentibus vexari ſoleat, atque in criſi prænoſcenda eadem erunt accurate ſpectanda; quum quibuſdam, fluxuris menſibus, lumbi doleant, aliis abdomen, aliis uterus, cruraque, quæ partes ſedulo dolentes obſervatæ multum faciunt ad menſes fluxuros prædicendos. Ceterum in primis, quum criſis futura ſit, videndum erit, an alterius evacuationis futuræ ſigna adſint; quæ ſi non adſint, atque in mulieribus acuta febre vexa-

Sanguinis per uterum fluxuri ſigna.

tis

tis lumbi doleant, ſine manifeſta cauſa, in ipſiſque tenſio ſentiatur, menſtrua fluxura erunt, teſte Galeno *in libro 3. de Criſibus*. Addidit Auctor *Prorrheticorum Lib. 1. text. 142.* febrem laſſitudinariam, & cum rigore, hiſce verbis: *Quibus ex rigore febres laſſitudinariæ fuerint, muliebria his devertunt*. Plures mulieres, vel etiam ſine febre, ante menſtruorum eruptionem ſentiunt quamdam laſſitudinariam affectionem, ex qua una cum dolore lumborum, & tenſione, menſtrua futura prædicant. Addunt & oris ventriculi dolorem, ſeu cardialgiam, ut Galen. notavit *in 3. Prorrhet. Copia enim ſanguinis, in venis acervata, tenue quoddam ſerum in ventrem confluens cardialgias parit, in os ipſius aſcendens, quod omnium fere partium maxime ſentiendi facultate præſtat, plurima autem abundantiæ portio ad inferum repens locum, in quem & primum deferri conſueverat, lumborum dolores efficiet*. Quibus additur etiam in 5. *Coac. præſ. Text. 167. Senſio æſtus ardoriſque circa ſpinam*; ſignum quippe recurrentis ſanguinis per magnam venam, quæ ſpinam perreptat, quæ ad lumbos, maxime fervida motione ſanguinis, æſtuat. Atque hæc ſunt ſigna fluxuri ſanguinis per uterum, quæ adhuc facient indicium magis certum, ſi menſes ſuppreſſi fuerint, atque hæc eo tempore illuceant, quo ſoliti fuerant menſes per valetudinem fluere. Quæ omnia ſigna in homine quidem melancholico, quibus per hæmorrhoidas fluere ſanguis fuerit ſolitus, atque fuerit ſuppreſſus, ſanguinem per hæmorrhoidas fluxurum indicant: primum dolent lumbi ſine cauſa, & diu; os ventriculi itidem dolet, de quibus in *Prorrheticis Lib. 1. text. 130.* legitur: *Lumbis dolentibus cardialgiæ accedentes ſanguinis per hæmorrhoidas erupturi ſigna ſunt: arbitror autem & hos prægreſſa hæmorrhoidum eruptionis ſignum eſſe*. Præſentis autem affectionis (ait Galen.) perſpicua ſymptomata, nempe copia in venis acervata, ſerum tenue quoddam, in ventrem confluens, cardialgias parit, in os ipſius aſcendens, & multa ſanguinis portio deorſum tendens lumborum dolores facit.

Sanguinis per hæmorrhoides fluxuri ſigna.

Quare dolor lumborum, tenſio, laſſitudinis ſenſus, dolor ventriculi oris, atque æſtus & ardoris ſenſus circa ſpinam dorſi, in hominibus melancholicis, aut mali habitus, ſanguinem per hæmorrhoidas fluxurum indicant, præſertimque ſi alias fluxerit, & modo fuerit interceptus: *in 3. Coac. præſag. Text. 306. Dolores in lumbis eruptiones ſanguinis ſignificant*, quæ ſine manifeſta cauſa in melancholicis, & quibus conſuetæ ſunt hæmorrhoides, magis accedit. Sed ſatis de cognoſcenda criſi, quæ fit per ſanguinis eruptionem, diximus. Nunc ad eam, quæ vomitibus innoteſcit, deſcendamus.

CAP. XV.

De cognoſcenda criſi, quæ per vomitum fit.

Criſis quomodo per vomitum futura cognoſcitur.

QUUM non raro ſoleat criſis vomitibus fieri, morboſque judicare, propterea neceſſe eſt, ut ſigna quoque, quibus nobis hæc innoteſcet, ſedulo cognoſcamus. Quæ Galen. *in lib. 3. de Criſib.* hæc eſſe ſtatuit, quippe dolorem capitis mordicantem, ſeu acrem, ſeu acutum, oculis tenebroſum,

ſum, ſeu caliginem obverſari, morſus oris ventriculi, faſtidium ac nauſeam; ſeu ſubverſionem, ubi præſertim eſt futurus pituitoſus, ſputum tenue abundanter ex ore affluere, labiumque inferius agitare, ſeu tremere, pulſuſque inæquales altos atque duros; alii addunt jactationem ſeu inquietationem, linguæ amaritudinem, rigores, ſpirandi difficultatem. Ceterum, ut futuri vomitus rationem habeamus, primum ſciamus, ex motu humorum ad ſtomachum, futurum vomitum facile cognoſci; quoniam natura a venis ad ipſum ventriculum humores noxios tranſmittens, & expultricis ſtomachi irritationem ad excernendum ſeu expellendum movet, qua vomitus fiunt. Itaque quum humor per venas æſtuat, agitatur, moveturque ad ſtomachum, anxios ægrotos, & inquietos reddit, quod tamen ſignum in omnibus fere criſibus obſervari ſolet. Primo vero ob exhalationem humorum ab ipſo ventriculo, quæ meningas ſeu membranas cerebri afficit, capite dolent, & dolores, ut Galen. notavit, ſunt mordaces ac acuti; veluti in futura hæmorrhagia tenſivi, minimeque acuti, qui non a bilioſo acrique humores fiant. Ob eamdem quoque fumidam exhalationem, quippe ipſius diffuſione per humores ad oculos, vomituri caligine, vertigine tenebricoſa, tentantur, aut ut ait Hippocrat. *in 1. Prorrhet. Text. 46. com. 30. caliginoſum ſeu tenebroſum* oculis ipſorum obſervatur. Quum movetur vero humor bilioſus a venis ad externas venas, ægri rigent aut horrent; dumque ſtomachum invaſit, faſtidium, oris ventriculi, (quod antiqui cor appellarunt) morſum facit, nimirum vellicans os ipſum maxime ſenſile. Quumque etiam humor has partes ſuperas petit & occupat, primo partes infra hypochondria frigidores redduntur, tum, quod calidi humores ad ſuperiora ferantur, tum maxime, quod cogatur calor nativus ad interiora & recipi. Quumque, ut dictum eſt, os ſtomachi moleſtat, vellicando, mordendo, ac æſtuando, fiunt faſtidia, jactationes, cardiogmos cordis; atque jam vomituris os ſputo tenui plenum eſſe videtur, ut Galen. ait, propter tunicæ communitatem, quæ una eſt ori toti interno continua, faucibuſque, & ſtomacho & ventriculo. Hinc fit, ut labium inferius interdum concutiatur, ventris ore ad vomitum excitato; nempe labii concuſſio tunicam eam, quæ ab ore in ventrem extenditur, tum morderi, tum vellicari, tum concuti oſtendit. Neque mirum eſt, ad humorem acrem, mordicantem, æſtuantem, ventriculi os exæſtuare, vellicari, & excitare expultricem ad vomendum. Hinc divine ſane noſter Hippocrat. *in lib. 4. Aphor. 17.* dixit: *Non febricitanti cibi feſtidium, cordis dolor, vertigo tenebricoſa, & oris amaritudo, purgatione per ſuperna, opus eſſe ſignificant.* Quaſi innuere vellet in febricitantibus hæc vomitum prædicere, qui ni ſuccedat, hebetem naturam medicamentis eſſe excitandam. Quare prædictis ſignis ſeu ſymptomatis conſpectis in febre ſalutari, ex ardentium genere, utique vomitus præſagire poterimus. Quæ ſigna ita Hippocr. *in 3. Prognoſt. Pag. 45. ſub finem, & 46. init. text. 30.* habet: *Si quis per febrem non exitioſam dixerit caput dolere, aut etiam tenebricoſum aliquid ad oculos obſervari, ſi ventriculi dolor in eo exſtiterit, bilioſa vomitio aderit. Sin rigor prehendit, & inferiores in iliis partes frigidæ fuerint, adhuc citius vomitio aderit. Si vero bibat, edatque hoc tempore, perquam cito vomet.*

met. Paullo poſt: Hæc accidunt viris & mulieribus potiſſimum in tertianis, minoribus natu accidunt etiam in illis potiſſimum febribus, continuis, & in veris tertianis. Et *in* 1. *Epidem. Sect.* 2. *pagin.* 984. *&* 949. *text.* 44. præcipua ſigna ita expreſſit: *At vero quibus totius capitis gravitates, tum autem cordis dolores, & faſtidia ſunt, bilioſa poſt ac pituitoſa vomunt.* Galen. *in* 1. *ad Glauc.* dixit, dolorem capitis eſſe futuri vomitus ſignum inſeparabile, non minus & cardialgiam, ideſt, oris ventriculi morſum neceſſario præcedere vomitionem, & idem *in* 3. *de Criſibus* addit, labrum inferius agitatum, cum ſaliva ex ore excidente, vomitum jam affuturum ſignificare. De qua *in Coacis præſagiis. Text.* 566. *Vomituris ſalivatio quædam prius accidit.* Et *in* 1. *Prorrhet. text.* 3. *Si in phreniticis cum perfrigeratione ſit ſputatio, nigra revomuntur.* At in phreniticis ſputationem frequentem, in qua ex Galeno nihil excernitur delirium phreniticum ſignificare Auctor *Prorrheticorum Lib.* 1. *text.* 6. ſcripſit, malumque eſſe in phreniticis ſignum; & eam, in qua multum effluit ſputum, &, ut ait Galen. os ſputo tenui plenum eſſe videtur, jamjam vomitionem futuram ſignificare. Quæ ſputatio ante vomitum fuit obſervata in illo, *Lib.* 1. *Epidem. Ægr.* 12. *pag.* 988. qui *caleſcens cœnavit & potavit largius.* Vomitu fuere judicati, teſte Hippoc. *uxor Epicratis, ibid. Ægr.* 5. *pag.* 979. de qua Hippocr. ait: *Quinto decimo vomuit bilioſa, flava, ſubcrebra, ſudavit, libera febre.* Et *mulier, ibidem Ægr.* 13. *pag.* 990. quæ decumbebat in litore, etiam *decimo quarto vomuit bilioſa, flava, ſubcrebra, ſudavit, febre liberata eſt.* In quibus ante vomitus, quum febre ardente laborarent, capitis gravitates aut dolores exſtiterunt, & aliqua ex ſignis vomitionem ſignificantibus. Atque hæc de vomituum ſignis.

CAP. XVI.

De ſignis criſium per ſudores, atque per urinas copioſiores futurarum.

FREQUENTISSIME morbi acuti ſudoribus judicantur: ſudores enim, ait Galen. omnibus febribus proprii exſiſtunt, & præcipue incendentibus ardentibuſve; juvant omnes internorum viſcerum inflammationes, parotides, lethargos, reliquoſque omnes capitis affectus; non minus & febres ex intermittentibus quotidianas, quartanas, & ſemitertianas, ſudores judicant; ſed plerumque non ſolum has febres, ſed cum bilioſa pituitoſaque excretione, aut per vomitum, aut per alvum, aut etiam per hæmorrhagiam; quartanas, ſi ſimul atra & varia excernantur; atque quotidianas ſimul cum vomitibus atque excrementis alvi pituitoſis. Sed de his non agimus; quum noſtrum ſit inſtitutum de his affectibus agere, qui acuti ſunt, quique vel ad ſalutem, vel ad mortem, judicari ſolent. Cujuſmodi ſunt febres continuæ, acutæ omnes, præſertimque ardentes, quarum ſudores proprii videntur; internæ quoque phlegmones, inflammationes, & calidi omnes capitis affectus. In quibus ſane, ubi præceſſerint ſigna coctionis, atque critica ſigna illuxerint & perſtiterint, quibus omnino

Sudores quoſnam morbos judicant

Criſis quomodo per

ſudores futura congnoſcitur.

futura criſis præmonſtratur, per ſudorem eam expellendam ſcribit Galen. *in lib. 2. de Criſibus cap. ult.* ſi hæc ſigna ad unguem fuerint obſervata: quippe, ſi urina & alvus ſupprimatur, & febris fuerit ardens, neceſſario ſequitur ſudor multus a rigore. Hinc *in lib. 6. Epidem. com. 1. text. 9. pag.* 1064. Hippocr. dixit: *Ante rigorem urinæ ſuppreſſiones*. Quare alvi præter rationem ſuppreſſa excrementa, aut pauciora, quam antea reddita, urinæ item ſuppreſſæ, abſque ſignis hæmorrhagiæ, vomitus, menſium, hæmorrhoidarum & alvi fluxus, ſunt indicia ſatis certa ſudoris, multoque magis, ſi æger increſcente acceſſione deliraverit. At hæc neceſſario etiam ſpectabuntur ſigna, ſcilicet, partes exteriores, maximeque facies, coloratiores, & calidiores, vapor quidam calidus, qualis antea non fuerat, ex cute exhalans, atque pulſus undoſus, inſigniter mollis. De quo Galen. *in lib. ſynopſ. de Pulſibus cap.* 22. ita habet: *Hic tamen pulſus undoſus, inquam, ſudorem ut plurimum nuntiat, at tanto magis, quanto mollior quidem fuerit, non tamen tenoris vacuus; ſi vero ipſi intercurrat altus, firmiſſimum habebis ſudoris ſignum cum undoſo quidem, vel abſolute magno, non tamen duro, criticorum ſudorum.* Hæc eadem ſigna leguntur apud Galenum *in libello de præſagio, experientia confirmato*; ſed addidit totius corporis cutim reddi prurigineſam, mollem, & rubram. Neceſſario cutis præmollis obſervatur in futuris ſudoribus, quod & Hippoc. *in* 5. *Aphor.* ita habet: *Quibus cutis circumtenditur arida & dura, ſine ſudore moriuntur; quibus vero laxa & rara, cum ſudore moriuntur.* Quidam duo præcipua ſudoris ſigna tantummodo ſtatuunt, urinæ quippe ſuppreſſionem, ex qua ſeroſa humiditas, eadem quum ſudoris tum urinæ materia, in univerſum corpus expanditur, proinde ſua vi acri vellicans rigorem concitat, qui eſt ſecundum ſignum, ita ut ſudoris ſigna duo ſint, & urinæ ſuppreſſio & rigor: atque hinc forte dixit Hippocr. *in* 4. *Aphoriſ.* 58. *Si laboranti ardente febre rigor ſuperveniat, ſolutio fit.* Galen. *in 6. Epidem.* ait: *At ſi alvus fluxa non ſit, proximamque eſſe morbi judicationem prænoveris, ægrotum rigere, ſudareque neceſſe eſt.* Ceterum non perpetuo a rigore, urinæque ſuppreſſione, ſubſequitur ſudor; aliquando hæmorrhagia, aliquando vomitus, aliquando alvi fluxus fit. Quare certum erit ſudoris indicium ſeu præſagium, ubi una alvuſque ſupprimatur, rigorque ſucceſſerit, in ardente febre aut alio affectu, quem ſudor judicat eoque certius, ſi æger increſcente acceſſione deliraverit. Addimus his partes exteriores, calidiores, & coloratiores fieri, non minus & molliores & humidiores, atque in ipſis erit vaporatio quædam calida inſolita, pulſuſque apparet magnus, altus, mollis, fluitans, *undoſus* ideo vocatus, nullaque aderunt hæmorrhagiæ vomitus, alvi perfluvii, hæmorrhoidarum, menſium, aut urinæ ſigna. Quo ſudore fuit judicatus *Cleonactides lib. 1. Epidem. Ægr. 6. p. 982. Melidia, ibid. Ægr. 14. p. 991.* & alii, quorum caſus Hip. obſervavit. Sed ad urinarum quoque ſigna deſcendamus, per quas plures acutorum morborum fuiſſe judicatos, & nos vidimus, & Hip. *in Epidemiis* ſe vidiſſe ſcripſit. Cujuſmodi fuerunt *Chærion lib. 3. Epidem. Ægr. 5. p. 1072.* vigeſimo urinis multis bilioſis perfecte judicatus. *Nicodemus ibid. Ægr. 10. p. 1108.* cum

uri-

urinis multis, albis, in quibus multa craſſa ſubſidebant. Et *Pythion*, *ibid. Ægr.* 1. *pag.* 1059. de quo Hippocr. ait: *Quadrageſimo ab judicio die ſuppuratio circa ſedem, & ſtrangurioſus factus eſt abſceſſus.* Eſt ſcilicet probabile, multitudine urinarum quadrageſima ſanatum. De his etiam *in primo libro Epidem. Sect.* 2. *pag.* 955. *lit. E. At vero hoc ſtatu quatuor præcipue ſignis ſervabantur; quibus ſanguis rite e naribus fluxerit, aut qui per veſicam urinas multas, cum multo bonoque ſedimento reddidiſſent.* Nihilominus, quod fortaſſe difficile eſſet invenire certa ſigna, quibus præmonſtrarentur criſes per urinarum excretionem, ideo Galenus per negationem docuit, quomodo poſſimus præcognoſcere urinas critice profluxuras; quippe, ubi abſint ſigna hæmorrhagiæ, vomitus, alvi fluxus, hæmorrhoidum, menſium, & ſudoris, ſpes erit, ut criſis per multitudinem urinarum fiat, multo magis, ſi alvus, quum copioſiora excrementa antea excreverit, nunc ſiccior evaſerit, aut ſuppreſſa; neque immerito, quod, ut ait Galen. diſtributo & in venas exhauſto humore, qui in ventre continetur, alvi neceſſario minuatur dejectio. Hinc Hippocrat. *in quarto Aphoriſm.* 83. dixit: *Mictio noctu plurima, parvam dejectionem ſignificat.* Sed tamen neceſſe eſt haberi quædam ſigna certiora. Quæ, ut nos obſervavimus, hæc erunt. Nulla primo aliarum excretionum ſigna adeſſe, ſed præſertim nullum capitis, vel hypochondriorum, vel ſtomachi, aut inteſtinorum dolorem, morbumque non videri admodum vehementem. Non vehementer jactari ægrotos, nec inquietari, nullamque partem prædictam dolorem ſentire. Plerumque hypogaſtrium ſenſum gravitatis & aliquando dolores ſentire, veſicamque inflationis ſenſum habere. Paullatim plerumque incipit effluere urina, raro repente, ita ut facile obſervetur ſolito copioſior, & mox augeatur. Sentiunt ægri itidem calorem ſeu ardorem urinæ, quo ſæpius mingunt. Nam neceſſe eſt, ut partes, quum per quas ad veſicam ſeroſa illa humiditas, ſeu humor, qui excernitur, pertranſit, tum renes, veſica, collum, & meatus urinarius, plus ceteris partibus ſenſum aliquem moleſtum habeant. Et hæc de criſibus quum per ſudorem, tum per urinam, quæ ejuſdem materiæ ſymptomata exſiſtunt, nunc demum de ſignis alvi fluxus.

Sudoris critici futuri ſigna certiora.

CAP. XVII.

De ſignis Criſium per alvi fluxionem.

QUOD per alvi fluxum criſes ſæpius fiant, ipſiſque morbi complures acutorum judicentur, neminem Medicorum latet, ideo de futuræ per alvum criſis quoque ſignis accuratius nunc eſt agendum. Miror tamen, quod neque Galen. neque Hippocrat. ſigna propria hujus excretionis futuræ præmonſtrarint. Galen. enim *in libro tertio de Criſibus, capit. ultim.* de hac excretione ita habet: *Si vero per excretionem alvi criſis ſit ſubſecutura, manifeſtum quidem nullum eſt ſignum, nec proprium; ſed ex eo, quod adſunt criſis ſigna, deſunt autem vomituum, vel fluxus ſanguinis,*

Alvi dejectio futura quibus signis cognoscitur.

vel sudoris, colligere licet. Ex quibus patet, cognosci alvi dejectionem futuram non per signa propria, sed ex crisis futuræ signis, atque ex absentia signorum aliarum excretionum. At, etsi hæc via optima sit, tamen non deerunt nobis quoque signa aliqua hoc judicium confirmantia; cujusmodi esse videntur, quæ Hippocr. *in lib. 4. Aphor. 20.* ita habet: *Non febricitantibus si tormina acciderint, & genuum gravitas & lumborum dolor, purgare inferius oportet*. Et postea, 73. quum dixit: *Quibus præcordia suspensa murmurantia, lumborum dolore superveniente, iis alvi humectantur: nisi flatus erumpant, aut urinæ multitudo proveniat*. Et in *Coacis præsagiis, text. 142. Quibus ructus, flatus, strepitus ventris, iis extuberat venter, atque conturbatur.* Ex quibus colligimus, ad fluxuram alvum hæc signa quoque esse attendenda; quippe intestinorum tormina, ipsorumque morsus, genuum gravitas & lumborum dolor, præcordia suspensa; murmurantia, ructus, flatus, strepitus ventris, ipsiusque extuberantia, atque turbatio. Hæc enim cum signis criticis fluxuram alvum præmonstrabunt. Necessario videtur, si per alvum humores vel bilioſi vel pituitosi sint fluxuri, ut tormina seu dolores intestinorum observentur; neque enim, docet Galen. *in lib. 5. de usu partium*, quis umquam bilioſum succum copioſiorem dejecit, qui prius mordicationem in intestinis non senserit? veluti in bilioſo vomitu cardialgiam, ob ejusdem humoris morsum, sentiri, nuper demonstratum est: quare ubi alvus bilioſa, aut salsa aut melancholica adusta dejectura sit, necessario dolor & mordicatio in intestinis præcedet. Si vero humor fluxurus sit pituitosus, ac frigidus, flatus, ructus, præcordia tensa, ac murmurantia, alvique perturbatio, fient. Quæ, ni peculiari vitio ipsius alvi, ac stomachi fiant, quippe coctionis defectu, aut distributionis, aut alimentorum corruptione, aut pravi humoris generatione in ventriculo, aut intestinis, in morbo acuto, ubi illuxerint critica signa, alvi profluvium denotabunt. Lumborum quoque dolor observatur, genuum aliquandoque gravitas, humoribus scilicet ad infernas partes descendentibus; non sunt tamen propria signa alvi fluxuræ; sed ubi tensio dolor satis vehemens, circaque spinam caloris æstus sentitur, in mulieribus menses, atque in viris hæmorrhoidas præsagimus; aliquando vero etiam alvi dejectionem, quippe ubi materia convoluta ad crassa intestina, & mesocolon, quod crassis intestinis continuum exsistens, in unam quamdam earum, quæ in lumbis sunt pertingit vertebrarum. Qua ratione Auctor *Coac. præsagiorum text. 19.* dixit: *Inhorrescentes, anxii, lassitudine pressi, lumbis dolentes, in profluvium alvi incidunt*. Hunc vero lumborum dolorem, alvi fluxionem denotantem, distinguemus ab ipso, qui vel hæmorrhoidas, vel menses, prænuntiat: præter signa enim fluxuræ alvi prænarrata, alia exsistunt; scil: intestinorum morsus ac tormina, murmur, strepitus, flatus, ructus, & tensa præcordia itidem murmurantia; quæ ubi critica signa in vehementi morbo subsequantur, alvi criticam fluxionem proculdubio præmonstrabunt. Atque hæc de singulis crisium speciebus cognoscendis, nunc breviter de multis simul complicatis futuris crisium speciebus etiam agamus.

CAP.

CAP. XVIII.

De ſignis compoſitarum, ſive multarum, ſimul Criſium futurarum, quibus morbi judicantur.

PLERUMQUE fit, ut non unica criſi, ſed aut duplici aut multiplici, morbi acuti judicentur, quas compoſitas criſes dicimus, ſiquidem aliquando homines hæmorrhagia ac ſudore copioſo judicantur, de quibus Hippocr. *lib. 4. pag. 396. lin. 21. de Vict. rat. in acut.* ait: Et *ſi e naribus ſanguis fluxerit, ſolvitur ægritudo, nec non ſi ſudores ſupervenerint judicatorii, cum urinis albis craſſis, & levibus ſrbſidentiis.* Quibus *Metonem* fuiſſe judicatum Hippocr. *Lib. 1. Epidem. Ægr. 7. pag. 983.* tradidit; & Galen. *in libr. ſecundo de motu muſcul.* quemdam tredecim diebus acuta febre delirantem, ſanguine & ſudore prorſus judicatum, vidiſſe ait: *mulieremque ibid. Ægr. 13. pag. 990. trimeſtri fetu gravidam, quæ in litore habitabat*, vomitu & ſudore: & illum, *qui in Dealcis horto decumbebat, Libr. 3. Epidem. Ægr. 3. pag. 1066.* alvi pituitoſa fluxione, copioſoque ſudore: *Anaxionem Lib. 3. Epidem. Ægr. 8. pag. 1104.* ſputis multis, ac ſudore: *Nicodemum, ibid. Ægr. 10. pag. 1108.* urina multa alba, in qua multa ſubſidebant, ſudoreque copioſo; atque *mulierem moroſam*, quæ in *Thaſo, ibid. Ægr. 11. pag. 1108.* ſudore, atque menſibus erumpentibus. Quare operam navare quam ſedulo debemus, ut nedum ſimplices ſpecies criſium, verum quoque plures ſimul complicatas, cognoſcamus. Quam rem ſtudioſi facile etiam aſſequentur, ſi notas ſignave, a nobis nuper ad cognoſcendas ſimplices tradita, memoria tenuerint, ſiquidem ubi duæ vel plures futuræ ſunt criſes, plurium, aut quidem duarum prælucebant ſigna. *Criſes compoſitæ quanam.*

Ceterum, ut hæc clarius cognoſcantur, exempla aliqua conſiderabimus, præſertim excretionum, ſeu criſium illarum, quæ per ſudorem & aliquam aliam excretionem terminantur; plerumque enim, aut pauciſſimæ ſunt febres, vel acutæ bilioſæ, vel ſanguineæ, & inflammationes internæ, phlegmoneſque, quæ abſque ſudore judicentur, etſi ſæpe non ſolo, ſed aut una cum hæmorrhagia, aut in mulieribus menſibus erumpentibus, aut hæmorrhoidibus, aut vomitu, aut ſputis, aut alvi fluxione, aut denique urina. In iis itaque, qui ſunt hæmorrhagia atque ſudore judicandi, utriuſque ſigna præcipua aderunt; cujuſmodi erunt, capitis dolores aut gravantes, aut pulſantes, aut calidi, lacrymæ involuntariæ, aut ſurditas, aut tinnitus aurium, aut oculi rubri, aut maxillæ & nares, hypochondria tenſa abſque dolore, aliquando reſpiratio difficilis repente excitata, & paullo poſt quæ prorſus tollatur, pulſus quoque alti & magni, a ſuppreſſis tum alvi excrementis, cum urinis, aut paucioribus factis, rigores vehementes, abſentia ſignorum aliarum excretionum, quippe menſium, hæmorrhoidarum, vomitus, & alvi fluxus, delirium increſcente acceſſione, partes externæ, & præſertim facies, calidiores, coloratiores, molliores ſeu humidiores, & ab ipſis vaporem, ſeu fumum calidum non an- *Quomodo cognoſcuntur.*

tea ſolitum exhalare, atque pulſus mollis & undoſus. Et ſi cum ſudore menſes erunt erupturi in mulieribus, deerunt ſigna hæmorrhagiæ, vomitus, & aliarum excretionum, atque propria menſium aderunt, quæ ſunt gravitas lumborum effatu digna, dolor atque tenſio, totius corporis & præſertim lumborum laſſitudo; (hinc Auctor in *Coacis præſagiis Text.* 36. laſſitudinarias has febres judicatorias vocavit) aderit itidem cardialgia, id-eſt, cordis ſeu oris ſtomachi, quod cor antiqui appellarunt, dolor, atque circa ſpinam tenſio, æſtus, atque ardoris. Quæ ſigna in viris cum ſudore etiam hæmorrhoidas prænuntiant. Et cum ſudore, ſi vomitus erit futurus, ſignis ſudoris ſigna vomitus quoque conjungentur, qualia eſſe diximus, dolorem capitis acutum & mordacem, & pro ſplendore oculis caliginem, ſeu atrum quoddam, obverſari, ſtomachi faſtidium, nauſeam, ſubverſionem, anxietatem & inquietationem, cardiogmon, ideſt cordis ſeu oris ventriculi morſum, ſpiritum difficilem, pulſum inæqualem, durum, atque jam jam vomituris ſputum tenue ex ore copioſum effluens, atque labii inferioris agitationem. Et ſi urina copioſa una futura ſit cum ſudore, aderunt ſigna urinarum, quæ fuerant primo, quod abſint aliarum excretionum ſigna, alvus quum ante copioſior fuerit, nunc ſiccior ſit, nullus dolor præter in hypogaſtrio ſentitur, ſenſus gravitatis, aliquandoque ponderis, & circa veſicam inflationis obſervatur, non vehementes erunt jactationes & inquietudines, urina plerumque non confertim, ſed paullatim incipit, atque augetur, quæ aliquando infert calorem aut ardorem, aut pruritum, & voluntatem crebram mingendi. Et ſi cum ſudore alvus una erit ſolvenda, tunc ſimul aderunt ſigna alvi fluxuræ, nempe præcordia erunt tenſa, murmurantia, aut morſus in inteſtinis, flatus, ructus ventris, rugitus ſeu ſtrepitus ſentientur, lumborum aderit dolor, & genuum aliquando gravitas, ventris turbatio, ac pulſus vibroſus & durus. Si vero una cum ſudore ſputa quoque copioſa excernenda erunt, aderunt ſigna propria, quæ in morbis pulmonum, & pectoris apparent: maximeque in pleuritide, & peripneumonia, ſputorum excretiones obſervari debent, ut in *Anaxione* pleuritico fuit ad Hippocrat. *Lib.* 3. *Epidem. Ægr.* 8. *pagin.* 1104. obſervatum. Signa vero, quod copioſiora ſputa ſint excernenda, ſunt tuſſis, difficilis reſpiratio, & ſputa, quæ cœperunt excerni cum tuſſi copioſa, quæ vero magis cocta evaſerint, facilius educuntur. Et hæc ſunt, quæ de cognoſcendis criſibus fuerant a nobis dicenda. Nunc de tempore, quo ſint obſervandæ, reſtat, ut agamus.

CAP. XIX.

De tempore Criſium, ideſt, quo nobis ſint futuræ.

POSTEAQUAM ſcriptum a nobis fuit, quo pacto Medici debeant cognoſcere, num morbi ſint criſi judicandi, aut abſque criſi; & ſi criſi, an per abſceſſus, an per humorum excretionem, & quæ bonæ ſalutareſque judicentur, & quæ malæ, letales; atque demum, quum etiam ex ſignis

gnis quaslibet crisium species cognoscere studuerimus, restat solum, ut, quo tempore fiant seu observentur crises, quoque accuratius assequamur. Atque hic sermo esto finis hujus libri, ad prognosin sane perquam utilissimi; quem si studiosi Medicinæ familiarem habebunt, plurimum laudis in Medicina assequentur. Sed ad institutum redeamus, quod est noscere tempus particulatim, in quo crises fiunt. Quæ cognitio penes multa habebitur; & quamquam sit admodum difficilis, propterea que requirat maximam diligentiam, studium, & laborem; tamen si accurate omnia signa prænarrata ipsorumque vires intellexerimus, neque multa difficultate hujus prædictionis rationem assequemur. Perscrutabitur itaque hæc cognitio quippe temporis, in quo crises sunt futuræ, ab his, scilicet a signis criticis seu decretoriis vocatis; atque a tempore, in quo hæc observantur, quippe in quo incipiunt, augentur; (non enim critica signa prius tolluntur, quam crisis erumpat,) a morborum idea, natura, magnitudine, motu, temporibus ipsorum, a coctione & cruditate. A criticis enim signis, quippe quæ crisin antecedunt, antequam fiat, ut Hippocrat. docet *in* 2. *Aphor.* 13. nox molesta apparet: *Antecedit enim*, ut Galen. etiam *in* 2. *libr. de Crisib. cap.* 2. scripsit, *non mediocris perturbatio in corpore ægrotantis, quam & difficiles tolerantiæ, vigiliæ, deliria, & graves somni fiunt, difficilis anhelitus, vertigines tenebricosæ, & difficilis sensus, dolores capitis, colli & stomachi, & multorum aliorum membrorum, nonnullis aurium sonitus, & ante oculos vanæ splendores apparent, & lacrymæ involuntariæ effluunt, & urina retinetur, & labrum agitatur, aut aliquod aliud tremulum fit, oblivio, præsentium ignorantia, vehemens rigor, plurimum accessio consueta anticipans, multis æstus sitis intolerabilis, ægroti clamant, & saliunt sicuti furentes, neque possunt in eodem situ recumbere, deinde repente multus sudor erumpit, aut vomitus, aut venter subito solvitur, aut abundans fit fluxus sanguinis, aut urina profluit copiosius, aut hæc omnia simul contingunt.* Hæc enim alias demonstravimus cum signis coctionis crisin præmonstrare. Quorum principium necesse est animadverti, ut scite diem, in quo crisis futura sit, intelligamus: non enim a die, in quo hæc videri cœperunt, crisis aberit ultra quaternarium, si enim exempli gratia 4. die incipient conspectis urinis concoctis, morbusque vehemens sit & celer, ultra 7. crisis non producetur. Ceterum ubi cœperint manifesta quædam coctionis signa, neque morbus admodum vehemens, neque celer, usque ad septimum, ideſt, in secundo quaternione, crisis protendetur. Quam rem satis perbelle expressit Hippocrat. *in lib.* 3. *Prognost. Pagin.* 46. *lin.* 5. *& seq. text.* 33. ita scribens: *Ex iis vero, qui primo die dolere cœperint, quarto die gravantur magis quam quinto, septimo vero die liberantur. Plurimi vero ipsorum dolere incipiunt tertio die, conflictantur autem quinto maxime, liberantur aut nono aut undecimo die: quicumque vero quinto dolere cœperint, & alia secundum rationem priorem ipsis affuerint, decimo quarto evadunt.* Quare crisis terminus majori ex parte erit septem dierum ab ea die, in qua cœperunt decretoria signa conspici: sed ubi apparuerit signum aliquod manifestum, ex quo morbum in augmentum descendisse cognoscamus, plerumque altero quaternario cri-

Tempus, quo crises futuræ sunt, quomodo cognoscetur.

A Criticis signis.

ſis fiet, quum non longius concoctio ſit perficienda, atque illud tempus vigoris morbi ſit proprium ſalutarium criſium, ut Gal. docuit, atque hoc eſt, quod etiam ita expreſſit : *Quum igitur primo die ſignum aliquod coctionis manifeſtum apparuerit, reliquis etiam omnibus periculum nullum portendentibus, tunc procul dubio ſciemus, quod, in primo quaternario morbi ſolutionem ſubſequi, ſit neceſſarium. At, ſi, iis ſignis decretoriis apparentibus, ſimul perfecta coctio obſervetur, futuro primo die decretorio criſin fieri erit neceſſarium.* Ex ſignis itaque decretoriis nedum criſin futuram conjicimus, at quo non minus tempore ſit futura. Ex natura quoque morborum, quum acuta, tum longa, quos morbos Græci *brachychronicos* appellant, poterimus tempus criſium prænoſcere. Quo ad tempus enim ſeu morborum ætatem, triplex eſt differentia : namque morborum alii acuti, alii longi, alii medii dicuntur : *acutus*, ait Hippocr. *in* 2. *Aphoriſm.* 23. *quatuordecim diebus terminatur* ; etſi Galen. videatur terminum morborum acutorum diem vigeſimum ſtatuere, & mediorum uſque ad quadrageſimum, quos vocat *acutos ex delapſu*, ſeu ex *converſione*, de quibus Hippocrat. meminit, quum *in primo Prognoſt. pag.* 38. *lin.* 12. *text.* 21. ita ſcripſerit : *Oportet autem exiſtimare ſpirandi facilitatem magnam habere vim ad ſalutem in omnibus acutis morbis ; quicumque febres habent adjunctas, in quadraginta diebus judicantur* : & ultra hos dies, qui judicantur, diuturnos & longos vocat. Ceterum, ut accuratius ex natura morborum tempus criſium perveſtigemus, diſtinguere oportet acutos morbos in acutiſſimos, ſive maxime acutos, peracutos, atque ſimpliciter acutos. Horum ait Hippoc. *Aphor. Sect.* 2. 23. longiorem terminum eſſe, ut Gal. *in lib.* 3. *de Criſib. cap.* 14. ſcribit, quatuordecim dierum ; & illos, quippe acutiſſimos unico quaternario reſolvi ; cujuſmodi ſunt, angina, cholera, tetanos, ſynochus : atque peracutos ſeptem diebus, cujuſmodi ſunt, pleuritis, phrenitis, peripneumonia, hepatitis, diaphragmatis, uterique, & ſtomachi inflammatio, febris ardens, ſynochus & alii hujuſmodi multi. Ceterum acutiſſimorum aliqui vel etiam uno tantum die, alii duobus, alii tribus, atque alii quatuor judicantur ; numquam vero ultra hos dies producuntur, ſed ante hos plures terminantur, ut apoplexia, ephemera peſtilens, letaliſſima phrenitis, & quæ *in Ægypto* ſæpius epidemice graſſatur, quem affectum *Demehnuia* Ægyptii appellant, eſtque eorum morborum acutiſſimorum, qui paucis horis homines interimunt. Idem quoque eſt peracutorum, quorum terminus eſt dies ſeptima, quando eorum plures antea non raro, propter morborum vehementiam, habeant judicium, uti ex Galen. phrenitis acutiſſima, qua Hippocr. *in lib.* 3. *Epidem. com.* 3. *Ægr.* 4. *pag.* 1100. quemdam quarto die fuiſſe exſtinctum, meminit ; ſynochi itidem, & phrenitici & peripneumonici, præ inflammationis magnitudine, ſæpius quarto die vel quinto judicantur. Eodem modo fit de ſimpliciter acutis, quod hi aliquando ſeptimo, aut nono, aut undecimo, habent judicationem. Hoc plerumque obſervatur in malis criſibus, quæ natura, propter vehementiam morbi, aut propter multitudinem, aut praviſſimam qualitatem humorum, vehementer irritata,

Ex natura morborum.

ante

ante tempus excernente fiunt, atque hoc pacto poſſumus in morbis criſes, quando ſint futuræ, prænoſcere. A magnitudine quoque morborum, neceſſe erit, medium intelligere, ex virium una habita cognitione, quo tempore fieri debeat criſis. Siquidem, ut docet Galen. *in* 1. *Epidem.* neceſſarium eſt, ob morborum magnitudinem ac caſuum vehementiam, vel cito vires proſterni, adeo ut homo moriatur, vel ad noxiorum humorum excretionem excitatas, ſi modo, quos invaſerint, humores exſuperent, bonam ſequi judicationem, ſin autem exſuperentur, malam. Utrumque vero intra quaternarium fieri ſolet. Quo ubi in morbo aliquo vehementiam quarta die cognoverimus, non ultra ſeptimum judicium, vel mors, producetur. De qua re Gal. *in* 1. *Epidem.* dixit: *Quare fac memineris, ubi quartus, perinde ut tertius, gravia habeat ſymptomata, & ſigna, in morbo acuto, brevi exſpectandum judicium eſſe, ſi paribus diebus potius invadebat, in paribus, ſi vero imparibus, in his, atque judicium illis, & mors in morbis exitialibus.* De *Philiſco*, *Lib.* 1. *Epidem. Ægr.* 1. *pag.* 966. qui obiit ſexta die, ait, *quarta die omnia fuiſſe exacerbata*, ipſumque maximo morbo conflictari, cum exitialibus urinis nigris, quo naturam exſtinctam iri neceſſario cognoſcebatur, atque id non ultra quaternarium protrahi poſſe, vires debiles ſignificabunt. Ex morborum quoque motu celeri, aut tardo, accuratius & diſtincte magis criſium futurarum tempus poterit cognoſci: namque ubi morbum judicabimus ſolutum iri ſeptima die, ſi præter vehementiam ejus etiam celeritas obſervetur, poterit vel etiam quarto aut quinto reſolvi; veluti motus tarditas, ad nonum aut undecimum uſque retardaturum judicaret. A temporibus vero morborum, atque a coctione & cruditate longe clarius & diſtinctius prænoſcent Medici criſium futurarum tempus, quando omnes bonæ criſes aut in ſtatu fiant, aut in augmento; intelligimus vero ſtatum atque augmentum, non inquam morbi, ſed ipſius quidem naturæ coquentis & alterantis morbum: exitiales vero aut in principio, aut in augmento, ut Galen. *in lib.* 3. *de Criſibus cap.* 10. tradidit. Quare, morbo ſalutari, criſin perfectam nonniſi in vigore morbi exſpectabimus, imperfectam in augmento. Ex quibus ſigna temporum exacte interſtinguantur, quemadmodum alias ex Galeno *in primo de Criſibus* docuimus. Quare ſi perfecta criſis erit futura, neceſſe erit, augmentum morbi prius abſolvi, cujus ſane tempus nobis innoteſcet principii augmentique notitia; namque ſi longum fuerit morbi principium, itidem & augmentum, & vigor proportioni reſpondebit: imperfecta vero tranſacto principio. Principium autem eſſe illud tempus, in quo morbus omnino crudus eſt, nullumque vel etiam ſignum concoctionis illuxerit, quod quum cœperit, augmentum eſſe, & durare, quoad perfecte concoquatur morbus, Galen. *in primo de Criſibus*, *cap.* 8. *& in primo, de totius morb. temp. cap.* 3. ſcriptum reliquit. In exitialibus vero criſibus, diximus, vel principium vel augmentum eſſe attendendum: in vehementiſſimo morbo, cum prælanguidis viribus, criſis non ſuperabit principium, neque primum quaternarium; cum robuſtis vero augmentum attingit. Quare in robuſtis criſis

Ex Morborum magnitudine.

Ex horum motu celeri aut tardo.

Ab horum temporibus.

fiet

fiet in augmento: natura enim non ſuccumbet morbo, non aliquo pacto ab ipſa alterato.

Ceterum hæc erit ſervanda regula, ut diſtinctius diem, vel etiam in qua criſis fiet, prænoſcere queamus. Quippe a conſpectis ſignis vel ſalutaribus, vel exitialibus, futuro primo quaternario judicium fore exſpectandum. Tanto enim temporis ſpatio in ſalutaribus morbis utens natura ſolet morbum alterare, quoad excernere critice poſſit; atque toto ipſo itidem tempore morbus ſolet naturam robuſtam ad pugnam irritare, aut debilem exſtinguere, ex quo merito Hippocrat. *in 3. Prognoſt. Pagin.* 43. *lin.* 54. *text.* 2. dixit: *Simpliciſſimæ enim febres, ac ſignis firmatæ ſecuriſſimis, quarto die aut citius deſinunt. Pag.* 44. *lin.* 1. *text.* 4. *Teterrimæ vero, ac ſignis affligentes difficillimis, quarto die aut citius interimunt*: aitque *primum impetum hunc in modum finiri, ibid. lin.* 2. *text.* 4. Ubi vero natura maximum habuerit irritamentum, maximo morbo in principio ſuccumbet. Galen. vero *in lib.* 1. *de Diebus decret. cap.* 12. vel etiam horam nos poſſe cognoſcere, eamque ex acceſſionis temporum accurata obſervatione, ſcripſit. Namque ſi ſtatim morbo invadente, ideſt, in principio acceſſionis, æger vehementer refrigeretur, exempli gratia, ut vix ad calorem reduci queat, calorque diutiſſime abſit, pulſus ſit exiguus aut nullus, aut malus appareat, motus pigritia, vel ſomnus veternoſus, aut aliud quippiam obſervetur; vel ſi principium acceſſionis fuerit moderatum, & in ſtatu poſtea deliret, vel cum impetu exiliat, vel reſolvatur, vel comatoſus, aut multum inquietus, aut magnitudinem febris non toleret, ſed vehementer inardeſcat, vertiginoſus, aut capite doleat, cordiſque morſus, aut ſi moderate in principio & in ſtatu ſe habuerit, neceſſe erit ipſum mori in declinatione, quæ cognoſcetur, ſi aderit animi deliquium, ſudores inæquales, frigidi, vel circa caput ſolum, vel cervicem, vel pectus, pulſus obſcurus exiguus, & his ſimilia, proculdubio mors ac judicium erit in ea hora, qua fiet acceſſionis declinatio. Ex coctione etiam & cruditate tempus criſium poterimus conjicere, atque ex ſignis indicatoriis; ſiquidem in ſalutari morbo numquam fiet criſis, niſi ſigna, in aliquo dierum decretoriorum, coctionis apparuerint, quæ plerumque ita conſpecta in proximo decretorio die judicium oſtenderunt: in morbis quidem ſalutaribus, magnis, inceptam coctionem tempore unius quaternarii ſolet natura abſolvere. Quodſi in die indicante ſignum coctionis conſpectum fuerit, in proximo decretorio erit criſis. Quod Hippocr. *in libr.* 4. *Aphoriſm.* 71. ita docuit: *Quibus in febribus die ſeptimo judicium fit, iis nubeculam obtinet urina quarto die rubram, & alia ſecundum rationem*. Quod præceptum Galen. ſecutus *in lib.* 3. *de Criſibus cap.* 4. ait: *Quum igitur primo die ſignum aliquod coctionis manifeſtum apparuerit, reliquis etiam omnibus periculum nullum portendentibus, tunc proculdubio ſciemus, quod in primo quaternario morbi ſolutionem ſubſequi ſit neceſſarium*. Ex quo colligimus, ubi manifeſtum apparuerit coctionis ſignum in aliquo dierum decretoriorum, in altero proximo ſuccedet judicium, quod per quaternionem natura reliquum humoris cruditatis abſolvat, quodque non minori tempore facere poteſt: proinde ſi, ut ait Galen. *in eodem libr.* ægrotus neque ſecundo die manifeſtum

Ex coctione & cruditate & ſignis indicatoriis.

ſtum coctionis ſignum habuerit, neque tamen pernicioſum ſignum adfuerit, ſed omnia ſint abſque periculo, ſervabitur ſane, ſed non in primo quaternario integre, at in ſecundo, quippe primo ſecundi quaternarii die critico, qui erit vel ſextus vel ſeptimus. Eodem modo, ſi ſeptimo appareat manifeſtum ſignum coctionis, ad undecimum magis, quam ad decimum quartum, fiet criſis. Quod judicium perpetuo fiet, ſiquidem morbus ſit ſalubris, & neque ejus acumen, neque magnitudo feſtinet, atque error aliquis circa ægrotum admittatur, ſtatus tempus criſis exſpectabit, ideſt perfectam coctionem. Si vero propter morbi magnitudinem, vel motus celeritatem, vel propter aliquod aliud natura irritetur, ante ſtatum, atque inordinato tempore fiet. Ceterum æque tamen verum erit, ſi in uno dierum decretoriorum, præſertim indicium, vel ſalutare ſignum vel exitiale apparuerit, poſt quaternarium in altero die decretorio judicium fiet. Ceterum, ut dictum eſt, magnitudo morbi, motus celer aut tardus, errores commiſſi, ſunt maxime attendendi; quum horum cauſa ſæpius criſis indicio non reſpondeat. Quorum exempla plura poſuit Galen. *in libro nuper citato*. Atque hæc erant in hoc libro ſcribenda.

FINIS SEXTI LIBRI.

PRO-

PROSPERI ALPINI MAROSTICENSIS,

Philoſophi & Medici in Gymnaſio Patavino Medicamentorum ſimplicium Profeſſoris ordinarii,

DE

PRÆSAGIENDA VITA & MORTE ÆGROTANTIUM,

LIBER SEPTIMUS.

CAP. I.

De particularibus humorum excretionibus ad prædictionem.

HACTENUS in præcedenti libro Dierum Decretoriorum, atque Criſium cognoſcendarum rationem tradidimus, ad illuſtrandam hanc prædicendi methodum, a naturalis facultatis ſtatus obſervatione depromendam. Quum ex omnibus, ut dictum eſt, naturalis hujus potentiæ (circa quam nunc cognoſcendam verſamur) quatuor functionibus, concoctoria atque excretoria præcipuam ac maximam ad prædicendum viam aperiat, merito ad harum præſertim notitiam, criſium, & dierum criticorum cognitionem præmiſimus, atque nunc omnium Excrementorum particulares Excretiones, & Abſceſſus accurate conſiderabimus. Tum quod ex ipſis rurſum, cuncoctio, cruditas, ac malignitas morborum nobis innoteſcat, tum etiam, quod ab ipſorum excretionis modo, natura quando bene ac ſalubriter humores moveat, & tranſmittat, atque excernat, & quando male infauſteque id agat, cognoſcimus. Quare primo, ut quo ad vires hanc noſtram prædicendi rationem illuſtremus, de præſagio a Sanguinis Excretione agemus, & poſtea, a Sudoribus, Vomitionibus, Dejectionibus alvi, Urinis, Sputis, atque Abſceſſibus.

CAP.

CAP. II.

De prædictione a ſalubri ſanguinis excretione.

QUOD in morbis acutis vehementibuſve ſæpiſſime obſervatum ſit, repente aut ex naribus, aut ex hæmorrhoidibus, aut ex alvo, aut ex utero in mulieribus erumpente copioſo ſanguine, ægrotos ſanitati ſuiſſe reſtitutos; ideo naturam in hoc Medici cœperunt imitari, ſanguinem copioſius in morbis mittentes. Qua ratione Hippocrat. perſuaſus hujuſmodi remedium in omnibus acutis vehementibuſque, ſive magnis, febribus, aut viſcerum inflammationibus, *in libr. 4. de vict. rat. in acut. Pag. 396. lin. 33. text. 19.* (de quibus ibi agit) hiſce verbis maxime commendavit: *In acutis morbis ſanguinem detrahes, ſi vehemens morbus videatur, floruerit-que ægrotantis ætas, & virium adfuerit robur.* Hocque remedii genus Medici nedum naturæ imitatione invenerunt, ſed quibuſdam etiam animalium exemplis perdocti, præſertimque *hyppopotami*, equi marini, ut Plinius eſt Auctor, qui ingluvie obeſus crus in arundinis ſtipitem acutiſſimum adigens, venam quamdam vulnerando, copioſius ſanguinem effundit, atque ita fuit ipſius corporis plethoram tollere ſolitus. Non diſſimili quoque argumento cœperunt Medici humores, aut per alvum purgatoriis medicamentis, aut vomitoriis per vomitum, aut ſudoriferis per copioſos ſudores, aut diureticis copioſiorem urinam moventes per viſicam, purgare.

Quare quum natura ſæpius excernendo copioſum ſanguinem ſoleat multos morbos reſolvere; proinde in primis de his ſanguinis ſpontaneis ſeu ſpontefactis evacuationibus, ſeu excretionibus, agendum duximus: quoniam non eæ omnes bonæ ſunt, minimeque ægrotos liberant a morbis, veluti etiam non omnes aliæ excretiones, aut per alvum, aut per vomitum, aut per ſudorem, aut per urinam; neque omnes abſceſſus liberant a morbis, ſed quidam tantum, qui merito a nobis primum cognoſcendi erunt, ac ab aliis non ſalutaribus diſtinguendi. Nunc itaque nos de iis ſanguinis excretionibus agimus, quæ bonæ exiſtunt, ſalutemque perpetuo ægrotis futuram pollicentur, & poſtea de malis, quæ plerumque exitium præmonſtrant.

Sanguinis excretio per nares.

Inter vero excretiones ſanguinis, ea præcipua eſſe ad prædictionem videtur, quæ in febribus continuis acutis & vehementibus e naribus ſæpius erumpit, quam Græci *hæmorrhagiam* appellant, noſtri eruptionem ſanguinis e naribus: atque hæc in morbis fit, ubi ſanguis multus per nares effluit, & evacuatur. Galen. enim in *3. libro Prorrheticorum com. 75.* ait, ſuccos ad caput recurrentes, calidos quidem & tenues, deſipientias & ſanguinis eruptiones facere: at *in 1. Epidem. com. 1. text. 9.* ſanguinem ipſum ſurſum, incitatum calore, efferri in caput, a quo neceſſe eſt inflari, ac reſerari venas, ac etiam rumpi ob ſpiritus copiam: atque *in eodem lib.* ſcripſit, ſanguinis e naribus eruptiones in ardentibus & febribus ob dominan-

minantem fieri flavam bilem, quæ ſanguini permiſta, poſtquam ſanguinem deuſſerit, cum eo multum ad caput calorem ſubvehens, venis narium diſruptis, ſanguinis efficit eruptiones.

Ex quibus conſtat nonniſi ex calidiori ſanguine, vel bile ei admiſta, fieri, atque nonniſi in corporibus calidioris temperamenti, atque in calidioribus morbis, atque acutis fieri, cujuſmodi ſunt febres ſynochæ atque continuæ ardentes, quod Galen. *in eodem libr. com. 2. text. 66.* affirmavit, dicens, eruptiones ſanguinis in ardentibus febribus, ob caloris copiam, humoribus ad caput ſublatis, fieri. Hinc Hippocrat. *in 6. Epidem. com. 3. text. 17. pag. 1175.* ait: *ſanguinis de naribus profuſio, aut iis, qui ſubvirides, nigrique ſunt, aut iis, qui rubri & virides, aut ſubviridibus*; quod propter calidiores humores ſint his eruptionibus obnoxii: propter quam etiam cauſam Hippocr. poſtea *Text.* 18. dixit: *Quum venere uti incipiunt, aut hircire, ſanguinis profluvio laborare*; quippe pueros, quum propter multum, tum calidiorem ſanguinem, quo exſuperant. Ab hiſce cauſis ægroti ſolent in hæmorrhagiam incidere, iique præſertim, qui ob calidius temperamentum plurimo ſanguine, & calidiori abundant, & nonniſi in morbis, ab iiſdem humoribus affectis, quales ſunt, ex Galeno, febres omnes continuæ, ac vel etiam ex intermittentibus tertianæ, at numquam quartanæ. Addimus omnes internas inflammationes præcordiorum, præſertimque hepatis & lienis, diaphragmatis, ac ſtomachi, & aliquando pleuritides, phrenitides, rariſſime aut numquam lethargos, ac vel etiam peripneumonias. In his itaque morbis hujuſmodi hæmorrhagiæ, ſeu ſanguinis eruptiones erunt attendendæ. Sed his præmiſſis ad prognoſin declinemus. Itaque hæmorrhagiæ, & aliæ omnes, quæ per alias partes fiunt, excretiones ſanguinis; (ſcilicet per uterum in mulieribus, in viris per hæmorrhoidas, & aliquando per ſtomachum, quæ tamen raro bonæ videntur, Hipp. *in lib. 7. Aphoriſm. 37.* ita ſcribente: *Quicumque evomuit ſanguinem, ſi ſine febre quidem, ſalutare, ſi vero cum febre, malum*; nihilominus ſunt aliqui ſanguinis etiam vomitu excretione a multis morbis judicati:) in duas differentias diſtinguuntur, quippe in *bonas*, *criticas* & noſtris judiciales vocatas, quæ duplicis quoque ſunt differentiæ, nimirum ſunt quædam perfectæ, quod perfecte judicent morbos, & quædam imperfectæ, quod imperfecte judicent; & in *malas*, *ſymptomaticas* dictas: quidam addunt medias, quæ medium locum habere videntur inter criticas & ſymptomaticas: quas contineri ſub criticis imperfectis alias demonſtravimus. Nunc de criticis; quum hæ perpetuo ſalutem præmonſtrent, perfectæ ſubito, & imperfectæ temporis ſpatio. Criticæ itaque eruptiones ſanguinis & optimæ, quæ ſalutem certam ægrotis præmonſtrant, hiſce notis nobis innoteſcent. Primo quod numquam crudo morbo appareant, ſed perpetuo cum ſignis coctionis; atque ob id perfectæ in ſtatu morbi, imperfectæque in augmento, ubi quædam manifeſta non omniaque coctionis ſigna illuxerint. Itaque neceſſario ad ſalutarem hæmorrhagiam, & ad quamcumque aliam bonam ſanguinis excretionem, debent primum ſigna coctionis animadverti, quibus una ſi ſanguis excernatur, utile erit, teſte Galeno *in lib. de Criſibus cap. 7.* de qua Hippocr. *in quarto, de*

Sanguinis critica eruptiones quomodo innoteſcunt.

Cum ſignis coctionis.

to, de vict. rat. in acutis, pag. 396. lin. 21. text. 10. habet: *Et si ex naribus fluxerit sanguis, solvitur agritudo, atque si sudores supervenerint judicatorii, legitimi, cum urinis albis, crassis, & levibus subsidentiis.* Sed aliquis forte objiciet *Metonem Lib. 1. Epidem. Ægr. 7. pag. 983.* nobis, & illum, *Lib. 3. Epidem. Ægr. 3. pag. 1066.* qui *in Dealcis horto* decumbebat, alios, qui, cum excrementorum cruditate, sanguinis fluxu fuere judicati, & quidem critice. In *Metone* urinæ fuere nigræ, & cum nigris sedimentis, & in altero, tenues, cum crassioribus sedimentis, nedum crudissimum morbum, sed neque parum malignum declarabant. De hac re alias egimus, & diximus tantum posse copiosam sanguinis eruptionem ad judicandos morbos, ut vel etiam in principio, nullis signis coctionis conspectis, apparens, sæpius liberet ægrotos. Quod Galen. de *Metone* expressit, dicens: *Sane enim a sola videtur sanguinis eruptione & judicatus & servatus, quamvis non omnino tuta signa haberet.* Excretio itaque sanguinis, tametsi optima sit, ac certissime salutem nuntiet, quæ morbo jam concocto apparet, quæque etiam ob id in statu apparet, etiam cum signis cruditatis in principio morbi, non est spernenda. Quod etiam in *muliere morosa Libr. 3. Epidem. Ægr. 11. pag. 1108.* visum est, quæ, cum urinis nigris, mensium profluvio fuit sanata, etsi Galen. dixerit, earum urinarum nigrum colorem nihil attulisse periculi, quod a retentis mensibus, qui fuerant melancholici, eo modo colorarentur urinæ: quod si verum etiam de *Metone*, qui, iisdem nigris exsistentibus, eruptione sanguinis fuit judicatus. Quam rem Hippoc. nobis expressisse visus est in *1. Epidem. Comm. 2. Pagin. 951. lit. F. text. 56.* quum ibi scripserit: *Ictericis factis in febribus, sexta die, eruptionem sanguinis profuisse*; eo die vero visam ictericiam malam docet Hippocrat. *in 4. Aphorism. 62.* qualis fuit in *Hermocrate*: *Libr. 3. Epidem. Ægr. 2. pagin. 1062. & in text. 67. Lib. 1. Epidem. Sect. 2. pag. 953. lit. A. B* dixit: *quum urinæ tenues essent in Antiphonte Critobuli filio, erupisse sanguinem & postea sanatum fuisse.* Quod vero sanguinis excretiones hanc habuerint prærogativam, ut ita dixerim, quod etiam in crudo morbo salutem præmonstrare soleant, quum ceteræ aliæ per vomitum, vel sudorem, vel purgationem alvi, tunc temporis apparentes, symptomaticæ sint: hoc propterea fieri crediderim, quod sanguis per venas apertas possit commode quocumque tempore vacuari, nullaque egeat sanguis præparatione, qua egent ceteri humores, si debeant per alvum subduci, vel per vomitum, quæ in his tam facile non fit, propter ipsorum crassitiem, aut lentorem, aut venarum angustiam & obstructionem; atque hanc esse causam colligimus, propter quam Medici in principiis morborum non debeant uti purgantibus medicamentis, ut Hippocr. scripserit *in Aphorism. Sect. 1. Aphor. 22. Concocta medicari oportere, neque cruda, nisi materia turgeat.* In evacuatione vero, quæ per venas apertas fit, nullam merito exspectamus concoctionem, & hinc Medici, secta vena in morbis acutis, in principio, mittunt sanguinem; hinc & spontaneæ sanguinis vacuationis bonæ erunt. Addatis, sanguinis eruptiones copiosas nedum utiles fieri, propterea quod sanguis malus una excernatur, sed etiam quoniam ejusdem sanguinis vacuatio universum corpus refrigerat,

calo-

caloremque tranſpirabilem, & corpus difflabile facit. Quare hac ratione excretiones ſanguinis optimæ erunt, quæ in ſtatu apparent, plane cocto exſiſtente morbo; ſed neque eæ, quæ cum cruditatis ſignis fiunt, erunt plane abhorrendæ & timendæ. Et præſertim, quæ copioſe & large fluunt, quæ erit ſecunda conditio, optimam ſanguinis eruptionem indicans. De quibus Hippocr. *in lib. 2. Epidem. Sect. 1. pag. 1005. ſub lit. A.* ita habet: *Largæ de naribus eruptiones ſanguinis liberant fere.* De quibus Galen. de *Metone* locutus ait: *Sane enim a ſola videtur ſanguinis eruptione & judicatus & ſervatus, quamvis non omnino tuta ſigna haberet.* Rurſum Hippocrat. *in 1. lib. Epidem. Comm. 2. Pag. 951. lit. E. text. 63.* dixit: *Febribus autem ardentibus hæc accidebant. Quibus rite & largiter ſanguis per nares erupit, ea de cauſa maxime ſervabantur. Nec ullum novi, ſi recte ei erupiſſet ſanguis in hoc ſtatu, quemquam mortuum. Nam* Philiſcus *quidem* Epamenon, *&* Silenus, *quibus parum quarta die & quinta e naribus ſtillavit, mortem obierunt.* Et poſtea, *ibidem ſub lit. F. Erant qui ſexta die morbo regio afficerentur, ſed his purgatio profuit per veſicam, vel turbata alvus, vel larga ſanguinis eruptio: ut* Heraclides, *qui apud Ariſtocydem decumbebat, cui per nares ſanguis erupit, alvuſque fuit turbata, & per veſicam eſt purgatus.* Et *ibidem ſub litter. G. ſanguis autem plurimis erupit, præcipue adoleſcentulis & adultis, quorum periit maxima pars, quibus ſanguis non erupit.* Et de mulieribus etiam ſanguinis excretione judicatis, ita *Lib. 1. Epidem. Sect. 2. pag. 953. ſub lit. B. Plurimis itaque menſes in febribus apparuerunt. Quibuſdam e naribus ſanguis erupit, & multis virginibus id tum primum accidit. Nonnullis ſimul & ſanguis e naribus, & menſes apparuerunt, quod in Detharſis filia virgine tum primum animadverſum eſt, largeque ex naribus ſanguis profluxit.* Ex quibus ſanguinis largas excretiones optimas eſſe, morboſque judicare demonſtratur. De qua Hippoc. *Pagin. 1005. litter. A.* ita habet: *Fluxus ſanguinis largi ex naribus ſolvunt multa, ut Heragoræ.* Quomodo *in lib. 4. Epidem. Pag. 1131. text. 27. mulierem*, cui ſanguis ex naribus quinta ſextaque fluxit, die ſeptima fuiſſe judicatam, meminit. Atque hæc erit una ex præcipuis notis optimarum excretionum, ut, inquam, large erumpant. Attamen videndum erit, ne ſæpius, larga ipſarum copia, ex nos decipiant, putantes optimas criticaſque eſſe excretiones, quum malæ potius ſint. Nam ſæpius largis ſanguinis eruptionibus plures exſtincti ſunt. Etenim conſueviſſe in morbis vehementibus, morbo adhuc exſiſtente crudo, immoderatas inanitiones fieri, Galen. *in libr. de præſag. ad Poſthumum* memoriæ prodidit; propterea ſæpius cogi medicos, eruptionem cohibere, uti Galen. fecit in *juvene Romano*, in quo ſanguis ad pondus librarum quatuor cum dimidia fluebat e naribus.

Largæ ſanguinis eruptiones quando bonæ.

De quibus immoderatis eruptionibus in ſequenti capite nos, DEO volente, accuratius. Nunc neceſſario tradenda ſunt ſigna, ex quibus largas bonas excretiones a malis diſtinguamus; quæ hæc erunt: præter alia bonis omnibus communia, ægrotantium facilis tolerantia, & ipſos robuſtiores reddi, leviores, quod ſi ſiticuloſi fuerint, ut non amplius ſitiant, & febris tollatur, ſymptomataque tollantur, aut diminuantur, pulſuſque meliores,

Sanguinis larga excretiones bonæ, quomodo a malis di-

liores, vehementiores, æqualiores, & ordinatiores evadant. Memini proximo anno elapso, in quo me a febre quartana sanguinis copiosa excretio, in qua ad minus sex libræ sanguinis profluxerunt, critice liberavit, inter alia signa post illam copiosam excretionem, omnibus fere immoderatam visam, observata, me nihil prorsus sitiisse, quum antea perpetuo, vehementerque, sitirem, nullumque languorem virium sensisse, levioremque ac viribus firmiorem evasisse, quæ, contra opinionem fere omnium Medicorum, mihi spem certam salutis videbantur polliceri, speravique exinde, eam sanguinis copiam fore criticam, neque ullo pacto timendam, etsi majori ex parte, tussi repente oborta, sanguinis profluxerit. Quare iis notis copiosam criticam sanguinis eruptionem distingui a symptomatica mala sciemus.

Bonæ si diebus criticis appareant.

Tertia conditio criticarum salubriumque sanguinis eruptionum est, quod diebus criticis appareant. Hisce enim diebus, a nobis alias dictum est, conspectas excretiones, vel bonas vel malas, firmius judicium habere, & ad salutem, & ad mortem præsagiendum. Ex quo merito Auctor *Coac. præsagiorum in lib. 4. text. 45. & in 5. lib. Coac. præsag.* ait: *Acuti morbi judicantur sanguine fluente e naribus, & sudore multo.* Et *text.* 152. *die septimo, nono, & quartodecimo, sanguinem e naribus ut plurimum febres resolvere.* Quarta, ut in aliquo dierum judicatoriorum excretio fuerit præindicata. Solet enim natura in die indice modicum aliquando sanguinem excernere, quod est indicium in altero die decretorio hæmorrhagiæ copiosioris futuræ. In *Metone lib. 1. Epidem. Ægr. 7. pag. 983.* quarto die bis de nare dextra paullatim fluxit, & altera die affatim multus profluxit, quo fuit judicatus. Addamus quintam, quod excretio quum ideæ, naturæque morbi, tum ægrotantis, victus anteacti, temporum, præsentis constitutionis anni temporum, atque cæli naturæ respondeat. Dictum alias a nobis est, quod sanguinis excretiones sint aptissimæ vacuationes in omnibus morbis acutis, cum febribus, omniumque maxime in synochis, atque ardentibus, in inflammationibus hepatis, lienis, diaphragmatis, non raro in pleuriticis ac in phreniticis: Quare in hisce morbis probe & utiliter spectantur sanguinis excretiones, veluti in aliis affectibus ita non utiliter: quæ itidem hac ratione utiles erunt in corporibus omnibus, quæ plurimo sanguine eoque calidiori exsuperant; & propterea, si præcesserit victus bilioforum ciborum, plurimaque calidioris sanguinis signa, aut æstus sit, vel calida constitutio, vel in cælo calidiori & alia adsint, & quæ generationem bilioforis sanguinis adjuvent, optimum erit, erumpere sanguinem in prænarratis morbis. At quinimmo in ipsis sanguinem non erumpere, non leve esse malum, Hippocrates, *in primo Epidemiorum, Comm. 2. pag. 951. sub. lit. G. text.* 17. ita docet: *Sanguis autem plurimis erupit, precipue adolescentulis, & adultis, quorum periit maxima pars, quibus sanguis non erupit.*

Si morbi ideæ & naturæ ægrotantis conveniant.

Si locis affectus congruant.

Sexto opertet has optimas excretiones locis affectis congruere, ita ut aut e directo, ut divertant, probeque a parte affecta vacuent, aut ex opposito, ut revellant. De his Hippocrat. *in Aphorismis lib. 6. Aphor.* 21.

Insanientibus si varices, vel hæmorrhoides supervenerit, insaniæ solutio. Et in libro quarto *Aphor.* 25. *Inferne vero niger si dejiciatur, bonum*: & Galenus in comment. *Revera enim jam factæ melancholiæ maximum est remedium sanguinis ex his venis, quæ hæmorrhoides appellantur, profluvium.* Et in libro quinto *Aphor.* 32. *Mulieres sanguinem evomentes, si menstrua eruperint, morbi fit solutio.* Hinc Medicis usus est familiaris ad insanientes, sanguinis vacuationes, per hirudines, appositas venis hæmorroidibus appellatis. Quod in illis, qui eas venas amplas habent, omniumque maxime, si per ipsas alias fluxerit sanguis, est utilissimum; si modo plurem neque paucum sanguinem, ut plerique Medicorum faciunt, quibus raro hujusmodi vacuatio propter hanc causam utilis succedit, evacuent.

Ut vero humores divertant, atque simul evacuent a parte affecta, optima erit excretio, quum natura tum arte facta, e directo lateris affecti; quam Galen. *in libro de curat. per sang. missionem*, vacuationem maxime commendat, & κατ' ἴξιν vocat, ideſt directe factam, ut hepate læso sanguis si e dextra, & liene, ex sinistra effluat. De qua Hippocrates, *in libro secundo Epidemiorum, Commen. 3. pag. 1027. lit. D. text. 13. secundum rectum, & laterum tonsio dolorosa, & tensiones hypochondriorum, & lienis elevationes, ex naribus fluxiones*: & in libro quarto *Epidem. p. 1129. lit. A. Horridi, anxii, cibum aversantes, bilioſi, sanguinem fundentes, splenici doloroso modo ex sinistra parte plurimi*. Hinc eruditiores Medici in pleuriticis sanguinem ex eodem latere mittunt, minimeque ex oppoſito.

Si juvent. Septimo optima hæmorrhagia vel sanguinis excretio erit, a qua morbus aut omnino tollitur, aut saltem diminuitur, ægrotique allevantur, tolluntur, aut minuuntur itidem symptomata; cujusmodi excretio visa est, quam Hipp. quum in *Heropytho*, tum in *Larissæ Virgine* obſervavit. De *Heropytho Lib. 3. Epidem. Ægr. 9. p. 1106.* ita habet: *Quadrageſimo multum ex naribus sanguinis erupit, menteque constitit, magis surdus quidem, sed non perinde fuit, febres fuerunt remissæ.* Et de *Lariſſæ virgine ibid. Ægr. 12. pag. 1110. Sexto naribus largiter multum fluxit, inhorruit, at mox sudavit toto corpore multum & calidum sine febre, est judicata.* Propterea optima erit, aut quæ totum morbum & symptomata solvit, vel diminuit. Galen. scribit 2. *lib. de motu muſculorum cap. 6.* se vidiſſe hominem una cum febre, tredecim dies delirum, per nares plurimo sanguine vacuato, statim convaluiſſe, ad mentemque subito rediiſſe. Hippocrat. optimam esse, quæ surditatem solvit, *in Aphoriſmis sect. 4. Aph. 60.* docet, & Auctor *Prorrheticorum lib. 1. text. 152.* ait. *Quibus capitis dolores, cervicis labor atque totius corporis cum tremore in rmitas, hæmorrhagica solvunt. Ceterum & tempore ista solvuntur.* His addo ægrotantes, qui plurimum ante sitiebant, siti liberari, quod ad criticam sanguinis excretionem maximum est; quoniam optimus sanguis multis, non critice erumpens, nimirum siccando, sitim inferre solet: contra criticus refrigerando febrilemque calorem compeſcendo, & diffiando corpus, sitim tollere, ac forte etiam, quod viscera humectentur ea ratione, quod a calore amplius non hauriatur humor. Hippocr. *in libr. quarto Aphoriſmorum 27.* ita habet: *Quibus per febres*

bres ſanguinis quacumque ex parte copia eruperit, quum reficiuntur, alvi his humectantur. Demum ab optima ſanguinis vacuatione, ut dictum eſt, ægroti robuſtiores, faciliuſque reſurgentes, & pulſus meliores evadunt. Atque hæ notæ erunt optimæ cujuſvis ſanguinis excretionis, vel per nares, vel per vomitum, vel per alvum, vel per uterum, vel per hæmorrhoides.

CAP. III.

De malis exitialibuſque ſanguinis eruptionibus.

Sanguinis excretiones judicantur malæ, ex nullis ſignis coctionis apparentibus.

CONTRARIIS notis nobis ſanguinis excretiones malæ, exitium denotantes, innoteſcent. Quæ profecto hæ erunt; quippe prima, ut hæmorrhagiæ, aliæque excretiones ſanguinis, nullis conſpectis ſignis coctionis; (etſi nuper fuerit demonſtratum, largas eruptiones ſanguinis optimas, aliquando etiam, crudo morbo exiſtente, bonas eſſe:) attamen, ni bona illuxerint ſigna, judicium faciunt difficile: quæ excretiones, ſi una cum pernicioſis ſignis apparuerint, aut ipſas ſequantur, exitium portendent.

Ex pernicioſis ſignis aut antegreſſis, aut concomitantibus aut ſubſecutis.

Ante itaque eruptionem ſanguinis præceſſiſſe, aut pernicioſa in excrementis ſigna, uti nigredinem in urinis, cum ſedimento nigro, turbidas eaſdem urinas, ſubjugales, non clareſcentes, vel tenues aquoſas; vel vomitus fœtidos, virulentos, verſicolores, nigros; aut nigraſque itidem dejectiones, ac colliquationes, peſſimum eſt; aut pernicioſa aliqua ſymptomata, de quibus nos ſuperioribus libris ſatis accurate egimus, aut antegreſſa ſint, vel ex iis aliquod pravum una cum hac eruptione apparuerit, aut hanc ipſam conſequatur, exitium præmonſtrabunt. De his *in libro 3. Porrhet. lib. 1. text.* 126. legitur: *Si ea naribus ſanguis erumpat, quum ſudores vel fuerint vel pervenerint, perfrictionem quidem ferunt, ſed indicat malum eſſe morbum*: ac quum perfrictio tum in extremis fiat, tum per totum corpus, *gravior, difficiliorque, quæ per totum corpus eſt.* Et *ibid. text.* 127. *poſt ſanguinis eruptionem dejectiones nigræ, malæ: pravæ autem prærubræ, & ſi quarto die talis eruptio fiat.* Et Galen. *in Comment. ſequentis textus* dixit, omnes ſanguinis eruptiones cum deſudatione malignas eſſe. Et *lib. 1. Prorrhet. text.* 129 *poſt modicam ſanguinis eruptionem, nigramque dejectionem, in acutis morbis, ſurditas, malum eſt: ſanguinis dejectio in his pernicioſa, ſurditatem vero ſolvit.* Nos tamen vidimus in homine robuſtiſſimo Bononienſi, febre acuta maligna vexato, perpetuo a primo die ad quartum decimum uſque, qua die fuit ſanatus, hæmorrhagiam continuam, in qua ad minus ſingulis diebus ſanguis ad libram exibat, quæ hæmorrhagia quum uſque ad ſeptimum perſeveraſſet, noſque ab ea timuiſſemus, ad cohibendam quibuſdam medicamentis uſi, non amplius e naribus fluxit, ſed cœpit per alvum eodem modo profluere, una cum copioſa diarrhœa bilioſa, quam itidem a primo die uſque ad decimum quartum copioſam, & fortem aſſiduam habuit, quæ excretiones uſque ad decimumquartum, quo die perfecte fuit judicatus, ut dixi, eodem modo perſeverarunt. Atque hic

nonniſi ob maximas vires fuit ſervatus. Et rurſus Auctor *Prorrhetic. lib. 1. text.* 41. dixit: *Si intercepta alvus, parva, nigra & in ſpiras circumducta, ad neceſſitatem dimiſerit, & per nares eruptio fiat malum.* Galen. in commento ait, hoc modo, qui ſunt ſiccati atque arefacti a calore febrili, vacuationes ferre non poſſe: & *in 2. lib. Coac. præſag. text.* 40. & 342. *Profluvium ſanguinis e naribus, & paucus ſudor cum refrigeratione, malum*: & *text.* 326. *Quæ diebus criticis perfrictiones fiunt vehementes a ſanguinis profluvio, peſſimæ.* Ex his itaque apparet eruptiones ſanguinis, cum malis ſignis, malas eſſe ac pernicioſas. De quibus Hippoc. *in lib. 3. Epidem. pag.* 1085. *lit. F.* ait: *Nec non decretorii aliud in ita habentibus ullum apparebat, neque ſanguis rite perfluit, neque alius conſuetus abſceſſus fiebat decretorius.* Quare ſanguinis eruptiones cum malis ſignis ſunt pernicioſæ. Non minus, quæ neque morbi ideæ, naturæ ægrotantis, cæli conſtitutionis, temporis anni, ætatis, victus anteacti, temperamento reſpondeant. In frigidis enim morbis, ac pituitoſis, numquam eruptio ſanguinis bona erit, ſed perpetuo mala. Tertio, quæ neque locis affectis congruit hæmorrhagia mala erit, quam rem expreſſit auctor *Prorrheticorum lib. 1. text.* 125. dicens: *ſanguinis ad latus diverſum eruptiones malæ, ut, ſi quum lien magnus fuerit e dextra nare fluat, atque res in hypocondriis ita habet.* Qua ratione damnatur etiam ſanguis, per vomitum excretus, in febribus ab Hippocrate *in Aphoriſmis*, ſed præſertim nigri ſanguinis, omniumque maxime in extenuatis corporibus, de qua re *in lib. 4. Aphoriſm.* 23. ita habet: *Quibuſcumque ex morbis acutis aut diuturnis, vel ex vulneribus, ſive quovis alio modo extenuatis, nigra bilis, ſive uti ſanguis niger, deſuper exierit, poſtridie moriuntur.* Quarto mala eſt ſanguinis excretio, a qua ægri nihil juvantur, aut alterantur; peſſimaque, qua in deterius mutantur. Quod ſit talis excretio unum ex judicatoriis non judicantibus, letalis judicii. Ait enim Gal. in 1. *prorrhet.* (*Vide & Hipp. lib. 2. Epidem. Sect. 1. pag. 999.*) judicatorium non judicantium alia quidem eſſe letalia, & alia judicatu difficilia; quæ vero in contrarium repunt, ſunt letalia. Addatis, pulſus ſatis aperte demonſtrare harum excretionum malignitatem, quum ipſi languidiores, inæqualiores, & longe pejores reddantur. Demum ex quantitate quoque ſanguinis hanc eamdem malam excretionem cognoſcemus; quippe quo aut immoderatius profluat, aut minus, quam deberet, aut non totus confertim, ſed per intervalla, uti fit in criſibus imperfectis. Immoderatius effluere, numquam bonum, ſepæ malum, quod calorem innatum maxime diminuat, & propterea facile natura morbo ſuccumbit. Hinc Auct. *Prorrhet. lib. 1. text.* 133. ſcripſit, *a multa ſanguinis eruptione alvos male affici*, quod nimis refrigerentur: & poſtea *ibid. text.* 134. *In judicatoriis perfrictionibus ſanguinis eruptiones vehementes, peſſimæ.* Quod maxime refrigerent corpora, nimirum addendo frigus frigori. Hinc frigora non recaleſcentia & in debilibus rigores eſſe pernicioſos, Hipp. *ibid. text.* 65. ſtatuit. Ita etiam quorum corpora immoderatius, *ſanguine fluente*, vacuantur, *alii in letalem deſipientiam, alii in convulſiones pernicioſas* delabuntur, ut Hipp. *in 7. Aphoriſmorum Aphor. 9.* docuit, Aliquando, quod fit

Si neque morbi ideæ neque naturæ ægrotantis reſpondeant. Neque locis affectis congruant.

A quibus ægri nihil juvantur.

Ex pulſibus.

Ex ſanguinis excreti quantitate.

in

in morbis non vehementibus, ita ægri refrigerantur, ut in hydropem veniant; plures enim obſervati ſunt ea de cauſa hydropici. Quam rem Galen. *in lib. 2. Aphor. 72.* hiſce verbis nos docuit, dicens: *Sanguis enim quum ſupra modum, aut ex utero muliebri, aut ex venis, quæ hæmorrhoidæ appellantur, aut ex ulcere fluxerit, tunc vel omnes, vel plurimas operationes, ii, qui ita affecti ſunt, offenſas habent. Nonnulli vero ipſorum non modo hæc patiuntur, verum etiam aqua inter cutem corripiuntur.* Non minus vero paucæ, quæ ſtillati fiunt, atque incipientes, ſtatim deſinentes, de quibusn ſequenti capite agemus, pernitiales exſiſtunt.

CAP. IV.

De ſanguinis excretionibus paucioribus, ſtatim deſinentibus, atque de ſtillis ſanguinis e naribus, quidque in morbis acutis præſagiant.

SANGUIS e naribus, aut ex aliqua alia parte, paucus erumpens, aliquando bonus. ubi principium criſis in aliquo die judicatorio ſignificat; veluti in *Metone lib. 1. Epidem. Ægr. 7. pag. 983.* viſum eſt, in quo quarta die modicus effluere e naribus cœpit, & quinto largiter erumpens, judicavit. Sed hoc non fiet, ubi morbus plane crudus erit, atque minus cum aliquo ſigno pernicioſo.

Sanguinis excretiones paucioresque nam mala.

Hoc modo enim modicus ſanguis, ac vel etiam per intervalla erumpens, perpetuo malum portendet, exitiique ſignum erit certiſſimum, ubi ab ipſo morbus poſtea minime concoquatur, nihiloque allevetur. Aliquando optima erit excretio, ubi plane morbus crudus non erit, ceteraque ſigna fuerint ſalutaria, atque ſi poſtea, proximo decretorio die, largiter erumpat. Quæ ſi vel non in die indice apparuerit, ac non ſequatur larga poſtea die judicatorio eruptio, ſymptomaticum ſignum, malumque erit, mortaleque, ſi ſigna alia pernicioſa apparuerint, atque ſi poſtea ægroti in pejus mutentur. Rariſſime itaque, ut potuimus obſervare, contingit, ſanguinis paucam excretionem bonam eſſe, plerumque peſſimam, perpetuo longitudinem, & non raro exitium præmonſtrantem futurum; & præſertim, ubi neque per convenientia loca exierit, nec quicquam ægros ſublevaverit; veluti quibus hepar inflammatum eſt, ſi per ſiniſtram narem, & quibus lien per dextram, & quibus uterus affectus, ſi per nares aut per vomitum, minimeque per uterum exeat, & qui ab ipſa febre neque ſymptomatis allevantur. Sanguinis itaque pauca excretio hæc indicabit, nihilque certi ad præſagium, ni pariter alia ſigna conſiderentur; cum malis mala, cum non malis incerti judicii ſeu difficilis erit, cum bonis longitudinem indicabit. Quum vero paucam ſanguinis excretionem conſpectam nulla alia ſequatur, aut ſi ſtatim, quum cœperit, deſiſtat, nihil pernicioſius erit; quum ſummam virium imbecillitatem, teſte Galeno *in primo Prorrheticorum Commentar. 1.* denotet. Sed age de ſtillis quoque ſanguinis agamus, quum ex ſæpiſſime in acutis febribus, maxime

Quid ad præſagium faciunt.

Sanguinis ſtillæ quid præſagiunt.

meque in ardentibus ſpectentur : nam hæ excretiones pejores ſunt, teſte Galeno, ſi ſtatim, quum cœperint, deſiſtant, quam quæ nullo modo apparuerunt. Ex varia itaque quantitate ſanguinis fluentis variæ fiunt quoque eruptiones; una quantitas, multa, continua, confertim erumpens, quæ in perfecta criſi apparet; altera diſcreta, quæ quum perſeverat, aliquando criſin poſtea futuram indicat; tertia eſt, quum paucæ tantum ſtillæ e naribus exeunt, quales a cauſa externa aliquando fiunt, veluti ab inſolatione, quippe capite a ſole calefacto, ex vino meraciore & ſimilibus. Hæ, ubi fiant vi febris, criſin fruſtra tentatam indicant, idque aut morbi malignitate fieri, aut ſanguinis vitio, aut cerebri infirmitate. Hujuſmodi ſtillæ in mitioribus morbis, in quibus cetera ſigna ſunt ſalutaria, morbi diuturnitatem prænuntiant; in acutis vero certiſſimam mortem; nam indicant naturam, ut Galen. *in* 4. *de Vict. rat. in acut. text.* 67. docet, conatam eſſe, quod ſuperfluum eſt, ſive, ut *in primo* quoque *Prorrhet. Com.* 1. expreſſit, abundantiam, in cerebro collectam, excernere, minimeque potuiſſe, vel ob propriam imbecillitatem, vel ſanguinis craſſitiem, vel partium denſitatem, vel quædam ex his, vel propter omnium concurſum. Quo apparet ſtillas omnes ſanguinis in acutis morbis peſſimas eſſe, pravumque & malignarum febrium ſignum, ut Galen. *in* 3. *Epidem. Comm.* 3. *text.* 35. ſcripſit: de qua ſane conſtitutione Epidemica Hippocr. *Lib.* 3. *Epidem. pag.* 1085. *lit. D.* dixit: *Nares pauca ſtillarunt, ſignumque pernicioſum fuiſſe*; quod etiam in prima conſtitutione fuit obſervatum, de quo ſigno Hippoc. *in* 1. *Epidem. Sect.* 2. *pag.* 954. *inter lit. D. & E.* ait: *At quum febres ardentes inciperent, annuntiabant, quibus exitium impenderet*; & quum multa ſigna enumeraſſet pernicioſa, quæ in principio febrium ardentium fuere obſervata, addidit, *ibidem inter lit. F. & G. Nec erupit e naribus ſanguis, ne his quidem, quibus hæc accidunt, ſed parum ſtillarunt*. Quare merito ſtillæ in morbis acutis omnes ſunt ex ſignis pernicioſis, de quibus Hippocr. *in eodem lib. Sect.* 2. *pag.* 951. *inter lit. E. & F.* ait: *Nam Philiſcus quidem, Epamenon, & Silenus, quibus parum quarto die & quinto e naribus ſtillavit, mortem obierunt*. Certiſſimamque mortem ſtillæ ſanguinis in morbis acutis præmonſtrabunt, omniumque maxime, ſi ſanguis craſſus, atque niger ſtillaverit, de quo Auctor *Prorrhet. in* 4. *Prorrhetic. text.* 54. (*An Libr.* 1. *text.* 79. *& Coac. præſag.* 573) ait: *E naribus ſtillicidium, malum: ſi nigrum & atrum, letale*. Et Galen. *in Comm.* dixit, nigrum & merum ſanguinem, deſtillatum, non modo in caput materiam motam eſſe, ſed etiam a calore acutiſſimo, qui totam conſumſit humiditatem, ſanguinem peraſſatum, ejuſque omnem Ichorem conſumtum indicare: & ſupra dixit, quum omnes e naribus ſtillationes difficiles ſint, quoties craſſæ & nigræ deſtillationes fuerint, maxime pernicioſas reperies. Quæ etiam in aliquo dierum criticorum apparent, abſolutiſſimam perniciem oſtendunt, quod in iis diebus ſigna omnia, quum bona tum mala, magnam vim habere ad præſagium, ſuperius oſtenderimus, de qua *in Prorrheticis Libr.* 1. *text.* 1. *Stillatio e naribus his pernicioſa, tum alias, tum ſi quarto cœperit die*: & Galen. *in Comm.* ait: *Quum ſtillatio e naribus ſemper malum ſignum ſit, abſolutiſſi-*

In acutis morbis omnes peſſimæ ſunt.

Quando mortem in acutis morbis præmonſtrant.

ma morbi malitia significatur, si quarto fiat die. Videtur siquidem natura collectam cerebro abundantiam conata esse ut expelleret, sed nequivisse. Pernicioſissimæ non minus sunt cum malis quoque signis conspectæ, inevitabileque exitium significantes. De quibus *in* 3. *Prorrhet. lib.* 1. *text.* 141. *Quæ ex naribus cum surditate, & ignavitate parva est stillatio, difficile quippiam habet*. Galen. vero hunc Auctorem reprehendit, quod dixerit stillas has difficile quippiam habere, quum omnes sint letales. Et *in* 1. *lib. text.* 126. *Ex naribus si stillicidium sanguinis fuerit, cum sudore frigido & refrigeratione extremorum, letale*: Pessimæ itaque cum surditate, torpore, comate, vigiliis, delirio, atque similibus signis perpetuo erunt, maximeque in phreniticis. Quæ omnino fuere visa in *Philisco, lib.* 1. *Epidem. Ægr.* 1. *pag.* 966. *Sileno, ibid. Ægr.* 2. *pag.* 969. *Uxore Dromedai, ibid. Ægr.* 11. *pag.* 987. & *in Pario lib.* 3. *Epidem. Ægr.* 1. *pag.* 1093. in quibus stillicidium sanguinis letale fuit observatum. Atque hæc de prædictione ab excretionibus sanguinis in morbis acutis.

CAP. V.

De prædictione ex sudoribus, & primo quid sudor, quotuplexque sit, & de ipsius causis.

Quum non minus frequenter morbi sudoribus judicari soleant, idcirco ab ipsis etiam, quomodo ægrotantium salus ac mors prædici queat, accuratius nunc est cognoscendum. Quod ut facile & certe consequi possimus, primum, quid sudor sit, & quot sudorum exstent differentiæ, explicabimus, atque de ipsorum causis; ut sudorum quoque generatio nobis innotescat, agemus. Sudare vero eos dicimus, qui humorem per meatus cutis, actu humidum, excernunt; ad diff rentiam perspirationum, seu vaporationum, quæ per eosdem meatus fiunt. Medici has insensibiles vacuationes vocant, quod sensibus quidem non pateant. Ex quibus sudor erit particularis evacuatio sensibilis, per poros cutis meatusve facta. Plures vero sudorum observantur differentiæ. Quæ desumuntur ab ipsorum *substantia*, ex qua alii crassi viscidique exeunt, alii tenues sine ullo lentore. Ex *figura*, quando alii, teste Hippocr. *prognost. pag.* 38. *lin.* 26. milii formis spectentur, alii perinde guttæ fiant. *Colore*, quum alii flavi, alii virides; necesse erit sudores eo colore spectari, quo humores, qui per cutim vacuantur, infecti sunt. *Sapore*, siquidem omnes, teste Galen. *in libr.* 10. *simpl. cap. de Sudore*, falsi, & subamari sint, quibus quidem saporibus humores, qui vacuantur, referti sunt. *Odore*, quum quidam fœtidi, quidam sine fœtore exeunt: & *copia*, tum quidam multi, alii pauci apparent, aliique statim, quum inceperint, desinunt. Ex *qualitatibus* item *activis*, quum omnes aut calidi sint, aut frigidi, aut medii. *A tempore* etiam, in quo apparent, suas habent differentias, quando alii in principiis morborum, alii in statu, & alii in declinatione prodeunt: & a *tempore*, quo durant, sunt alii assidui sive continui, alii interpolati. Quorum quidam:

Sudor quid.

Sudorum differentiæ.

dam apparent cum ſignis coctionis ; quidam cum ſignis cruditatis ; & quidam ſunt decretorii ſive judicatorii , quod judicent ægros ; quidam ſymptomatici , quippe quod per modum ſymptomatum fiunt , & quidam periodici , quales in febribus tertianis & quartanis fiunt , atque hæ ſudorum differentiæ nobis ſufficiunt . Nunc de ipſorum generatione agamus , quam quum duo præſertim abſolvant, quippe materia ex qua, & efficiens: de his duobus itaque nunc agamus . Materiam ſudorum , & urinarum eamdem eſſe ſcribit Galen. *in libr.* 10. *ſimpl. cap. de Sudore* : in ſaniſque eſſe humorem ebibitum , ſed magis elaboratum , utpote qui ad cutem uſque , per meatus omnes , qui interſunt partibus , perveniat . Ex quo conſtat eſſe tenuiorem hujuſmodi alimenti partem , quam ſerum humorum appellant , ſeu ichorem , ſed nonnihil bilioſæ ſubſtantiæ adeptum , qui ſua tenuitate facile per poros cutis excludi a corpore poteſt ; veluti craſſus humor ineptus ad ſudoris generationem videtur : atque hæc eſt ſudoris materia in ſanis . Hinc multos ſudores habent , qui copioſiori quum potu tum cibo utuntur ; & corpora plethorica , quæ raros cutis meatus obtinent , non minus , & qui in jecore ac liene plurimum humorem habent . Hinc Hippocrates dicit in 4. *Aphoriſm.* 41. *Sudor multus ex ſomno factus abſque cauſa manifeſta , corpus uti pluri cibo ſignificat . Si vero cibum non accipienti hoc accidat , ſcire oportet , quod evacuatione corpus indiget .* Ex quo in ſanis materia ſudoris erit , aut , ut dictum eſt , pars tenuior humidi alimenti , aut humor redundans in corpore . In ægrotis vero aliquando eſt humiditas alimenti humidioris , quæ ſane in iis obſervabitur , qui minime recta vivendi ratione uſi ſunt ; plerumque vero ab humoribus tenuioribus redundantibus , quippe ſanguine , bile flava , ac pituitoſo quoque humore frigido . Atque hinc Galen. *in lib.* 3. *de criſibus cap.* 3. ſcripſit , ſudores omnium febrium eſſe proprios , & præcipue ardentium , ſemitertianaſque , quotidianas , & quartanas judicare non parumque juvare efferventes , inflammationes , parotidas , lethargos , reliquoſque omnes capitis affectus ; quod omnes tum calidi , tum frigidi humores , qui tamen ſunt tenues , ſudores concitare poſſunt , ſeu per ſudorem propelli , ipſorumque omnium maxime putres , quum tenuiores ſint , & facilius fluerent . Demum aliquando (quod nonniſi in perniciosis affectibus fit) humiditas partium ſolidarum alimentalis , quam Medici humidum nativum appellant , quo nativus calor conſervetur , per cutis meatus colliquata , & diſcuſſa exit . Atque hæc eſt ſudorum omnis materia .

Materia.

Cauſa.

Sudorem vero efficit calor ipſe , vel naturalis , vel præter naturam in corpore exſiſtens : humorem enim attenuat , ſecumque ducit ad cutem , ex quo corpora , ubi incaleſcunt , in ſudorem incidunt ; atque hinc eſt , quod in continuis febribus , a rigore , quem ſequitur calor maximus , corpora in ſudores ſoleant erumpere : dum enim ipſa rigore vexantur , calor intus retractus , poſtea (ſi fortis eſt) foras erumpit , diffuſuſque per totum corpus , humores extenuat , ac fere in vapores mutatus , ſecumque ipſos ad cutim ducens , ſudorem facit . Hippocrates *in primo Prognoſticorum p.* 38. *lin.* 28. *& ſeq. text.* 26. ait: *aliquos fieri aut ob corporum exſolutionem ,*

atque

atque alios ob inflammationis vehementiam. Ob corporum exſolutionem non ſimpliciter ſudorem, ſed paucum ſudorem, ſeu madorem potius quemdam, quem ἐφίδρωσιν Græci vocant (deſudationem Galen. vocat) fieri, aut in toto corpore, ut docet Gal. *in lib. 3. Prorrheticorum, Comm. 33.* aut in capite, atque thorace, facultatiſque retentricis imbecillitatem, vel humorum copiam, in ſudantibus partibus præmonſtrare: ob vehementiam itidem inflammationis fieri deſudationes, aut naturam opprimentem, aut reſolventem, aut, quod inflammationis incendio humiditatis copiæ extenuatæ humidior pars reſidet ad cutem. Quare ſudorum generationem fieri ex calore, humorem tenuem, qui ſerum ſeu ichor eſt ſanguinis, ab humiditate cibi potuſque profectum, aut ſanguinem, aut bilem, aut pituitam, extenuante, ac in vaporem mutante. In febribus, quas Græci *Elodes*, noſtri ſudorificas vocant, ſudor proprium eſt ſymptoma, in quibus ſuppreſſa vis humoris, concepto intus incendio, in perpetuum vaporem, & ſudorem reſolvitur. Deſudationes vero, quæ ſunt, teſte Galeno, pauci ſudores ſeu madores, nihil conferentes, aut in toto corpore, aut melius in ſuperis partibus apparentes, aliam cauſam habent, uti dictum eſt, quippe ut ait Hippocrat. *Prognoſt. pag. 28. lin. 28.* ob corporum exſolutionem, aut inflammationis vehementiam, aut, ut Galeno placuit, ob facultatis retentricis reſolutionem, quæ nedum redundantem humorem excrementitium, ſed vel etiam alimentarium ex ſolidis partibus, foras reſudare ſinit. Sed age his præmiſſis, ad prædictionem e ſudoribus cognoſcendam, deſcendamus, quam primum a bonis ſalutaribus perſcrutabimur.

Deſudationes quid.

CAP. VI.

De bonis ſalutaribuſque ſudoribus, ſalutem in ægrotis prænuntiantibus.

SÆPIUS fit, quod homines, acutis morbis vexati, bonis ſudoribus, large & critice crumpentibus, liberentur, & merito; quum per ſudorem, teſte Galeno, *in lib. art. med. text. 99.* univerſum corpus evacuetur. Hujuſmodi vero ſudores his notis, ab his, qui ſalutares non ſunt, diſtinguentur; quippe primo, quod hi, morbo concocto, cumque ſignis coctionis, manifeſte appareant, ut docuit Galen. *in 1. libr. de Criſib. cap. 7.* quod decernentia in melius non ſtatim, ſed vel in augmento, vel in ſtatu, quo tempore morbum vel plane concoxit, vel quum partim concoxerit, reliquum pergit alterare. Atque hæc eſt bonorum ſudorum non ſpernenda nota, ſine qua ſudores, nequaquam utiles, longos morbos, labores, recidivas, aut ipſos morbos criſi neutiquam ſolutum iri, aut exitium, teſte Hippocr. *in 1. Epidem. Sect. 2. pag. 945. lit. E.* prænuntiant: qui vero poſt coctionem apparent, criſis celeritatem, ſalutiſque ſecuritatem ſignificant: crudi vero & incocti, & in malos abſceſſus converſi vel judicii fruſtrationem, vel dolores, vel diuturnitatem, vel mortem, vel eorumdem malum reditum denuntiant. Sudores itaque ad hoc, ut ſalutares ſint, neceſſario debebunt poſt ſigna coctionis conſpici.

Sudores boni quomodo a malis diſtinguuntur.

Optimi ſi cum ſignis coctionis appareant.

Secun-

Si in die aliquo decretorio erumpant.

Secunda nota erit, ut in die aliquo decretorio erumpant, de quibus Hippocrat. *in lib. 4. Aphoriſm. 36.* ita ſcripſit: *Sudores febricitantibus ſi inceperint, boni ſunt tertio die & quinto, & ſeptimo, & nono, & undecimo, & decimo quarto, & decimo ſeptimo, & vigeſimo, & vigeſimo ſeptimo, & trigeſimo quarto. Hi enim ſudores judicant morbos: Qui vero non ita fiunt, laborem, & morbi longitudinem, & recidivas ſignificant.* Galen. in comm. ait, quartum diem Hippocratem vel præteriiſſe, quoniam plures morbi peracuti, quod acceſſiones habeant diebus imparibus, & criſes una in acceſſionum tempus incidant; vel ab aliquo quartum diem omiſſum negligenter fuiſſe. Nos vero divinum Hippoc. ſæpe ſumus admirati, quum quarta die optimos ſudores non ſæpius obſervaverimus.

Si criticum aliquem rigorem ſequantur.

Tertia nota erit, quod ſudores criticum aliquem rigorem ſequantur: natura ſiquidem, quum e venis tenues acutoſque humores detrudit, rigorem vehementem, iiſdem humoribus, extra venas in ambitum corporis propulſis, per carneas ſenſiles partes diſcurrentibus, ac ipſas velliſcantibus, ut docet Galen. *in lib. de rig. convulſ. & palpit.* concitat, cum extremarum partium refrigeratione; quæ natura ubi fortis ſeu robuſta eſt, a rigore vehementi, & frigiditate, calore quidem foras erumpente, febris acuta & magna excitatur, cujus calore humores extenuati in ſudorem copioſum reſolvuntur: & propterea Hippocr. *in Epidem. Lib. 1. Epidem. pag. 982. Ægr. 6. in hiſtoria Cleonactidis*, optimos ſudores a rigoribus ſubſecutos notans, dicebat: *rigor, acuta febris, ſudavit.* Uti in *muliere decumbente in litore*, de qua *ibidem Ægr. 13. pag. 990. Undecimo ſuperriguit, igni eſt correpta, ſudavit, febre eſt liberata*: & de *Charione*: *Lib. 3. Epidem. Ægr. 5. pag. 1072. Decimo ſuperriguit, febris acuta, ſudavit, febre eſt decretorie liberatus.* Qua ratione, ut nos alibi docuimus, Hippocr. *in libr. 4. Aphoriſm. 58.* dixit: *Si ardente febre laboranti rigor ſuperveniat, morbi ſit ſolutio*: quod ab his rigoribus ſubſequantur, (ut docet Galen.) boni ſudores, aut aliæ vacuationes. Quare ſudores ſequi rigores, optimum eſt: & propterea Galen. *in libr. 9. de Criſib. capit. 3.* dixit; *eos, qui rigent, optime ſudare*; & Idem *in 1. Prorrhet. com. 13.* ait: *ſudores, qui rigores conſequuntur, boni exiſtunt, ſi una cum coctionis ſignis appareant.* De quibus Hippocrat. *in 1. Epidem. 2. Pag. 951. inter lit. E. & F. text. 64.* ita meminit: *Plurimi igitur ægrorum circa judicium rigebant, potiſſimum ii, quibus ſanguis non erupiſſet. Qui quidem poſtea ſubriguerunt, ac exſudarunt.*

Si copioſi ex toto corpore erumpant.

Quarta conditio eſt, ut copioſi ſint, & calidi, atque ex toto corpore erumpant; quippe qui facultatem robuſtam denotant, quum æque per omnes partes corporis calorem diffundat, ipſoſque ſupervacuos humores in ſudorem digerat, ac æque per omnes partes reſolvat: quod ei quidem prælanguidæ non ſuccedit, aut quum maligno morbo laborat. Sudores enim tunc inæqualiter evacuantur, in quibuſdam partibus plus, in quibuſdam parum, vel nihil. Quare copioſi ſunt optimi ſudores, ſi ex toto corpore erumpant, calidi, veluti qui in capite tantum aut thorace, aut in toto corpore pauci, aut frigidi, peſſimi & pernicioſi exiſtunt, ut ſequenti capite demonſtrabimus, quod Hippocr. *in 3. Epidem. Ægr. 6. pag. 1102. text. 77.* ſæpius annotavit, particu-

ticulatimque *in Pericle*, de quo ſcribit: *Quarto circa meridiem ſudor prorupit toto corpore multus & calidus, ſine febre judicatus eſt, neque rediit*: & de *Nicodemo*, *ibid. Ægr.* 10. *pag.* 1108. *Sudor ei toto corpore copioſe calidus emanavit, ſine febre judicatus eſt*: & de *muliere moroſa*, *ibid. Ægr.* 11. *pagin.* 1108. *Sub hanc noctem ſudor multus toto corpore & calidus prorupit, liberata febre dormivit*: & *de virgine Lariſſæa*, *ibidem Ægr.* 12. *pag.* 1110. *Inhorruit ac mox ſudavit toto corpore multum, & calidum, ſine febre judicata.*

Quinta conditio optima quoque eſt, ut ait Hippocrat. *in Prognoſt. Pag.* 38. *lin.* 17. *&* 28. quod *cum guttis evaporat*, ut dictum eſt, ex toto corpore calidus, & multus.

Si cum guttis evaporant, ex toto corpore calidi & multi.

Demum ſudorum optimorum notam eſſe ſingularem, docet Hippocr *Prognoſt. pag.* 38. *lin.* 15. loco citato, ut *per ſudorem integre febris ſolvatur*: propterea *in Epidem.* Hippocrat. notans criticos optimoſque ſudores perpetuo dixit *febre liber*, aut *ſine febre judicatus*, aut *febris ceſſavit*; quod febrem tolli integre ſit certiſſimum indicium ſudoris optimi, & ſaluberrimi. Ceterum boni quoque ſunt, teſte Hipp. *Prog. p.* 38. *lin.* 17. ſudores, qui, ut diximus, *copioſi ex toto corpore prodeuntes*, ni febrem integre tollunt, *faciunt*, ut *ægri facilius morbum ferant*, quoniam morbum allevant, ſymptomata minuentes. At hi ab optimis differunt, quoniam non perfecte judicant, etſi ſalutem prænuntient, nonniſi longo tempore futuram. Quos Hipp. in multis obſervavit, ſed præſertim in illo, *qui in Dealcis horto decumbebat*, de quo ait *Lib.* 3. *Epid. Ægr.* 3. *p.* 1066. *Decimo ſeptimo extrema frigida, cooperiebatur, acuta febris, toto corpore ſudavit, allevatus eſt, melius ſapiebat, non tamen febre liber, & vigeſimo dormivit, plane mente conſtabat, ſudavit, liber erat a febre, non ſitiebat, quæ poſtea rediit, qui nonniſi die quadrageſimo, cum alvi ſubcrebra pituitoſa dejectione, cum multo ſudore ex toto corpore, abſolute eſt judicatus.* Atque hæ notæ ſunt optimorum ſudorum criticorum, quas his tantum Hippocr. *Prognoſt. pag.* 38. *lin.* 15. *& ſeq.* verbis eſt complexus, ita dicens: *Sudores autem optimi ſunt per omnes acutos morbos, ſi per diem eveniunt decretorium, & integre ſedant febrem. Boni etiam ſunt, ſi ex toto corpore prodeant, faciantque, ut æger ferat facilius morbum; ſi vero nihil tale efficiunt, nequaquam utiles ſunt.* Neque hiſce notis optimos ſudores cognoſcemus ſolum, ſed non minus etiam, ſi una ſigna optima alia illuxerint, veluti bona hæmorrhagia, aut alia evacuatio, & uti dictum eſt, ſi ægri ab ipſis melius ſe habuerint. Cujuſmodi ſudores Hipp. *in Epidemiis* in multis vidiſſe ſcripſit, ſed præſertim in *Cleonactide*, *Libr.* 1. *Epidem. Ægr.* 6. *pag.* 982. *Metone*, *ibidem Ægr.* 7. *pag.* 983. *muliere quæ in litore habitabat*, *ibid. Ægr.* 13. *pag.* 990. *Melidia*, *ibid. Ægr.* 14. *pag.* 991. *in eo, qui in Dealcis horto*, *Lib.* 3. *Epidem. Ægr.* 3. *pag.* 1066. *Charione*, *ibid. Ægr.* 5. *pag.* 1072. *Pericle*, *ibid. Ægr.* 6. *pag.* 1102. *Virgine Abderæa*, *ibidem Ægr.* 7. *pag.* 1103. *Anaxione*, *ibid. Ægr.* 8. *pag.* 1104. *Nicodemo*, *ibidem Ægr.* 10. *pagin.* 1108. *muliere moroſa*, *ibidem Ægr.* 11. *pagin.* 1108. *virgine Lariſſæa*, *ibidem Ægr.* 12. *pagin.* 1110. & in aliis multis, in quibus ſtudioſus lector poterit prædictas optimorum notas re-

Si febrem integre ſolvant.

Sudores quinam etiam boni.

cogno-

cognoſcere, & in cognoſcendis ſudoribus ſalutaribus ſeipſum exercere.

CAP. VII.

De malis pernicialibuſque ſudoribus exitium portendentibus.

Sudores quinam modice mali.

MALOS ſudores in morbis acutis, at modice quidem malos eſſe, Hippocrat. *in lib. Prognoſt. Pagin.* 38. *lin.* 20. *& ſeq.* docet, qui neque integre febrem adimunt, ſed neque etiam faciunt, ut ægri facilius morbum ferant, ideſt, nihil allevant ægrotos, etſi ex toto corpore prodeant: his pejores, qui nec ex toto corpore, nec faciunt, ut ægri facilius morbum ferant, ideſt nihil ipſos allevantes: graviores, qui graviorem exhibent morbum, peſſimoſque frigidos, & qui circa caput tantummodo eveniant, vultum, & cervicem. Hos enim in acuta febre, mortem, & cum mitiore, longitudinem indicare tradidit. Sed omnes ſudores malos diverſis capitibus complectamur, eoſque accuratius ad accuratiorem præſagiendi notitiam aſſequendam conſideremus. Primo itaque conſiderabimus omnes, qui crudo morbo, minimeque ſignis coctionis manifeſtis apparentibus, erumpunt; ſecundo de malis ex ipſorum quantitate multa vel pauca agamus; tertio ex caliditate & frigiditate; quarto ex partibus corporis a quibus exeunt; quinto ab ægrotantium nulla allevatione, aut læſione; atque demum ex malis ſignis una obſervatis. Ut vero primum caput examinemus, & cognoſcamus, diſtinguimus ſudorem, in periodicum, criticum, atque ſymptomaticum. Periodicum eſſe dicimus, qui in febrium intermittentium periodis fit, cujuſmodi fiunt, in febribus tertianis, quartanis. Cujuſmodi fuiſſe narrat Hippocr. *in lib. 7. Epidem. Pag.* 1207. *text.* 4. in *Pythodoro*. Criticus, de quo ſuperiori capite egimus, qui in febribus continuis, in aliquo dierum decretoriorum apparens, integre febrem tollit, aut eam diminuit, ægrotoſque allevat. Cujus effectum criſin appellamus, ſeu judicium, aut perfectum aut imperfectum. Criticorum ſudorum notas ſuperius diximus eſſe, quod antegreſſis coctionis manifeſtæ ſignis appareant, in die critico, vigente natura, ac qui ex toto corpore exeunt calidi, multi, non tamen vires reſolventes, atque febrem & ſymptomata reſolventes, aut plurimum minuentes. Symptomaticus vero critico opponitur, quod per modum ſymptomatis fiat, numquamque utilis, plerumque cum exitialibus ſignis, mortem præmonſtrans, aut ſaltem morbum fore longum, cum multis recidivis atque non abſque labore, & moleſtia. Hos itaque ſymptomaticos alias omnes fecimus, tum ceteras alias excretiones, crudo morbo erumpentes, ſcilicet in tempore, quo nulla ſigna coctionis manifeſtæ illuxerint. Tunc enim temporis quamobrem fiat, quod omnis excretio in continuis febribus ſit mala, ſatis accurate in principio proximi libri, cum de prædictione a concoctione, & cruditate, atque ab excretione ſcripſerimus, demonſtravimus. Quamobrem mali omnes ſudores apparent, morbo crudo exiſtente, nulloque manifeſto ſigno coctionis antegreſſo: in principio ideo ſudores apparentes ſcripſit Hippocrat. *in* 2.

Quinam peſſimi.

Sudorum diſtinctio.

In periodicum.

Criticum

Symptomaticum

Sudores omnes mali quando apparent.

Epidem.

Epidem. Sect. 1. *pag.* 994. *prope liter. E. text.* 2. morbum judicatu difficilem ſignificare; quod ſi hujuſmodi ſudores, vel tantum in capite, vultu, cervice, aut in collo, aut in thorace ſpectentur, eo pejores; aut ſi frigidi ſunt, aut exigui, aut ſtatim ceſſantes, aut multi, aſſidui, immoderati, peſſimi. Sed nunc de pernicialibus a copia vel multa, vel pauca, aut a non ſudantibus, agamus. Multi & copioſi ſudores vocantur, & qui confertim largiſſime erumpunt, & qui ſunt aſſidui, & qui & aſſidui, & copioſi: copioſos ſudores Gal. *in* 3. *de ſympt. cauſſis cap.* 2. dixit fieri, aut propter corporis raritatem, aut propter ejus, quod vacuatur, tenuitatem. Hi, & qui ob raritatem effluunt, non confertim, ſed aſſidue affluere ſolent. Quare in febribus multi ſudores, ſi neque propter tenuitatem, neque propter raritatem fiant, (nam hi teſte Galen. *in* 4. *Aphor.* 41. non ſunt copioſi,) perpetuo copiam humorum denotant, uti docuit Galen. *in libr.* 4. *Aphoriſm.* 42. Atque hinc eſt, quod Hippocrat. *in eodem libr. Aphoriſm.* 42. ait: *Sudor multus ex ſomno ſine ulla alia cauſſa eveniens, corpus uti pluri cibo ſignificat; ſi vero cibum non capienti accidat, evacuatione egere ſignificat.* Multumque ſudorem, & Galen. dixit, copiam excrementorum denotare. Hi itaque in febribus conſpecti, non judicantes, mali perpetuo propter eam cauſſam erunt, quippe quod multitudinem humorum ſuperandam denotent, pro qua natura longo tempore opus habet, ut concoquere & ſuperare queat; quo fit, ut non raro in acutis morbis, quibus natura brevi exſtinguitur, mortem præſagiant. Hinc Hippocrat. ait *in eodem libr. Aphoriſm.* 42. *Sudor multus, frigidus, caliduſve, ſemper fluens, frigidus graviorem, calidus minorem morbum ſignificat.* Quod, ut Galen. *in comment.* ait, uterque copiam humorum ſignificet, quippe frigidus frigidorum, qui eſt pejor, calidus calidorum, qui priore minus eſt periculoſus. Hi enim neque febrem ſolvunt, neque allevant, crudoque, uti dictum eſt, morbo erumpunt, ideo longitudinem ſaltem, recidivas, atque laborem ſignificant: Auctor *Prorrhet. Lib.* 1. *text.* 58. hos in acutis febribus inutiles vocat, de quibus Hipp. *in* 1. *Epid. Sect.* 2. *pag.* 945. *lit. E.* ſcripſit: *Sudores multi, his tantum aberat, ut recrearent, ut etiam contra laderent.* Qui vero non copioſi, ſed tamen aſſidui ſeu continui ſunt, mali etiam exſiſtunt, & plerumque exitiales, quando, aut propter corporis meatuum raritatem, aut propter virium imbecillitatem, quippe ſoluto corporis habitu, quales in ſyncope exeunt, fiant, ut Gal. quum *in lib.* 3. *ſympt. cap.* 1. *com.* 41. tum in 41. *lib.* 4. *Aph.* docuit: *Nam ſi copioſus ſudor non emittatur, poterit & propter virium imbecillitatem, & corporis raritatem accidere &c.* Qui omnes in acutis morbis perniciales exſiſtunt, quum naturæ languorem denotent: peſſimi vero, qui una etiam copioſi ſunt, quum & ſummam virium debilitatem & inſignem copiam humorum adeſſe oſtentant. Quibus inevitabile fatum prædicendum. Quales in *Eraſino, Lib.* 1. *Epid. pag.* 984. *Ægr.* 8. & in *phrenitico Lib.* 3. *Epidemior. Ægr.* 4. *pag.* 1100. Hippocr. vidit, de illo ait: *Habebat hic febrem perpetuo cum ſudore.* Et de *phrenitico* ait: *Virulenta vomuit, febris horrida, copioſus ſudor, aſſiduus toto corpore.* Alii ex aliis codicibus legunt, non ut Galen.

Sudores pernicialeſ unde cognoſcuntur.

A copia multa nō judicant morbum.

Si non copioſi ſed aſſidui.

Galen. ſed hoc modo, *ſudor multus & continuus capitis, & colli, per totum ſcilicet diem*, quum ii, qui animo linquuntur, ſudent capite, & cervice. Sed hoc non facit, ut cum Galeno *toto corpore* non debeamus legere; quum cuique Medico notum ſit, phreniticos ante mortem toto corpore dum reſolvuntur, ſudare: atque ex his colligimus, ſudores copioſos in acutis morbis, non judicatorios, non ſolum inutiles eſſe, ſed plerumque letales; omniumque certiſſime exitium præmonſtrant in foribus, qui una cum virium languore fiunt. Pernicioſi itidem ſunt, aſſidui, aut ſimul copioſi, aut etiam non copioſi in iiſdem acutis morbis. Pauci quoque ſudores non minus, quam multi, malum prænuntiare ſolent. Galen. *in lib. 3. de ſymptom. cauſſ. cap. 2.* ſcribit, paucos ſudores fieri, quum, quod ſuperfluit, exiguum eſt, vel glutinoſum, & craſſum, aut denique propter meatuum anguſtiam, qui aut conniventiæ aut obſtructionis ergo anguſtiores redduntur; obſtruuntur vero glutinoſis, & craſſis ſuccis, & meatus cutanei connivent ſive contrahuntur, aut propter atrophiam, aut refrigerationem, aut mollitiem. Hi ſudores quippe pauci, ſi in die decretorio eruperint, proculdubio indicabunt naturæ expellentis conatum irritum, eumque humores non poſſe expellere, aut craſſitie ſeu lentore, aut meatibus anguſtioribus redditis: at ubi meatus adſtricti non ſunt (quod cognoſcitur, neque atrophia cutim contractam eſſe, neque multum fuiſſe refrigeratam, neque admodum mollem, vel obſtructos eſſe meatus) atque illa adfuerint multitudinis humorum ſigna, pauci ſudores copiam craſſorum lentorumque humorum denotabunt; quod ſi tunc vires perdebiles fuerint, ſudores erunt exitiales, quippe exitium demonſtrantes, eoque magis, ut dictum eſt, ſi nullis conſpectis ſignis coctionis eruperint. Quo tempore omnem excretionem eſſe ſymptomaticam, atque humorum multitudinem denotare, alias a nobis eſt demonſtratum. Hujuſmodi enim ſudores ſignificant naturam cœpiſſe expellere per cutim humores, at niſi tenuiorem ipſorum portionem potuiſſe; quæ ſolvendo morbo ſatis eſſe nequit. Hujuſmodi eſſe ſolent, quod, quum cœperint, erumpere ſtatim deſinunt. Quos merito Galen. *in 1. Prorrhetic. comm. 1.* damnavit, dicens: *Sudores quoque, qui cœperunt quidem, ſed protinus ceſſaverunt, pravi ſunt.* Quare paucus ſudor perpetuo malus. Omnium vero peſſimum, ac maxime exitialem, paucum illum ſudorem, quem Græci ἐφίδρωσιν appellant, noſtri deſudationem ſeu madorem, affirmamus; in ægrotis enim exit aliquando ex toto corpore, plerumque circa caput, cervicem, collum, pectus, & aliquando circa extrema, de quo Galen. *in 3. Prorrhet. comm. 33.* ita habet: ἐφίδρωσις, *ideſt deſudationem, jam ſæpius quidem in hoc ſcripſit libro, ſed nuſquam ita lucide cognoſcimus, numquid ſudores, circa thoracem caputque apparentes, ita appellet, an eos, qui toto emanant corpore, ubi tum pauci, tum nihil conferentes ſint:* pravum autem utrumque horum eſt; deterius autem, quod in ſuperis fit partibus: nempe quum omnis deſudatio demonſtret vel copiam in ſudantibus partibus, vel facultatis retentricis imbecillitatem; utrumque eorum, in locis tum thoracis tum capitis fuerit, deterius eſt ſignum, quam ſi in alia quapiam parte fuerit. De illorum, qui copiam humorum oſtendunt, judicio ſatis nuper diximus. Nos vero,

Si aſſidui, aut ſimul copioſi aut non copioſi.

Pauci quinam mali

Si in die decretorio eruṕant.

Sudor ille omnium peſſimus deſudatio vocatur.

Deſudatio qui notat.

vero perniciales esse affirmamus, quum a prælanguente natura fiunt, vel etiam humidum alimentarium solidarum partium, oppressione, aut resolutione discussum, retinere nequeunt. Distinguunt has desudationes ab iis, quæ multitudine humorum fiunt, quod plerumque circa frontem, cervicem, collum aut pectus, aut circa extrema effluant, exiguusque sit mador, non augescens, raro calidus, plerumque subfrigidus, pulsus prælanguidi, & alia signa, naturam prælanguentem denotantia, una adsint; hujusmodi sunt, quod ab immoderatis vacuationibus fiunt, de quibus *in* 3. *Prorrhet. Libr.* 1. *text.* 126. legitur: *A profluvio sanguinis e naribus paucus sudor cum refrigeratione, malum*. Sed quid? an *non sudare* in quibusdam etiam morbis malum est? certe quidem in omnibus morbis, quos judicare sudores Galen. *in libro tertio de Crisibus* docuit, quippe in febribus omnibus continuis, maximeque in ardentibus, quas judicari absque sudore, aut absque alia proba vacuatione, exindeque febres aut integre tolli, aut ipsas cum symptomate diminui, ægrotosque in melius mutari, infidam esse morbi remissionem, Galen. *in* 3. *Epidemior. comm.* 1. *text.* ostendit, Hippocrat. *in Aphorism. Sect.* 2. *Aphorism.* 27. scribente: *Iis, quæ non secundum rationem relevant, non esse habendam fidem*. Quod in *Hermocrate Libr.* 3. *Epidemior. Ægr.* 2. *pagin.* 1062. in *filia Euryanactis Virgine*, *ibidem Ægr.* 6. *pagin.* 1073. moribundis vidit; de illo ita habet: *Quartodecimo die a febre erat liber, non sudavit, dormivit omnino, mente constabat. Urinæ eadem, circa diem septimum decimum rediit, in sequentibus diebus incaluit, febris erat acuta, urinæ tenues, deliravit: iterum vigesimo die est judicatus a febre liber, non sudavit*. Hujusmodi vero infidas morborum remissiones, sine sudore, aut alia proba vacuatione factas, signa, quæ subsequentur, mala a fidelibus distinguent, quando fideles optima, & infidas prava sequuntur, cujusmodi fuerunt, quæ in *Hermocrate* post judicium subsecuta sunt. Nam dixit: *Iterum vigesimo die est judicatus a febre liber, non sudavit, perpetuo a cibo horrebat, omnino mente constabat, loqui non valebat, lingua inaruit, non sitiebat, obdormiscebat aliquantisper comatosus*. Atque ita quandoque ex *non sudare* in febribus ardentibus exitium poterimus animadvertere. Restat, ut idem a sudoribus frigidis perscrutemur, quum sæpius in acutis morbis exitiales observentur. Sed ipsorum in primis generationem atque causas perspectas habere debemus: quod plurimum claritatis ab hisce sudoribus ratio prædicendi habere possit. Primum sudores, quod ex frigida crudaque materia fiant, propterea in febribus continuis crudorum humorum multitudinem ostendunt, ut Galen. *in libro quarto Aphorism.* 42. demonstravit, præsertim ubi copiosius erumpunt. Hos Galen. *in* 4. *Aphorism.* 37. docet, *fieri, ubi in vasis humores putrescant, & natura, solidas partes moderans, & regens* (*quæ secundum Hippocrat. est nativus calor*) *vel prorsus exstinguatur, vel propius ad exstinctionem accedat: quæ quidem ex iis evacuantur, frigida sentiuntur; eam vero, quæ fit ex putredine, caliditatem nihil prohibet vehementissimam esse, atque ideo signum est exitiale, ostendens in animali corpore humorum multitudinem superabundare, tantam habentium frigiditatem, ut neque a*

Quæ ab imbecillitate oritur quando distinguitur ab ea quæ a multitudine humorum.

Sudores nulli in morbis apparentes quando malum.

Sudores frigidi quid notant & unde.

calore

calore nativo, neque a febrili caleſiant. Ex quibus ſudores frigidos primum multitudinem humorum frigidiſſimorum oſtendere, atque naturam vel exſtingui, vel proprius accedere, ut exſtinguatur. At quando iſtuc, quippe in vaſis vehementiſſimum calorem ex putredine, tum nativum intus retractum; ſunt extremorum refrigerationes, cum humore frigidiſſimo, abſque quod in ſe mutuo agant; quod ſi agant, neceſſe erit, aut frigidum ſudorem calefieri, aut ab ipſo calorem prorſus exſtingui, quod certe obſervatur, quando, uti habet Galen. *in* 4. *Aphoriſm.* 37. *ſi morbis non acutis, ſed mitioribus longo tempore calor naturalis non exſtinctus ipſum calefaciat, & in vehementi, cito viribus reſolutis, prorſus exſtinguatur.* Hinc merito Hippocrat. *in eodem libro Aphoriſm.* 37. dixit: *Frigidi ſudores cum febre quidem acuta mortem, cum mitiore vero morbi longitudinem ſignificant;* quippe quod, ut ait Galen. *ſi febris fuerit remiſſior, poterit homo ſervari, concocta ſcilicet longiore tempore humorum multitudine, atque evicta a natura. At acuta febris, & cauſa eſt, & ſignum perniciosiſſimum: ac cauſa quidem, quando ſuapte natura reſolvat corpora: ſignum vero, quia humorum multitudinem oſtendit, qua frigidiſſima eſt, quum nec a febrili calore mutetur.* Sed forte humores ii frigidi, & idcirco ad motum inepti, una cum natura prælanguida, & proprius ad exſtinctionem accedente, quomodo ad cutem ferentur? hac inquam ratione: humor enim a calore febrili aliquatenus calefactus, etſi ſuapte natura moveri nequeat, fertur ad cutim, in qua, aut adventitio calore ſuſcepto reſoluto, rurſus frigeſcit, atque ita frigidus exit.

In morbis acutis perpetuo exitium.

Itaque in morbis acutis perpetuo frigidi ſudores exitium oſtendunt, quomodocumque erumpant, aut copioſi, aut pauci, aut ex toto corpore, aut ex capite, collo, & pectore, aut ab extremis. Cujuſmodi fuere ab Hippocrate obſervati in *Philiſco, Lib.* 1. *Epidem. Ægr.* 1. *pag.* 966. in *uxore Dromedai, ibid. Ægr.* 11. *pag.* 987. in *muliere, Lib.* 3. *Epidem. Ægr.* 12. *pagin.* 1080. quæ in *foro mendacium* decumbebat, in *Pythione, ibid. Ægr.* 3. *pag.* 1098. in quibus moribundis ex toto corpore ſudores frigidi profluxerunt. Exitialiores etiam ſunt pauci frigidi, aut circa caput, aut circa extrema, ſcilicet manus, & pedes, qui prorſus facultate exſtinctioni proxima fiunt. De quibus Hippocr. *in Prognoſt. Pag.* 38. *lin.* 21. merito dixit: *Peſſimi vero, qui frigidi ſunt, in acutiſque morbis mortem, & in mitioribus morbi longitudinem indicant.* Itaque perpetuo frigidi ſudores mali exiſtunt. Quales Hippocrat. in poſtrema conſtitutione peſtilenti vidit, de quibus *in libro* 3. *Epid. Pag.* 1089. *lit. E.* dixit: *Sudores intempeſtivi, frigidi, multi, perpetuo.* Ipſorum perniciem confirmabunt omnia ſigna una conſpecta, quæ omnia neceſſario, & præſertim quæ ſubſequentur, erunt pernicialia. Cujuſmodi fuere quæ in *Philiſco* & in aliis ægrotis, nuper ex Hippocr. propoſitis, viſa ſunt. De *Philiſco Vide ſub lit. A.* ait: *Quintum ſub diem obmutuit, frigida ſudavit, extrema partes liveſcebant, die ſexta ad meridiem eſt defunctus:* atque de hoc in fine dixit etiam: *Sudores perpetuo frigidi.* Et de *uxore Dromedai. Vide ſub lit. B. Sexto die mane ſuperriguit, cito percaluit, toto tempore ſudavit, extrema membra frigida, deliravit, ſpiritus magnus, rarus, paullo poſt convulſiones a capite cœperunt, ſubito obiit.*

obiit. Et de *muliere lib. 3. Epidem. ægr. 12. pag.* 1080. quæ in *foro mendacium* decumbebat : *Septimo ſuperriguit, febris acuta, ſitis ingens, ſe jactavit, ſub veſperum per totum corpus ſudavit frigidum, frigus partium extremarum*. Ex quibus cuique liquido conſtabit, ſudores frigidos in morbis acutis eſſe exitiales, perpetuoque mortem præmonſtrare ; eoque certius id prædici poterit a nobis, ſi in aliquo dierum criticorum eruperint, atque ipſos ſi aliquod ex pernicioſis letalibuſque ſignis conſequatur. Atque hæc de ſudoribus frigidis exitialibus. Nunc eoſdem ex partibus corporis, e quibus erumpunt, conſideremus. Quemadmodum diximus optimos ac ſalutares eſſe, qui ex toto corpore erumpunt, quoniam robuſtam naturam demonſtrant, intuſque neque morbo maligno, neque cauſſis morbificis impeditam, æque ex omnibus partibus humorem excernere ; ita e contrario, viſcere interno, aut vehementi inflammatione, aut humorum multitudine, oppreſſo, non æque omnes partes ſudant. Sudores itaque, qui non ex toto corpore erumpunt, ſed aut ex capite aut thorace, ut docet Hippocr. *in Prognoſticis, pag.* 38. *lin.* 21. *& ſeq.* peſſimi exiſtunt, in acutiſque morbis, vel frigidi, vel calidi ſint, mortem ſignificant, in mitioribus longitudinem, recidivas, labores. De quibus Hippocr. *in* 1. *Epidem. ſect.* 1. *p.* 940. *lit. G.* ait : *Sudabant ſemper quidem, ſed non ex toto corpore*. Et paullo poſt *ſect.* 2. *pag.* 954. *lit. E.* recenſet ſigna, quibus ardentes febres, vel etiam in principio letales dignoſcebantur, quum dixit : *Paullulum in fronte & claviculis exſudabant, ſed nemo per totum corpus*. Hinc auctor Prorrheticorum *lib.* 1. *text.* 39. ait : *Si qui ſudantes, & præſertim capite, in acutis paullulum implacidi fuerint, malum*. Omnes itaque ſudores non ex toto corpore, mali ſunt, ut quia aut mortem aut longitudinem morbi ſignificent, de quibus Hippocr. merito ſcripſit *prognoſt. p.* 38. *lin.* 21. *Peſſimi vero, qui frigidi ſunt, & qui circa caput tantummodo eveniunt, vultum & cervicem. Hi enim cum acuta febre, mortem : cum mitiore, morbi longitudinem indicant*. Veriſſimum hoc judicium eſt, quod Galen. *in lib.* 2. *Prorrheticorum com.* 1. *text.* 24. docuit : *omnis deſudatio, ideſt, ſudor circa frontem, vel cervicem, vel collum, vel claviculas, erumpens, aut facultatis retentricis imbecillitatem, aut copiam humorum ſignificat*. Et Gal. *in* 1. *Pror. com.* 1. ait : *ob id boni non ſunt, quod quum ſuperioribus oriuntur partibus, tum geminam ob cauſſam fiunt ; nempe vel ob languentem, vel principio gravatam facultatem*. Peſſimi etiam, qui in capite & ſuperius fiunt in interna ſuppuratione atque in phthiſi ; de quibus auctor *Coac. præſ. in* 5. *lib. ſec.* 2. *text.* 402. *Qui ſuppurati fiunt maxime ex pleuritide vel peripneumonia, eos calores comitantur, interdiu tenues, noctu vehementes, & nihil memoratu dignum exſpuunt, ſudantque circa collum & claviculas, & his oculi cavantur, maxillæ vero rubent* : meritoque in acuta febre mortem ſignificant, quum facultas exſtinguatur, priuſquam concoquere copiam queat humorum. Exſudantes vero facultate retentrice imbecilla, nequeunte continere humorem, vel etiam alimentarium in partibus ſolidis, cito a febre plane exitioſi, propiuſque exitium eſſe demonſtrant in morbo hujuſmodi ; ſi vero etiam

Sudores qui non ex toto corpore, mali.

Quinam peſſimi.

frigidi fuerint, eo certius exitium pollicentur, cujuſmodi fuere, qui in *Pythione*, *lib. 3. Epidem. Ægr. 3. pag.* 1098. & in *muliere*, *ibid. Ægr.* 12. *pag.* 1080. quæ in *foro mendacium* decumbebat, die ſecunda, *Metone*, *lib. 7. Epidem. text. 47. pag.* 1220. *Ariſtocrate*, *ibid. text. 57. pag.* 1222. *Phærecide ibid. text. 91. pag.* 1230. moribundis, atque in aliis multis. In morbo vero mitiore, viribus prævalidis exſiſtentibus, longitudinem quidem, & non mortem. Cujuſmodi fuere in eo, qui in *Dealcis horto lib. 3. Epidem. pag.* 1066. *Ægr. 3.* decumbebat, de quo Hippocrates: *Die quarta de ſiniſtra aliquantum fluxit meri ſanguinis. Exſudavit circa caput, & claviculas, lien intumuit, femur e directo doluit.* Ex ægrotantium vero nulla alia vacuatione ſudores mali cognoſcuntur, atque etiam plus a læſione, quam a ſudoribus ægroti ſentiunt. Qui enim a ſudoribus nedum nihil juvantur, ſed vel etiam læduntur, hoc eſſe verum ex judicatoriis non judicantibus letale, ſcripſit Galen. *in primo Prorrheticorum comm.* 35. Hippocrateſque *in primo Prognoſticorum pag. 38. lin. 20.* ſtatuit, eos ſudores, qui neque febrem ſolvunt, neque faciunt, ut ægri facilius ferant morbum, eſſe inutiles, atque malos, qui aut longum morbum oſtendunt, aut exitialem: & Auctor *Prorrhet. lib. 1. text.* 58. dixit: *Sudor multus, ſi in febribus acutis fiat, inutilis*: quippe quod non ſolvat febrem. *Et in primo Prorrheticorum text. 7. Qui in hypochondrio febre frigerata ardores relinquuntur, tum alias, tum in ſudoribus mali ſunt*: & Galen. *in Commento*: *Nempe non qui per totum corpus ita fiunt ſudores, ſed exigui, quod non flammeam illam, quæ hypochondria fatigat, ſolvunt caliditatem, ob id boni non ſunt.* Idem & poſtea *in Prorrheticor. lib. 1. text. 68. Si in ſudoribus vigiles recaleſcunt, malum*: & rurſus *ibid. text. 67. Flammans quoque cum ſudore facies in his mala.* Quum ſudor ſi bonus eſſet, calor faciei deberet reſolvi; propterea, quum non reſolvatur, ſudor malignitatem oſtendit. Idemque & clarius Hippocrat. *in libro quarto Aphoriſmorum. Aphor. 56. Febricanti ſudor ſuperveniens, febre non deficiente, malum, prorogatur enim morbus, & plus humiditatis ineſſe ſignificat.* Qui ſudores in febre acuta mortem, & in mitiori longitudinem ſignificant. Mali omnes denique exſiſtunt, qui aut poſt ſigna mala, aut una cum malis apparent, aut quos pernicioſa ſequuntur. Ex quibus præcoguoſcitur certum exitium, quum ſudor, quem mala ſigna ſequantur, ſit ex judicatoriis non judicantibus letalibus, quum nedum juvent, ſed in pejus ægrotos deducant. De his vero ſignis pernicioſis, quæ poſt ſudores malos, Hippocrat. *in 1. Epidem. ſect. 1. pag.* 940. *lit. G.* ait: *Sudabant non ex toto corpore, extrema frigebant, ut vix calorem reciperent*: & auctor Prorrhet. *lib. 1. tex. 126. ex naribus profluvium ſanguinis, cum ſudore, perfrigeſcentia, maligna pravaque*: & paullo poſt: *ibi. text. 102. Qui principio ſudant urinis coctis, deuruntur que, & abſque judicatione refrigerantur, & celeriter peruruntur, torpidi item comatoſique pernicioſe habent*: & in *Coacis præſagiis text. 40. Qui ex rigoribus parvis ſudoribus refrigeſcunt, malum*. Qui ſudores fuere ab Hippocrat. obſervati

Sudores illi mali qui nihil juvant.

Pernicioſi quos mala ſigna ſequuntur.

in

in *Dromedai uxore*, *lib.* 1. *Epid. ægr.* 11. *pag.* 987. *Euryanactis filia virgine*, *lib.* 3. *Epid. ægr.* 6. *pag.* 1073. in *adolescentulo* qui decumbebat *in foro mendacium*, *ibid. ægr.* 8. *pag.* 1076. *in uxore Theodori*, *lib.* 7. *Epid. text.* 27. *pag.* 1216. *Aristocrate*, *ibid. text.* 52. *pag.* 1222. atque in *uxore Euxenii*, *ibid. text.* 58. *pag.* 1224. De *Dromedai uxore*, *in* primo Epidem. text. 28. *Sexto superriguit*, *cito percaluit*, *toto corpore sudavit*, *extrema frigida*, *deliravit*, *spiritus magnus & rarus*, *paullo post convulsiones a capite cœperunt*. Et de *filia Euryanactis in* 3. Epidem. 1. text. 3. ita habet : *Ab judicatione die septimo riguit*, *nonnihil incaluit*, *sudavit a judicatione octavo*, *aliquantulum riguit*, *postea extremæ partes semper algebant*, *circa decimum diem a sudore quem habuerat*, *deliravit*, *confestimque ad mentem rediit*. Et de *adolescentulo*, qui in *foro mendacium* decumbebat : *Altero die omnia exacerbata sunt*, *dejectiones plures intempestiviores*, *non dormivit*, *mente turbatus*, *aliquantum exsudavit*. *Tertio graviter sese jactavit*, *perplexus erat*, *deliravit*, *extremæ partes lividæ & frigidæ*. Et de uxore *Theodori* : *Sudor a facie fundebat primum exiguus*, *deinde multus per totum corpus*, *& pedes* ; *posthac videbatur ipsi febris remissa*, *erat autem ad manus frigidius corpus arteriis*, *quæ vero in temporibus etiam magis saliebant*, *& spiritus densior*, *& delirabat alias*, *& omnia in deterius*. Et de uxore Euxenii, *in* 7. *Epidem. text.* 46. *Sedata est febris cum multo sudore*, *& refrigerata est*, *anhelatio erat varia*, *mortua est*. Pernicioſos itaque esse omnes sudores, quos sequuntur signa pernicioſa, ex iis nobis liquido constabit. Sunt itidem pernicioſi, qui una cum pravis symptomatis, & signis exsudant. De his *in Coacis præsagiis*, *text.* 16. *Qui subinde sudant & rigent*, *letales*. & postea, *text.* 13. *Qui sæpius inhorrescunt*, *multumque sudant*, *ægre sanescunt* ; *& text.* 53. *Inquietatio cum sudore*, *mala*. Et *tex.* 327. *collat. Prorrhet. lib.* 1. *tex.* 125. *sanguinis ad diversum latus eruptiones*, *malæ*, *ut si*, *quum lien magnus fuerit*, *dextra e nare fluat*. *Cum sudore deterius*. Et *tex.* 35. *collat. Prorr. lib.* 1. *text.* 74. *febres cum comate*, *labore*, *lucis turbulentia*, *vigiliis & sudoribus*, *malignæ*. Quæ mala signa habuit una cum sudore *Aristocrates*, teste Hippocr. *in lib.* 7. *Epid. text.* 52. *pag.* 1222. Eodem modo ii sudores mali exsistunt, qui post pessima symptomata erumpunt. De quibus Auctor *Prorrheticorum*, *lib.* 1. *text.* 126. ait : *A profluvio sanguinis e naribus paucus sudor*, *cum refrigeratione*, *malus*. Sed dicamus ab omni evacuatione, veluti exempli gratia, ab immoderato sanguinis profluvio, aut a stillis sanguinis in febribus ardentibus, aut ab alvi mala fluxione, ac vomitu. Quare sudor sequens mala signa, pessimus est, & præsertim, si ea non tollat, vel allevet. Cujusmodi fuit in *uxore Olympiadæ*, de qua Hippocr. *in* 7. *itidem Epidem. text.* 49 *pag.* 1221. ita habet : *Vox non solvebatur*, *neque ipsa quicquam allevabatur*, *oculi tristes*, *spiritus sublimis*, *qui per nares trahebatur*, *color pravus*, *sudor circa pedes & crura*, *quum jam circa mortem esse*. Ac his esto finis prædictionis ex sudoribus.

Qui cum pravis signis apparent.

Vel post pessima symptomata erumpũt.

CAP. VIII.

De prædictione a vomitibus, & primum de ſalutaribus.

QUOD per vomitus humores expurgentur quandoque bene, & quandoque male, idcirco ab ipſis itidem futuros morborum eventus prænoſci, conſtat; a malis quidem, ſymptomaticis vocatis, morborum longitudinem, vel mortem, & a bonis ſalutem. Evomunt autem ægroti in morbis acutis, ventriculo, aut copia, aut prava qualitate cibi, aut humoris vitioſi contenti, irritato, aut humore quidem ex partibus circumpoſitis inflammatis, uti hepar eſt, exſudante, atque ad excretionem ad ipſum membrum movente, aut eodem modo a toto corpore, & venoſi generis cacochymia, morbo ineunte, aut per incrementa, propter copiam, aut malignitatem humorum excluſo. Quas excretiones *Symptomaticas*, & malas Medici vocant, quod has raro, aut numquam ſalus ſequatur, atque nonniſi multo tempore, multis laboribus, ac recidivis. Demum in acutis morbis itidem ægroti repente, in ſtatu, aut paullo ante ſtatum, ſcilicet, ſignis concocti morbi prægreſſis, copioſius evomunt, atque hanc vomitionem *criticam* vocant, quod ex natura ipſa, morbum ſuperante, atque corpus expurgante, fiat, atque propterea ſaluberrima ſit, tutoque ac cito morbos judicet, atque ſolvat. Vomitus vero futuri ſigna Hippocr. *in tertio Prognoſticorum pag.* 45. *lin.* 54. *text.* 35. ita tradidit: *Si cui infebre non exitioſa caput doleat, aut etiam caligent oculi, vel ventriculi huic dolor acceſſerit, bilioſa vomitio imminet; ſin rigor præterea apprehenderit, & partes ſubter hypochondrium algeant, adhuc citius vomitio aderit; ſi vero bibat, edat hoc tempore, perquam cito vomet.* Et *in* 1. lib. Epid. *ſect.* 2. *pag.* 948. *ſub finem. At vero quibus totius capitis gravitates, tum autem cordis dolores & faſtidia ſunt, bilioſa poſt ac pituitoſa vomunt.* Gal. vero *in lib. de Criſibus* ait, vomituum ſigna eſſe oris ventriculi morſum, ſimul cum dolore capitis, & vertigines obortas tenebricoſas cum agitatione labii inferioris, & multo, tenui, ſputo ex ore defluente, & non adeſſe ſigna hæmorrhagiæ, vel ſudoris, aut alvi fluxus, aut copioſioris urinæ, menſium, vel hæmorrhoidarum. Sed Auctor *Coac. Præſagiorum text.* 142. tribus tantum ſignis vomitus nobis innoteſcere, ſtatuit hiſce verbis: *Quibus autem cibi faſtidia ſunt, & oris ventriculi morſus, & multum ſalivæ, his vomitus fit.* In phreniticis ſolam crebram exſpuitionem vomitum præmonſtrare Gal. voluit. At hæc ſigna nobis ad prænoſcendum vomitum ſufficiunt, quum de iis ſuperiori libro longe accuratius, & fuſius ſcripſerimus. Nunc ad præcipuum inſtitutum noſtrum veniamus, quod eſt in præſenti capite, iis præmiſſis, ut bonos, utiles, ſalutareſque vomitus præmonſtremus. In corporibus itaque gracilibus ad vomendum promtis, & in æſtate, recte corpora per vomitus purgari Hippoc. *lib.* 4. *Aphor.* 4. & 6. docet, & præſertim in affectibus ſupra ſeptum tranſverſum. Qua ratione in lib. 4. *Aphoriſm.* 18. ait: *Dolores ſupra*

ſeptum

Vomitus in morbis acutis unde.

Vomitus futuri ſigna.

Vomitus boni, utiles, & ſalutares quinam.

ſupra ſeptum tranſverſum purgatione indigere per ſuperiora ſignificant, & eos, qui loca inferiora moleſtant, per inferiora. Ex iis vero, quæ per vomitum rejiciuntur; Hippoc. ſpeciatim *in libro ſecundo Prognoſt. pag. 41. lin. 3. text.* 38. ita habet: *Vomitio autem utiliſſima eſt, quæ pituita ac bile permiſta quam maxime eſt, & non craſſa valde neque multa.* Gal. *in lib. 4. Aphor.* ait, bilioſos vomitus a rigore ſubſequi, bonum; quod ardentis febris cauſſa expurgata fiat ſolutio: ex quo non omnes perpetuo boni erunt, ſed ii tantum, qui critice plurimum bilioſorum humorum expurgaverint. At non tantum bilioſi, ſed pituitoſi etiam, ſi critice expurgentur, humores. In pituitoſis enim febribus, pituitoſæ vomitiones merito deſiderantur, ſicuti in ardentibus, bilioſæ. Hippocr. *in 6. Epidem. com. 1. text. 5. pag. 1164.* in renum doloribus, quum pituitæ, tum æruginoſi humoris vomitionem laudavit: & Galen. *in 3. Aphor.* convulſis vomitum æruginoſum profuiſſe, ſcribit, de quo ita habet: *Huic totum eſt inter vomitum corpus convulſum, & ſimul ut vacuata eſt arugo, protinus febris ipſius, & convulſio ceſſarunt*: & Hippoc. *in lib. de veteri Medicina pag. 16. lin. 16. & ſeq.* perbelle hanc bilioſorum commodam purgationem attigit, ita dicens: *Itaque quum amaritudo quædam diffuſa fuerit, quam bilem flavam appellare ſolemus, quales ſtatim anxietates, & æſtus & impotentiæ occupantur, verum ubi liberi fuerimus ab illa, & purgati aut ſponte aut per medicamentum, ſi modo tempeſtive quid ipſorum fiat, manifeſte & a doloribus & a calore liberamur*: & paullo poſt, *ibid. lin. 24. Et quos quidem acuta, acriſque ac æruginoſa bilis afflixit, quales mox rabies, & morſus viſcerum ac pectoris, & deſperatio. Non ſedantur autem hæc, priuſquam eadem expurgetur & proſternatur, & aliis permiſceatur.* Ex quibus colligimus omnes vomitiones bonas eſſe, ſi per has humores, morborum cauſſæ, probe expurgentur. *Critici.* Dictum eſt alias has criticas vocari, quarum notas eſſe, ut concocto morbo appareant, ſcil. prægreſſis coctionis ſignis, ut in diebus decretoriis fiant morborumque ideæ conveniant, ac omnium maxime, ut morbos ſymptomataque integre tollant, aut ſaltem allevent, diminuantque. Quod præceptum recte tradidit Hippoc. *in 1. Aph. 2.* dicens: *In turbationibus alvi & vomitibus, quæ ſponte fiunt, ſi qualia oportet, purgentur, confert, & leviter ferunt, ſin minus, contra fit.* De quibus criticarum excretionum notis Auctor *Coac. præſagiorum text. 77.* ita habet: *Qui in febre continua muti jacent, clauſis oculis ſubinde conniventibus, ſiquidem e naribus ſanguis effluxerit, & vomuerint, atque ex eo loquantur, & ad ſeipſos redeant, ſervantur.* Addamus ſalutares quoque eſſe, quæ una cum bonis evacuationibus apparent, cujuſmodi fuit vomitus bilioſus, qui die 14. in *muliere e trimeſtri fetu gravida lib. 1. Epidem. Ægr. 13. pag. 990.* quæ in litore decumbebat, cum ſudore apparuit, quibus integre fuit judicata. Ceterum hi vomitus, qui abſque ſignis perfectæ coctionis fiunt, etſi boni ſint, atque morbum allevent, ſymptomataque diminuant, tamen ſalutem nonniſi longo tempore futuram, tum multas recidivas prædicant. Cujuſmodi fuit, qui in *Epicratis uxore* quintodecimo die apparuit, de qua Hipp. *1. Epid. Æg. 5. pag. 979. text. 26.* dixit: *Quintodecimo vomuit bilioſa, flava, ſubcrebra,* *Qui cum bonis evacuationibus apparent.*

ſudavit, libera febre. Sub noctem vero febris acuta, urina craſſa cum ſedimento craſſo. Atque vomitus pernicioſi, cujuſmodi ſunt nigri, ſinceri, & alii, ſi in mitiori morbo erumpant, non mortem, ſed longitudinem & recidivas præmonſtrant, quales in ſupra dicta ægrota die vigeſimo vidit Hipp. de quibus ſcribit: *Circa diem vigeſimum, mane aliquantulum ſuperriguit, comatoſa, quiete dormivit, vomuit bilioſa, pauca, nigra,* quæ mulier die tantum quadrageſimo, alvi fluxione & vomitu bilioſo, fuit judicata. Eodem modo *& Cleonactides*, die tantum 80. ſanitati reſtitutus, die 24. peſſimos habuit vomitus, de quibus Hippocr. *lib. 1. Epid. Ægr. 6. pag. 982. text.* 23. ait: *Circa diem vigeſimum quartum extremas manus dolor affecit, vomuit flava, bilioſa, ſubcrebra: & paullo poſt virulenta. Cuncta remiſſa ſunt.* Hi vomitus, quum urinæ aliqualem coctionem oſtenderent (quod tenues eſſent, ſed non decolores, quippe boni coloris ; quod maximum eſſe ſignum in iis, qui humorum copia laborant, ad ſalutem, docuit Galen. *in 3. Epidem. com. 3. in text.* 5. quum *virginis Abderæ* caſum commentaretur) atque quum morbum & ſymptomata allevarint, merito ſalutares fuerant judicandi, atque feciſſe quidem criſin ſalutarem, ſed imperfectam. Ex quo longo tantum tempore ſalutem futuram prænuntiarent. Quare in acutis morbis vomitus omnes, morbum allevantes, facienteſque, ut ægri morbum facilius ferant, ſalutares erunt. Sed non boni ſuapte natura, quales ſunt ſinceri, æruginoſi, nigri, fœtidi, virulenti, pauci, verſicolores, in morbo mitiori, ac morbo non omnino crudo, morbum ſane longum eſſe, vel exitialem, vel recidivas, laboreſque prænuntiant. Hippoc. *in lib. 6. Aphor.* 15. ait: *A longo alvi profluvio ſpontaneus vomitus ſuperveniens morbum ſolvit.* Et *in 1. Epid.* (*An ſect. 2. pag. 949. lib. 3.*) Vomitum bilioſum in muliere bilioſa, cui menſes minore quam par eſt copia fiant, bonum eſſe ſtatuit. Atque hi vomitus boni, ſalutareſque, exiſtunt.

Qui morbum allevant.

CAP. IX.

De vomitibus exitioſis, mortem præmonſtrantibus.

Vomitus pravi in principio morborũ, & a ſignis cruditatis innoteſcunt. Ex immodica ipſorum copia prava & nihil juvate.

VOMITUS mali, exitium præſagientes, apparent in principio morbi, aut paullo poſt principium, quippe aut nullis ſignis coctionis, aut obſcuris ſane obſervatis. Tunc enim, ut dictum eſt, natura nihil recte excernit, juxta illud *lib. 2. Epid. ſect. 1. pag. 998. ſub lit. D. decernentia in melius non ſtatim apparent.* Quare vomituum exitialium natura, primum in principio morborum, & a ſignis cruditatis, nobis innoteſcet.

Secundo immodica ipſorum copia, vires reſolvens, pravam excretionem denotabit, ac multa etiam per vomitum excreta, ſi non juvant in morbo vehementi, exitium prædicent ; & certius, ſi una cum aliis pernicioſis ſignis illuxerint ; omniumque certiſſime, ſi ſuapte exitialia ſint, cujuſmodi porracea, livida, æruginoſa, nigra, verſicolora, virulenta, fœtida, & meraca : de quibus ſigillatim nobis eſt agendum. Hippocrat. ea deſcripſit, qualia in *Phrenitico lib. 3. Epidem. Ægr. 4. pag. 1100. muliere, quæ in foro*

foro mendacium ibid. ægr. 12. *pag.* 1080. & in *filio Hegetoridæ lib.* 7. *Epidem. text.* 61. *pag.* 1225. ante mortem fuere obſervata. Pauca vero per vomitum excerni in morbis acutis, unum quoddam ex ſignis eſt, ut Galen. docet *in* 2. *Prorrhet. text.* 47. quæ ex toto pravitatem habent. Nihil etenim eorum, quæ decretoria ſunt, exigue ſecerni convenit; ſed quæ ita vacuantur, omnia, duorum alterum ſubeunt: nam vel, quod non queant tolerari ob copiam, ab affectis effunduntur partibus; vel imbecillitatem oſtendunt naturæ, quæ proponit quidem ſuperflua excernere, ſed nequit. Ex quibus paucos vomitus unum eſſe ex judicatoriis non judicantibus liquido conſtat, perpetuoque difficilis judicii, & plerumque letalibus, ſi præſertim ſuapte natura ii mali ſint, nihilque nedum non juvent, ſed quinimmo magis lædant, ab ipſiſque ægri in deterius abeant. Sinceri quoque, ſeu meri, ſeu impermiſti, in acutis morbis peſſimi exſiſtunt, quod humor ſincerus nedum crudus ſit, ſed incoctilis, quippe qui excludit tum actum coctionis, tum poteſtatem: Hippocrat. *Prognoſt. pag.* 41. *lin.* 6. ἄκρητον vocat humorem omnem miſtionis expertem, vel omne excrementum fervidum & crudum, quod ſuo ſero dilutum non eſt. Cujus generatio, vel partis alicujus vitio fit, vel fervore & incendio febrili exhauſta aquoſa & ſeroſa parte. Hic itaque in acuta febre magnum intus incendium latere oſtendit, plerumque a natura noſtra invincibile. Cum ſignis vero aliis malis exitialis hæc vomitio erit. Hinc auctor Prorrhet. *lib.* 1. *text.* 62. ait: *Vomitus ſinceri, anxioſi, mali.* Et Hippocrat. ait: *Prognoſtic. pag.* 41. *lin.* 6. *Sinceriores deteriores.* Sed ipſum audiamus de malis vomitibus ex colore, ita ſcribentem, *loco lit. f. citato*: *Si vero vomitio fuerit porracea, aut livida, nigra, quicumque ex his fuerit color, malum eſſe cenſendum eſt. Si vero idem homo omnes vomit colores, exitiale admodum jam eſt. Ocyſſimam vero abolitionem indicat vomitio livida, ſi grave olet.* Hæc omnia hiſce coloribus per vomitum reddita, peſſima exſiſtunt; licet porracea, æruginoſa, livida, nigra, fœtida, quandoque critice excerni poſſint: ſed hæc nonniſi morbo concocto, ſcilicet in ſtatu aut decremento redduntur, atque hoc certe habebunt, quod febrem aut integre ſolvent, aut ipſam & ſymptomata allevabunt. Sed hoc rarum eſt, ut hujuſmodi excrementa critice excernantur. Quare ut dictum eſt in vehementi febre continua, nondum coctionis ſignis conſpectis, certiſſima mortis ſigna erunt. Sed diverſi coloris vomitiones eſſe ſuapte natura pejores conſtat, quod ut Galenus docet, plures diverſoſque pravos affectus intus affligere denotent, ex quo auctor Prorrhet. *lib.* 1. *text.* 60. ait: *Vomitus cum varietate mali ſunt, tum alias, tum ſi propius inter ſe prodeant.* Ideſt, ſicuti Galenus habet, non multo poſt ſeſe conſequantur. Virulenti quoque ſive æruginoſi eadem ſane ratione in acutis morbis exitiales exſiſtunt, omniumque maxime in phreniticis, quod ſignent cerebrum inflammatione ex bile uſta, nempe mortifera, laborare. De iis Hippocrat. merito *primo Epidem. ſect.* 2. *pag.* 948. *lit. H.* dixit: *phreniticis convulſiones, ſed virulenta vomunt, & ex his quidam ſubito moriuntur.* Quæ in *phrenitico* prima die fuiſſe reddita, *in lib.* 3. *Epidemiorum*

Vomitus pauci in morbis acutis pravi.

Quando letales.

Quinam letales.

Virulenti ſive æruginoſi.

pag. 1100. *commentar.* 3. *text.* 75. ſcripſit. De quo itidem ait : *Phreniticus primo die, quo decubuit, virulenta vomuit, & multa & tenuia, febris horrida.* A malis etiam exitialibuſque ſignis æruginoſos vomitus, quos & virulentos dici poſſe putamus, conſpici & apparere, certam ſalutis deſperationem ſignificare affirmamus; quando ubi ſigna letalia prodant ſe & alia letalia, omnino deſperandum. Hujuſmodi vomitus cum capitis doloribus, vigiliis, aut ſurditatibus, quæ ſigoa inflammationem capitis teſtantur, vehementem inſaniam ſignificare, ita auctor *Prorrheticorum lib.* 1. *text.* 10. expreſſit. *Qui in capitis doloribus æruginoſos vomitus habent, vigilantque cum ſurditate, cito hi vehementer inſaniunt.* Ex quibus colligamus, hos vomitus in phreniticis tria oſtendere, primo morbi exitioſi celeritatem, inſaniam, melancholiam cum ferocitate, quum ex hoc humore ferinæ deſipientiæ concitentur; atque demum mortem cum convulſione. Quum ut alias docuimus, harum deſipientiarum, propter inſignem ſiccitatem, ab inſigni calore, proprium ſit, ut in tremores & convulſiones deſinant. His non videntur fœtidæ vomitiones minus periculum ſignificare, mortemque certiſſimam, ſuapte natura peſſimæ, ſi grave oleant. Hippocr. propterea dixit *Prognoſt. pag.* 41. *lin.* 10. *Ocyſſimam abolitionem ſeu mortem indicare vomitionem lividam, ſi grave oleat. Atque omnes ſubputres ac fœtidi odores in omnibus vomitionibus mali ſunt. Mulier lib.* 3. *Epidem. Ægr.* 12. *pag.* 1080. quæ in *foro mendacium* decumbebat, ante mortem vomuit nigra, graveolentia. Bilioſæ vero ſcilicet flavæ, croceæ, porraceæ omnes vomitiones cum malis ſignis, aut quæ mala ſequuntur, peſſimæ ſunt, exitialeſque, a quibus ægri læduntur, atque in deterius abeunt; eæ judicatorium non judicans, judicii difficilis, atque hæ letale judicium oſtendunt, eoque certius exitium oſtendent, ſi ſuapte natura malignæ ſint. De iis auctor *Prorrheticorum lib.* 1. *text.* 62. ita habet : *Vomitiones ſincera, implacida, mala &c. ibidem text.* 71. *Nigra revomentes, cibos faſtidentes, deliros, in pube parum dolentes, quibus oculus ferox clauſuſque, purgare non oportet, perniciosum enim.* Et paullo poſt, *ibidem text.* 79. *text.* 36. *Si vomitus exigui bilioſique fuerint, malum, tum alias, tum ſi ægroti ſupervigilaverint; nariſque in iis ſtillans, malum.* Cujuſmodi vidit Hippocrates *in muliere*, quæ in *foro mendacium* decumbebat. De qua *libr.* 3. *Epidemiorum, Ægrot.* 12. *pag.* 1080. *text.* 47. dixit : *Duodecimo vomuit multa nigra, fœtida, ſingultus multus, ſitis laborioſa : & decimotertio nigra virulenta vomuit, rigor, circa meridiem muta.* Demum vomitiones omnes non juvantes malæ ſunt, peſſimæ, quæ ægrotos in deterius mutant, tametſi ſuapte natura malignæ non ſint. De quibus in præcitata *muliere* ita habet : *octava circa meridiem calor rediit, ſitibunda, comatoſa faſtidioſa, vomuit bilioſa pauca ſubflava, nocte graviter ſe habuit, nihil quievit, multum affatim inſcia minxit.* Debebat enim a bilioſa vomitione, ſi bona fuiſſet, quieſcere, meliuſque ſe habere; veluti etiam a vomitu noni diei, decimo febris cum malis ſignis fuit exacerbata, atque iti-

Quin in Phreniticis ſignificant.

Vomitiones fœtidæ graveolentes peſſimæ.

Bilioſæ flavæ, croceæ porraceæ cum malis ſignis exitiales.

itidem a vomitu virulento & bilioſo, quem die undecimo habuit, riguit, extrema frixerunt & poſtea ſudavit frigidum, atque quum tunc multum etiam vomuerit, noctem tamen gravem habuit. Qui omnes vomitus letales fuerant; tum quod in vehementi morbo apparuerint; tum quod ſigna alia mala una illuxerint; tum etiam quod ipſa ægrota mulier in deterius fuerit mutata, quod eſt omnium excretionum non conferentium & peſſimarum ſignum proprium. In vulneratis quoque capite vomitus bilioſi mali exiſtunt, ex ipſo Hippocrate, qui *in lib. 6. Aph. text.* 50. ita habet: *Quibuſcumque præciditur cerebrum, his neceſſe eſt febrem, & bilis vomitum ſupervenire*. Pernicioſiſſimos quoque eſſe vomitus in ileo, *in lib. 7. Aphor.* 10. ita legitur: *Ab ileo vomitus, ſingultus, deſipientia, vel convulſio, malum*. Galen. vero *in Comment.* ait: *In ileis nihil deſcendit ad inferiora, & hoc eſt proprium inſeparabile paſſionis. Vomitus autem non ſemper adeſt, ſed quando exitiales ſunt, & ſi vehementius diſtorqueantur, ſtercus eis adſcendit, atque ſingultiunt*. Et *in libro 6. de loc. Affect. cap. 2.* Nullum, qui ſtercus vomuerit, fuiſſe ſalvatum memoriæ prodidit. Atque hæ ſunt vomitiones, in acutis morbis ſuſpectæ, quippe immoderatæ, paucæ, flavæ, rubræ, porraceæ, æruginoſæ, lividæ, nigræ, graveolentes, ſinceræ, diverſicolores, quæ in morborum principiis, minimeque coctionis ſignis antegreſſis, apparent, & plerumque exitiales; quod ſi vehemens ſit morbus, aliaque mala ſigna illuceant, aut præceſſerint, aut ſubſequantur, procul dubio interitum præmonſtrabunt, eęque præſertim, quæ nedum ægrotos nihil juvarunt, at quinimmo in deterius, ut dictum eſt, ipſos mutarunt.

Biliosa in capitis vulneribus mala.

CAP. X.

De alvi dejectionibus, & primo de iis, quæ ſalutem prænuntiant.

DE alvi itidem dejectionibus, quum bonis tum malis, quippe ægrotis ſalutem atque exitium præmonſtrantibus, acturi, a ſalutaribus exordiamur. Quarum nomine bonas omnes alvi dejectiones intelligimus, quibus Medici ſalutem in ægrotis futuram conjiciunt. Harum itaque natura, vel bona vel mala ſit, nobis primo ex coctione & cruditate eluceſcet; ſecundo ex tempore, in quo apparent; tertio ex ipſarum ſubſtantia; quarto ex copia, & paucitate; quinto ex tempore, quo perſeverant, aut ceſſant; ſexto ab utilitate & facili tolerantia; demum a ſignis, aut bonis, aut malis, a quibus capiunt certitudinem. At de bonis modo agamus, quæ bifariam ſalutem indicare poſſunt, uno modo coctionis ratione, quatenus indicant ſanitatem quum ventris inferioris, quo Galen. *in 2. Prognoſt. com.* 13. ſtomachum inteſtinaque intelligit, tum etiam aliarum proximarum partium, veluti jecoris, & lienis: optimam enim dejectionem, quæ eſt, ex Hippocrate *in 1. Prognoſt. pag. 39. lin. 34. mollis, conſtansque, eoque tempore ſecreta, quo ſecundum valetudinem aſſuevit, atque copia ex ratione ingeſti cibi*, Hippocrat. *ſignificare ventrem inferiorem recte valere*,

Alvi dejectiones quænam bonæ.

Bifariam ſalutem indicare poſſunt.

valere, ſtatuit. Altero modo humorum ex viſceribus, in ipſum ventrem decumbentium, ratione; quomodo Galen. ait, optimam dejectionem nedum indicare ventrem inferiorem recte valere, ſed nihil ex hepate aut liene in ipſum decumbere, quod exinde decumbentibus humoribus coctionis optimæ quum color, tum ſubſtantia vitietur. Utroque modo Medici ex dejectione perſcrutantur: primo in morbis ventriculi, inteſtinorum: quorum ſtatum primario fæces, ſeu dejectiones, ſignificare, Galen. *in 1. libro, de Criſib. cap. 7.* tradidit: ex optima dejectione, quæ, uti dictum eſt, & mollis excernitur, conſtans, eo tempore, quo ſecunda valetudine aſſuevit, ea copia, quæ cibis ingeſtis reſpondet, atque, ut addidit Galen. colore ſubrufa ſit, neque admodum graveoleat. Quæ vero vel hiſce omnibus, aut aliquibus, notis caret, mala erit; quippe quæ aut dura, aſpera, liquida, coloratior, copioſior, aut paucior, quam ex ingeſtis cibis par eſt, inæqualis, graveolens, aut ſpumans, aut quæ neque tempore excernatur, quo ſecunda valetudine aſſuevit. Ceterum ſi ægroti ad ſalutem tendant, ab eo ſtatu in optimum (quem concoctionem appellant) permutatur. Ex quo merito Hippocr. *in eodem lib. Prognoſt. pag. 40. lin. 8. text. 17.* dixit: *Corpulenta reddatur dejectio morbo eunte in judicationem.* Et *in lib. 2. Aphor. 14. In profluviis alvi mutationes excrementorum juvant, niſi mala mutatio fiat.* Ex humorum vero, ad ventrem decumbentium, excretione longe certius eventus morborum perſcrutamur. Quos affectus Hippocr. vocat, abſceſſus, dyſenterias, teneſmodes, alvi fluxiones, alvi turbationes. De his *in primo Epidem. ſect. 1. pag. 940. lin. 4. Plurimis erat alvus turbata, ſine moleſtia tamen, & prope nihil offendebat.* Et poſtea. *ſect. 2. pag. 951. lit. F. Erant qui ſexto die morbo regio afficerentur, ſed his purgatio profuit per veſicam, vel turbata alvus.* De dyſenteriis etiam *ibid. ſub lit. G. Senioribus vero ad morbos regios, aut turbatas alvos, aut dyſenterias res devenit, ut Bioni, qui apud Silenum decumbebat, &c. ibid. pag. 953. lit. D. At multi alii, qui judicati erant, ad dyſenteriam deveniebant, ut Xenophanes & Critias.* Et in eo ſtatu peſtilenti quoſdam ſervatos, ita dixit, *ibid. p. 955. lit. E. At vero in hoc ſtatu, quatuor his præcipue ſignis, ſervabantur. Quibus enim aut ex naribus probe ſanguis erupiſſet; aut qui per veſicam urinas multas, & multo bonoque præditas ſedimento, reddidiſſet; aut per ventrem turbida, biliоſa, tempeſtive; aut qui in dyſenteriam incidiſſent.* Quare multi ſunt, qui alvi turbationibus, aut pituitoſis, aut bilioſis, aut dyſentericis, fuere judicati. De *Clazomenio* Hippocrat. ſcribit *lib. 1. Epid. Ægr. 10. pag. 985. Die trigeſimo venter fluebat multis aquoſis excrementis, ac qualia eſſe in dyſenteria ſolent.* Et de illo, qui in *Dealcis* horto *lib. 3. Epid. Ægr. 3. pag. 1066. Quadrageſimo alvus pituitoſa, alba, ſubcrebra dejecit, multum toto corpore ſudavit.* Et de Heropyto, *ibid. Ægr. 9. pag. 1106. Circa diem centeſimum alvus fuit turbata multis bilioſis, durabantque diu multa talia, deinde dyſenterica cum dolore.* Ceterum cognoſcemus has, ſimulque alias optimas criticaſque eſſe purgationes, quod una cum ſignis manifeſtæ coctionis, in die decretorio, in morbi vigore ſeu ſtatu, apparere incipiant, vel ſint liquidæ, flavæ croceæ, rufæ, lividæ nigræ. Hæ in principio morbi,

Critica quomodo cognoſcuntur.

bi, absque signis coctionis erumpentes, exitiales sunt, cum signis vero coctionis, criticæ ac salutares exsistunt. Galen. *in lib.* 4. *Aphoris.* 21. in quadam longa pestilentia scribit, se vidisse dejectiones liquidas primo flavas, rufas, mox nigras, veluti sanguinis fæcem, tam in iis, qui exitio proximi erant, quam in aliis servandis: in his, ait, has dejectiones ad morbos, in vigore consistentes, sæpius natura superfluitates expurgante, secutas esse, atque in illis in principio aut incremento. De quibus in sequentis aphorismi commentario ita habet: *Quando igitur post morbi coctionem aliquis humor vitiosus excernitur, tunc corpus a natura expurgatur, & propter hoc atra bilis & alius omnis humor hujusmodi, ubi signa coctionis in morbi processu apparuerint, bonam significant evacuationem: Si vero aliter excernatur, sine signis coctionis, exitialis est casus. Cujusque itaque coloris, licet eo pernicioſæ videantur, cum signis coctionis, in statu, critice apparent, salutem prænuntiant.* Quod ab Hippocr. didicit, qui idem *in lib.* 4. *Aphor.* 47. hisce verbis expressit, dicens: *Excretiones in febribus non intermittentibus lividæ, cruentæ, fœtidæ & biliosæ, omnes malæ: & si bene exeunt sive per alvi excretionem, sive per urinas, bonæ.* De quibus Auctor *Coac. præsag. text.* 182. ita habet: *Qui comate pressi, fracti, obsurduerunt, erumpente alvo rubra dejiciunt circa crisin, idque juvat.* Ex quantitate quoque copiosiores, quæ diu durant. Proinde Hippocr. *in Epidemiis lib.* 1. *sect.* 2. *pag.* 953. *lit. D.* scribit, ad dysenterias, turbatas alvos, multos devenisse, ipsisque judicatos fuisse. Sic *Heropythus lib.* 3. *Epidem. Ægr.* 9. *pag.* 1106. fuit judicatus, de quo merito dixit: *Circa centesimum alvus fuit turbata multis biliosis, durabantque diu multa talia dysenterica cum dolore, reliqua levia.* Quinimmo plures cognovi, qui biliosis, porraceis, ac croceis dejectionibus, cum urinis concoctis, paullatim, assidue, multos dies, dejicientes fuere servati. Hæque dejectiones in salutaribus morbis, in quibus nulla pernicioſa signa apparent, plerumque una cum hæmorrhagia bona, aut copioso bono sudore, aut aliquo alio simili signo, apparent: duo vero signa Hippocr. *in* 1. *Aphorism.* 2. tradidit, quibus bonas Medici cognoscunt dejectiones, nimirum, quæ vacuationis ratione considerantur, atque utiles sunt, quippe *si ægroti has facile ferant, & ipsis recte conferant.* Ex quo optimæ aut febres, symptomataque integre solvunt, aut allevant. De quibus Hippocr. *in* 4. *Aphor.* 28. *Quibus biliosæ dejectiones, superveniente, surditate cessat, & quibus surditas, supervenientibus biliosis dejectionibus cessat.* Et *lib.* 6. *Aph.* 17. *Lippientem alvi profluvio corripi, bonum.* Et *ibid. Aph.* 48. *Lienosis difficultas intestinorum superveniens, bonum.* Et *in libro septimo, Aphor.* 29. *Si a Leucophlegmatia detento fortis diarrhæa superveniat, morbum solvit.* Sed hæc ad cognoscendas optimas salutaresque alvi dejectiones dicta sufficiant. Nunc de malis agamus.

Dejectiones bonæ unde cognoscuntur.

CA-

CAP. XI.

De malis alvi dejectionibus, quæ exitium ægrotis prænuntiant.

Alvi dejectiones malæ unde cognoſcuntur.

ALvi quoque malæ exitialeſque dejectiones, ægris exitium præmonſtrantes penes ſuam ſubſtantiam, quantitatem, colorem, odorem, modum excretionis, tempus in quo apparent, mutationem, ſigna alia antegreſſa, aut una conſpecta, aut dejectiones ſecuta, atque demum ægrotantium tolerantiam atque utilitatem, cognoſcentur. Penes enim *ſubſtantiam* complures dejectionum differentiæ exſiſtunt, quippe duræ, aſperæ, liquidæ, viſcoſæ, aquoſæ, pingues, ſpumantes, miſtæ cum ſuo ichore, & ſinceræ, atque colliquativæ vocatæ. Penes *quantitatem*, immoderate fluentes, pauciores, ſtatim ceſſantes, ſuppreſſæ. Penes *colorem*, albæ, bilioſæ, flavæ, croceæ, rufæ, virides, porraceæ, lividæ, cruentæ, nigræ, verſicolores. Penes *odorem*, admodum fœtentes, & non ita fœtentes. Penes *modum excretionis*, ſunt lientericæ, diarrhœæ, dyſenteriæ, teneſmi: & juxta *tempus* in quo apparent, quædam in principio, nullis manifeſte coctionis ſignis conſpectis, quædam in augmento. Penes *mutationem* quoque ipſarum, quæ mutantur in deterius, ſubſtantia, quantitate, colore, & odore. Ex *ſignis* vero *malis* aut antegreſſis, aut una cum ipſis, aut poſtea apparentibus, dejectiones letales dignoſcantur. Demum penes *tolerantiam* ex malæ dicentur, quas ægri difficulter ferunt, nihilque juvantur, aut ab ipſis in deterius repunt. Itaque ut ex ipſis certum futuri eventus judicium prænoſcendi fiat, merito de iis ſingulis differentiis accuratius agendum duximus, a duris aſperiſque, mollibus, & liquidis inchoantes. De duris Auctor Prorrheticorum *in* 1. *Prorr text.* 41. ita habet: *Si intercepta alvus, parva, nigra & in ſpiras circumducta ad neceſſitatem laxaverit, & per nares eruptio fiat, malum.* Galen. σπυρασώδη, ideſt, in ſpiras voluta alvi excrementa, ait, fieri, & quod pluſculo tempore retineantur, & propter copiam igneæ caliditatis, quæ, ſi etiam nigra ſpectentur, flagrantem ac ardentem, circa medium corporis, affectionem eſſe declarant, quod maligni morbi eſt ſignum, qui ſi vehemens quoque ſit, aliudque illuxerit ex pravis ſignis, exitiales proculdubio fæces erunt. Liquidæ vero aliquando ex humido temperamento, ætate puerili, humida conſtitutione temporis, cibis humidis aut ſtomachi cruditate, aut, ut Galen. vult, ubi humidum alimentum ex ventriculo ad jecur non deducitur, aut quoties ex jecore vel liene aliquid in ventrem liquidum defluxerit, ſeu ubi jecur, aut lien, aut totum corpus per jecur expurgatur. Ex liquidis *aquoſam* Hippocr. *Prognoſt. p.* 40. *lin.* 12. eſſe malam ſtatuit, quod, ut Gal. ait, hujuſmodi dejectio cruditatis ſit ſignum. Hæ dejectiones perpetuo malæ ſunt, letaleſque in bilioſis vehementibuſque morbis, ſi una urinæ non bonæ appareant; veluti in mitioribus morbis, in quibus nullum pernicioſum ſignum illuxerit, crudorum humorum multitudinem tantum ſignificant, nonniſi longo tempore a natura alterandam. Pingues vero, ſive optimæ dejectiones in acutis morbis,

Ab harum ſubſtantia ſi dura.

Si liquida.

bis, ut Galen. docet, *in 2. Prog. text. 22.* dejiciuntur, quoties pinguedo ab igneo calore abſumitur; at ubi etiam viſcoſæ ſint, ſignificant, nedum pinguedinem colliquari, ſed etiam animalis ſolidas partes; hiſce tabeſcentibus redduntur pingues, viſcoſæ, albæ, paucæ & graveolentes, quibus notis ab his, quæ a cibis tales egeruntur, diſtinguuntur: hæ enim copioſiores ſunt atque non ſemper albæ; a colliquatione factæ ſunt albæ, aliquando ſubcroceæ, paucæ, graveolentes, quippe pingues, viſcidæ, paucæ, albæ, aut ſubcroceæ, graveolentes, quibus notis diſtinguuntur a cibis pinguibus & lentis factæ, & a pituitoſis multo calore viſcidæ redditæ: graveolentia enim colliquationis ſignum eſſe, Galen. docuit. De quibus Hippocr. *in eodem libro Prognoſticorum, pag. 40. lin. 14. Si exigua, glutinoſa, candida, ſubcrocea, leviſque ſit, mala eſt.* Hæ vero perpetuo malæ exiſtunt, quum peſſimum ſit, partes corporis contabeſcere, pinguedinemque profundi, quæ in acutis morbis magni incendii ſunt indicia, & certi exitii, ſi aliquid ex pravis ſignis illuxerit, atque ut dictum eſt, ſi morbus magnus vehemenſque fuerit; veluti in mitiori morbo longitudinem pro exitio præmonſtrabunt. Cujuſmodi in eo, qui in *Dealcis horto* decumbebat, Hippocr. vidit, de quo ait: *lib. 3. Epid. Ægrot. 3. pag. 1066. Sexto fuiſſe nigras, pingues, ſpumoſas, viſcoſas, graveolentes*, qui die tantum quadrageſimo fuit judicatus. Sed has non a colliquatione ſolidarum partium factas fuiſſe, ſed a pinguedine, & ab humoribus viſcidis putrefactis, quando eæ multæ fuerint. Quæ vero etiam ſolida partium ſubſtantia tabeſcente fiunt, prorſus exitiales exiſtunt, atque hæ ſinceræ etiam, ſive meræ rejiciuntur. Quas Hippocr. *lib. 1. Epidem. Ægrot. 2. pag. 969.* de *Sileno* loquutus, ita meminit: *Quinto die dejectiones fuiſſe meras, biliоſas, leves, perquam pingues.* Sinceræ quoque dejectiones in morbis acutis merito damnantur, quod intus vehementiſſimum calorem, quo humorum ichores exhauriuntur, & conſumuntur, vigere, *Galeno* auctore, indicent. Ex quo Auctor *Prorrheticorum lib. 1. text. 111.* merito dixit: *Dejectiones in ſinceras ſeu meras deſinentes, malum exacerbare*, ac, ut Galen. placuit, pejorem morbum reddere, quales habuit *Silenus* (*Vide ejus hiſtoriam lib. 1. Epid. Ægr. 2. p. 969.*) quinta die, *uxor Phyſini ibid. Ægr. 4. pag. 976.* ſexta, *Euryanactis filia lib. 3. Epid. Ægr. 6. pag. 1073.* duodecima, *uxor Hermoptolemi lib. 7. Epid. text. 13. pag. 1212.* quinta, *Parius lib. 3. Epidem. Ægr. 1. pag. 1093.* ſeptima, *Pythion ibid. Ægr. 3. p. 1098.* atque alii. Eodem modo damnantur ſpumoſæ, quod hæ aut caloris incendium, quo excrementa ferveſcentia ſpumam contrahunt, uti in lebete præ copia caloris fit, indicent, aut flatuoſum ſpiritum humori commiſtum, ut in ſpumis maris, incurrentibus ventis, ſpectatur; illæ caloris colliquantis corpus, & hæ inæqualis perturbationis ſunt effectus, ex quo Auctor Prorrhet. *lib. 1. text. 53.* admodum ſpumoſas alvi dejectiones malas vocat, & merito, quod aut colliquationem, aut inæqualitatem ſignificent. Pejores vero ſunt, quæ caloris incendium colliquans denotant: has cognoſces ex acuta febre, atque ab excrementis calidioribus ſpumoſis redditis, atque etiam quod ſinceræ ſpectentur. De quibus legitur in Prorrhet.

pingues ſive optimæ.

Si ſinceræ.

Si ſpumoſæ.

rh. *l.* 1. *tex.* 21. *In bilioſis ſinceriſque dejectionibus ſpumoſa efforeſcentia, mala,* &c. *ib. tex.* 50. *Dejectiones, in ſpumoſas ſinceraſque deſinentes exacerbant*, ſeu morbum, ut ait Galen. pejorem reddunt: *& ibid. tex.* 53. *In acutis bilioſis ſpumoſæ, malæ:* & in *Coacis præſagiis text.* 602. recte hæc ita exprimuntur: *In acutis ſpumans dejectio valde bilioſa, malum.* Et poſtea *text.* 613: *Quæ in ſpumoſas, meracas, deſinunt dejectiones, graviorem morbum commovent.* Quæ etiam ſpumoſæ ex ſpiritus flatuoſi commiſtione fiunt, malæ exſiſtunt, quod in excrementis cruditatem præmonſtrent. Ex quantitate itidem tum immoderatæ, tum paucæ damnantur: eæ enim vires reſolvunt, naturamque proſternunt, ut *in ſecundo Prognoſticorum pag.* 40. *lin.* 4. Hippocr. ita habet: *At ſi univerſim & ſæpe dejiciatur, periculum defectionis animæ imminet.* Quod & Auctor *Coacorum præſag. text.* 609. ita expreſſit: *Liquida dejectio & confertim ſimul effluens, & paullatim, mala; altera enim vigilias, & altera exſolutionem, invehit.* Hinc in Aphoriſmis *lib.* 5. *Aphor.* 4. ſcriptum eſt: *A ſuperflua purgatione convulſio, aut ſingultus ſuperveniens, malum.* Paucas itidem, ut alias a nobis demonſtratum eſt, omnes excretiones inutiles eſſe, tum quod vel non ſufficiant ad morbi cauſſam tollendam, multitudinemque humorum notent, in vehementi morbo plerumque letalem; aut quod virtutem prælanguidam ſignificent, quæ noxios humores excernere tentaverit, & non potuerit: atque hoc eſt, quod in peſtilenti prima conſtitutione Hippocr. obſervavit, de quo in primo *Epiaem. ſect.* 2. *pag.* 946. *ſub lit. G.* ita habet: *His ſuccedebant abſceſſus*, ideſt, dejectiones ex Galeno, *aut majores, quam, ut ferri poſſent, aut minores, quam ut prodeſſent quicquam. Sed ſtatim redierunt, & deteriores evaſerunt.* Tertio, ut dictum eſt, qui ſtatim, ubi cœperint, deſierunt, pravæ ſunt, & in acutis morbis exitiales. De his Hippocr. in *Epidemiis ibid. pag.* 948. *lin.* 3. *Ventres etſi forte humecti eſſent, ſtatim maligno modo ſiſtebantur:* & enumerans ſymptomata & ſigna ardentium, quæ exitium ſtatim principio annuntiabant, ait *ibid. pag.* 954. *lit. F. alvi ſiſtebantur.* Hinc Diarrhœas ac dyſenterias ſupprimi, non eſt tutum. Alio enim pravi humores converſi noxas eximias inferre ſolent, atque in acutis morbis mortem. Quod Auctor *Coacorum præſagiorum text.* 624. nos monuit dicens: *Dyſenteria ſubrubra, limoſa, larga excrementa alvi flammeis valde rubicundis coloribus ſoluta, inſaniæ timorem inducunt.* Atque ita ex quantitate malas alvi dejectiones cognoſcemus; veluti ex colore, albæ, bilioſæ, flavæ, croceæ, ſeu vitellinæ vocatæ, rufæ, cruentæ, aquoſæ, virides, æruginoſæ, lividæ, nigræ, atque multorum colorum verſicolores vocatæ, in acutis morbis pravæ omnes, ni critice fuerint excretæ, uti ſuperiori capite docuimus, exſiſtunt. Albæ enim dejectiones fiunt, aut ex cibis ingeſtis, quippe pane puro, lacte, ptiſana, lupinis, alica, amygdalis, galacte & aliis; aut, ut Galen. docet *in* 1. *Prorrhet. comment.* 13. *& in* 2. *Prognoſt. comment.* 17. 19. quum bilis nullo modo pervenit ad inteſtina, atque hoc aut obſtructo canale, per quam a veſica fellis ad inteſtina fertur, ut in arquatis; aut ſurſum una cum ſanguine in caput inflammatum

Ex quantitate ſi immoderata.

Si paucior.

Ex colore.

Si Alba.

tum attracta, ubi hepatis ſuperior pars inflammata ſanguinem una cum bile ſurſum rapit; aut denique a colliquatione pinguedinis mollis & recentis. At hæ paucæ, viſcidæ & valde fœtidæ exſiſtunt. Omnes eæ, exceptis quæ a cibis albeſcunt, in acutis morbis non parum damnantur, omniumque maxime, quæ, cerebro inflammato, albæ egeruntur, de quibus *in Prorrheticis lib.* 1. *text.* 13. *In phreniticis alba dejectio, malum, ut Archecrati*: & *ibid. text.* 53. *In acutis bilioſis albicantes ſpumoſæ & perichoïæ dejectiones, malæ*. Malas eſſe in acutis bilioſis, ait Gal. quod ſint præter naturam, quum bilioſa excrementa in hominibus bilioſis, & bilioſis morbis, quamdam habeant cognationem, ideoque pravæ; aut quod propter canalis ad ventrem, per quem bilis fertur, obſtructionem, quæ affectum plerumque, vel etiam in non febrientibus, letalem facit. De quo *in* 1. *coac. præſag. text.* 36. *in fine*: legitur: *Regio morbo admodum fœdati moriuntur, & his alba dejectio proceait*, aut propter cerebri, vel jecoris partium ſuperiorum, convexarum, incendium, quod peſſimum eſt, quod totus impetus ad viſcera illa raptus maxime lædat. Non minus malum ſignificare albas, paucas, viſcidas, male olentes, nuperrime oſtendimus, quod malignam colliquationem, teſte Galeno, denotent. Flavæ itidem bilioſæ, acres, croceæ ſeu vitellinæ, virides, malæ ſunt, ni critice corpus expurgent: croceæ pejores, æruginoſæ, virideſque, quod majus incendium caloris intus urere præmonſtrent. Omnes vero bilioſæ, non critice factæ, malæ, quod vel exitium, quippe in acutis morbis, vel longitudinem, recidivas, ac ſummos labores in mitioribus morbis præmonſtrent. De quibus *in Coac. præſag. text.* 43. *Quibus bilioſa eſt circa ſtomachi os mordicatio & amaror, malum*: quod multitudinem notet tum inteſtina, tum os ventris occupantem. Et Hippocr. in 4. *Aphoriſm.* 47. omnes excretiones bilioſas damnavit. Hujuſmodi dejectiones, crudo exſiſtente morbo, in ardentibus febribus, dyſenterico ac teneſmodis modo, mordentes, plerumque exitiales eſſe cognovi, in multiſque obſervavi, qui omnes obierunt, etſi longius laborarint. Quod proximo anno nimis appoſite in *Guadagnina, mea cariſſima uxore*, expertus ſum, quam ardente febre, cum diarrhœa, bilioſa, dyſenterica, die decimoſeptimo morbi illius, magno ſane dolore, & incredibili afflictione, miſere interemtam, vidi. Quod divinus Hippocrates *in* 1. *Epidem. comment.* 1. *pag.* 940. *lit. G.* ad unguem in multis obſervavit. De quibus ita habet: *Alvi turbatæ erant bilioſis, paucis, meris, tenuibus, mordacibuſque, & frequenter deſidebant*: Et poſtea *ſect.* 2. *pag.* 943. *lit. E. Æſtate jam & Autumno, Lienteriæ, & dyſenteriæ, teneſmi, alvi fluxiones bilioſæ, tenues, mordaces, multæ, crudæ & mordaces, nonnullis etiam aquoſæ*, &c. *ibid. pag.* 945. *inter lit. E. & F. Ventres omnibus turbati erat & pravi, ac multo his peſſimi*: Et paullo poſt: *ibid. pag.* 946. *inter G. & H. Quæ hos infeſtabant, hæc erant: dyſenteriæ, teneſmi, lienteriæ & fluxiones alvi*. Quales in *filia Euryanactis lib.* 3. *Epid. Ægr.* 6. *p.* 1073. duodecima die vidit Hip. de qua ita habet: *Duodecimo alvus turbata fuit bilioſis excrementis, paucis, meris, tenuibus, mordacibus, crebro de-*

Si flavæ bilioſæ.

Si rubræ & cruentæ.

deſidebat. Rubras vero & cruentas non minus malas eſſe Hippocr. notavit, *Prognoſt. pag.* 40. *lin.* 12. dicens: *At valde aquoſum, aut album, aut viride, aut vehementer rubrum, aut ſpumans dejici, hæc omnia mala.* De quibus auctor *Prorrheticorum lib.* 1. *text.* 2. ait: *Ventris valde rubens profluvies, mala in omnibus morbis: & ibid. text.* 127. damnat *impenſe rubras*, idemque *in Coacis præſagiis text.* 330. 611. 613. 632. ſcriptum eſt, quippe: *Malum vero, ventris valde rubens profluvies, eoque magis, ſi hepatis vitio, ut in hepaticis fit, tales dejiciuntur*; ab his criticas juvantes excipimus. Virides quoque porraceæ peſſimæ ſunt, nimirum, quæ vi morbi fiunt, nimirum quæ ab æruginoſa bile, incendio caloris, ut doceet Gal. *in primo de Criſibus cap.* 11. genita, excernuntur. Lividas quoque Hippocr. *in* 2. *Prognoſt. pag.* 40. *lin.* 16. & *in lib.* 4. *Aphoriſmorum Aphor.* 47. in febribus continuis pravas exitialeſque eſſe, expreſſit. Has Galen. partium infernarum validum frigus ac veluti mortificationem præmonſtrare ait. His non minus pravæ nigræ exſiſtunt, ut ſunt, aut ſanguinis limus, aut atra bilis; in acutis morbis nigras dejectiones, atram bilem, vel ſanguinem uſtum ſignificare, Galen. tradidit. Addamus, vel ſanguinis fæcem ſeu limum, quem non vere, teſte Galeno *in libro* 4. *Aphor.* atram bilem, ſed ſanguinem melancholicum appellant, qui humor, ſi putreſcat, fit melancholia, quam atram bilem appellamus: uſta vero & nigra fit flava bile peruſta, quæ prius mutatur, calore inurente, in æruginoſam, & poſtea in nigram: de nigris dejectionibus a ſanguine melancholico Hippocr. *in lib.* 4. *Aphoriſm. Aphor.* 21. dixit: *Dejectiones nigræ, qualis eſt ſanguinis niger, ſponte venientes, ſive cum febre, ſive ſine febre, peſſimæ.* Has Gal. ait *in commento* notare lienis maximam debilitatem, & hepatis etiam, generantis plurimum craſſi hujus atque melancholici ſanguinis: quare eæ dejectiones in acutis morbis letales merito ſunt: non enim a natura hic humor, niſi longo tempore, concoqui & ſuperari poteſt. Plurimas vero hujuſmodi dejectiones in peſtilenti ſtatu Galen. vidit, quæ non magis in iis, qui exitio proximi erant, quam in aliis ſalvandis apparebant, illis tamen vel in principio, vel in incremento morborum conſpiciebantur. Superiori capite nos oſtendimus, in ſtatu poſt perfectam coctionem aliquando utiliter conſpici has nigras dejectiones, quæ, crudo exſiſtente morbo, ſignis coctionis minime antegreſſis, perpetuo letales exſiſtunt: tunc enim temporis magnam viſceris læſionem præmonſtrare Galen. etiam meminit. *Hippoc. Aphor. lib.* 4. 23. *Quibuſcumque ex morbis acutis, aut diuturnis, vel ex vulneribus, ſive quovis alio modo extenuatis, nigra bilis, ſive uti ſanguis niger deſuper exierit, poſtridie moriuntur.* Verſicolores quoque dejectiones omnes malas eſſe Galen. docet; quoniam multas adeſſe in corporibus affectiones ſignificant, quas natura ut ſuperet, eget longo tempore, quod ab acutis magniſque morbis, vires cito exſolventibus, non conceditur. Merito itaque Hippocr. *in eodem lib. Prognoſt. pag.* 40. *lin.* 18. de his dixit: *Si vero verſicolores ſint, diuturniores quidem ſed nihilominus exitiales ſunt*. Eo vero has fore exitialiores *in* 4. *lib. Aphoriſm.* 21. docuit, quo colores magis pravos plures habuerint, quales viſæ ſunt in *Apollonio lib.* 3. *Epidemior. Ægr.* 13. *pag.* 1111. De quibus Hippocrat. ait: *De-*

Si viridis porraceæ. Si lividæ.

Si nigræ.

Si verſicolores.

jectio-

jectiones huic erant variæ, scilicet, vel nigræ, pravæ, vel virulentæ, vel pingues, crudæ & mordaces, & tandem lacti similes reddidit. Fœtidæ quoque malæ sunt, quod ut Gal. docet, putredinis indicium sint. Qua ratione Hippocr. *in 2. Prognost. pag. 40. lin. 17. & in 4. Aphoris. Aphor. 47.* fœtidas omnes, sive graveolentes damnavit. At admodum fœtidas & liquidas, flavas, pingues in acutis febribus excretas, colliquativas vulgus appellat, observatum est esse valde pernicioſas, quibus conspectis pauciſſimi servantur. Etenim præcellentem putredinem ac virium languorem præmonstrant. Exitialiſſimum itaque in febribus continuis est signum; hæque dejectiones tales exsistunt, veluti si quis in jure pingui luteum ovi dilutum, cum magno fœtore, dejecerit. De his Hippocr. *in 3. Epidem. comm. 3. pag. 1086. inter B. & C.* ita habet: *Unoque verbo, qui longis morbis vel acutis tenebantur, ventris vitio omnes præcipue mortui sunt, cunctos namque venter sustulit*: & Galen. *in comment. Et pestis quoque illa longissima, quæ nostra ætate vulgata est, ex iis quæ per alvum vacuantur, omnes prope peremit. Quæ evacuabantur, erat colliquatio.* Quod quidem esse symptoma videtur in perpetuum febris, quam pestilentem privatim vocant, quum mortales vel citra pestem corripiat. Quales *concubinam Nicolai* ante mortem dejeciſſe, Hippocrat. *in lib. 7. Epidem. pag. 1221. text. 50.* scriptum colliquit. Atque tot sunt alvi dejectiones mortem minantes ex substantia, quantitate, colore, atque odore desumtæ. Ex modo quoque, quo dejiciuntur, atque ex tempore, quo durant, exitiales sunt, & quæ insciis ægrotis excernuntur. Quod in acutis morbis aut delirium, aut exsolutam facultatem, ut Galen. demonstrat, significent. De quibus auctor *Prorrhet. lib. 1. text. 78.* ait: *Si ex ventre tenuia non sentienti ægro exierint, si extra se non sit, malum. Cujusmodi sunt, quæ in hepaticis fiunt.* Eodem modo in continuis febribus, quæ diu durant, sine morsu, aut cum morsu, copioſæ, non juvantes, pessimæ exsistunt. Quibus plures fuisse exstinctos *in Epidemiis* tradidit Hippoc. De quibus *in 1. lib. Epidem. comment. 3. Sect. 2. pagin. 943. lit. E. Æstate jam & Autumno lienteriæ & dysenteriæ, teneſmi, alvi fluxiones biliosæ, tenues multæ, crudæ, mordaces, nonnullis etiam aquosæ*: & *in lib. 3. pag. 1085. lin. ult. Quæ ad ventrem attinebant, multis multa incommoda evenerunt; primum teneſmi multis cum dolore, plurimis vero pueris, omnibusque impuberibus, quorum plurimi periebant, lienterici erant.* A longa etiam dysenteria debilitata facultate, ni statim moriantur, in lienteriam, vel hydropem, quibus moriuntur, incidere Hippocr. *in libr. 6. Aphorism. 43.* docuit. Quare hæ omnes sunt exitioſæ dejectiones, si modo in principio morbi, absque signis coctionis, appareant, quo tempore nullas excretiones commendari posse superius ostendimus, hasque esse symptomaticas, & malas. Quas Hippocrat. intellexit, quum *in lib. 3. Epidem. comment. 3. pagin. 1089. sub liter. B.* dixerit: *Ventres enim pleriſque turbati, horrores, sudores non decretorii.* De quibus *in libro quarto Epidemior. Pagin. 1129. text. 24.* hæc leguntur. *Duo fratres Cecropis familiares, quibus nigra ab initio prodibant, subfaculenta, edulia ex sanguine confecta colore referentia,*

Si fœtidæ.

Ex modo excretionis & tempore quo durant.

Si copioſæ non juvantes,

Ex ſignis malis aut antegreſſis, aut una cum ipſis, aut poſtea apparentibus.

ex valde bilioſis, ſpumoſis, chlora erant. Cognoſcuntur vero pravæ dejectiones & a malis ſignis aut antegreſſis, aut una, aut poſtea conſpectis, atque ex eo, quod neque febrem ſolvant, ſed quinimmo magis ab ipſis ægri in deterius abeant. De his, *in 3. Epidem. comm. 3. pag. 1086. ſub lit. B. Quæ autem exibant dolores non ſolvebant*: & *in Prorrhet. Lib. 1. text. 129. Poſt modicam ſanguinis eruptionem, nigramque dejectionem, in acutis morbis ſurditas, mala eſt*: & in illis, *Prorrhet. lib. 1. text. 81. In ardentibus febribus cum aliquantula perfrictione, dejectionibus aquoſæ bilis, multiſque, oculorum perverſio, ſignum malum, tum alias, tum ſi catochi fiunt*: *ibid. text. 108. Ventris dejectiones ſubliveſcentes, cum perturbationibus, & urinæ tenues aquoſæque, ſuſpectionem habent*. Et *ibid. text. 127. Poſt ſanguinis eruptionem dejectiones nigræ, malæ*. Quales fuere obſervatæ in *Sileno, lib. 1. Epidem. Ægr. 2. pagin. 969. Hermocrate, libr. 3. Epidem. Ægr. 2. pag. 1062. Euryanactis virgine, ibid. Ægr. 6. pagin. 1073. Adoleſcente*, qui in *foro mendacium, ibid. Ægr. 8. pagin. 1076 muliere* quæ apud *Panthimidem, ibid. Ægr. 10. pagin. 1078. uxore altera* abortum paſſa, *ibid. Ægr. 11. pag. 1079.* in *Ea*, quæ *in foro mendacium, ibid. Ægr. 12. pagin. 1080. Pario, ibid. Ægr. 1. pagin. 1093. Pythione, ibidem Ægr. 3. pagin. 1098. Apollonio, ibid. Ægr. 13. pag. 1111.* atque in aliis. In quibus ſtudioſus Lector poterit ea omnia, quæ nos breviter de malis dejectionibus perſtrinximus, recognoſcere, atque ad uſum prognoſtici colligere.

CAP. XII.

De prædictione ab urinis, quid ſit urina, quomodo fiat, atque quantum faciat ad prædicendi methodum.

Urinæ quid ad præſagia faciunt.

QUUM ex alvi dejectionibus demonſtratum ſit, quomodo ægrotantium ſalus & mors prænoſcatur, reliquum eſt, ut ad prædictionem ex urinis veniamus. Etenim ipſarum non minus, quam ceterorum excrementorum, obſervatio ad vitam & mortem ægrotantium præſagiendam facit. Galen. *in lib. 6. de loc. affect. comment. 2.* ſcribit, per urinam expurgari gibbas hepatis partes, atque omnes quotquot ſunt his ſuperiores: *& in lib. 2. Prognoſt. capit. 4.* indicia eſſe illarum affectionum, quæ in jecore, & in venis fiunt. Addidit *in libr. 2. Prorrhetic.* renum veſicæque affectionem indicare, vaſorumque ſanguinem continentium, & virtutis ſuccos generantis tum robur, tum imbecillitatem. Quo plures complurium corporis partium morbi urinis judicentur; non tamen omnes, ut vulgo perſuaſum eſt, ſed febres omnes, hecticis exceptis, inflammationeſque: etſi, quæ thoracis partes occupant, primo ſputis, & quæ ventris, dejectionibus ſignificentur. Verum in his urinarum etiam judicium non eſt ſpernendum. Plurimum itaque urinarum obſervatio quum ad complurium morborum prognoſin conducat, merito nunc, quo pacto ab ipſis vita ac mors ægrotantium prænoſci

noſci queat, nobis eſt cognoſcendum. Quam rem non prius aſſequemur, quam quædam de *urinarum differentiis*, atque *cauſis*, ſcitu ſane ad prognoſtici judicium neceſſaria, præmiſerimus, ac abſolverimus. Liquido cuique Medicorum conſtat, urinam eſſe ſeroſum excrementum ſanguinis, quod a renibus attrahitur, per urinatorioſque meatus in veſicam delabitur, atque per eam excernitur. Ceterum nos per urinam quum ſeroſam humiditatem, tum illud omne, quod per urinam excernitur, intelligimus. Hæcque omnia ad prognoſin multum faciunt. Ex materia enim urina triplex eſſe videtur, quum aliquando per urinam excernatur cibi potuſque humiditas, quæ in multum potantibus plerumque cruda aquoſaque mingi ſolet; aliquando ſanguinis humiditas ſeroſa, qualitate humoris exſuperantis infecta; atque demum humiditas a colliquatione, quippe pinguedo. Quam triplicem urinæ materiam Hippocr. *in 6. Epidem. ſect. 5. text. 14. pag* 1185. perbelle ita expreſſit: *Urina concolor cibo & potui, & qualis eſſe ſolet intus, quum humidi colliquatio eſt*. At ſpectemus varias urinarum differentias, quæ omnes penes ſubſtantiam ipſarum, qualitatem & contenta accipiuntur. Quod ad ſubſtantiam ſpectat, quædam tenues, quædam craſſæ, & quædam mediocres exſiſtunt. Tenuium aliæ diu durant, aliæ mox craſſæ evadunt. Eodem modo & craſſarum quædam mictæ perſeverant, quædamque tenues evadunt. Quod ad qualitatem, triplex urinarum eſt differentia, quippe una, quæ ex colore, altera ex liquore, ac tertia ex odore cognoſcitur. Ex colore, albæ, pallidæ, flavæ, aureæ, rubræ, virides, lividæ, nigræ exſiſtunt. Complures alii urinarum colores ab aliis recenſentur, at hi, qui ſunt præcipui, vobis ad prędictionem ſufficient. Horum colorum quoſdam tenui ſubſtantiæ urinarum conjungi, quoſdam craſſæ, ſeu quoſdam tenuium eſſe proprios, & quoſdam craſſarum. Tenuium ſunt aquoſæ, rufæ, flavæ, virides, lividæ, ac non minus nigræ. Quibuſdam tamen viſum eſt, colorem pallidum, rufum, & flavum tenuium proprios eſſe. Conſtabat tamen virides, lividas atque nigras cum tenui aliquando ſubſtantia obſervari, quæ in *Herophonte*, *lib. 1. Epid. Ægr. 3. p. 974. uxore Epicratis*, *ibid. Ægr. 5. p. 979.* & *Metone*, *ibid. Ægr. 7. p. 983.* fuere ab Hipp. obſervatæ. De Metone ait: *Urinæ tenues ſubnigræ*. Neque propterea negandum, nigras ſæpius craſſas mingi. Pallidæ vero, rufæ, atque flavæ numquam craſſæ, ſed perpetuo tenues minguntur. Hos enim colores ob materiæ inopiam fieri volunt. Ex liquore, urinarum alię clarę & lucidę, aliæ turbidæ obſcureque ſpectantur, & clararum urinarum mictarum quędam tales perſeverant, quędam mox turbantur. Eodem item modo de turbidis, quum quędam turbidę mingantur, & turbidę perſeverent, quędam poſtea, reſidente craſſa materia, clareſcant. Ex odore quoque quędam graveolent, quędam non. Penes item quantitatem, quędam multę, quędam paucę, quędam mediocres exſiſtunt, & quędam prorſus interceptę, apparent. Demum ex urinarum contentis, quę ſedimina, & ſedimenta, & hypoſtaſes vocant, complures urinarum differentię obſerventur: contenta vero dicimus, quę quovis modo a ſubſtantia urinarum ſeparata in urina ſpectantur, quandoque in ſuperficie, quandoque in medio vaſis, & quandoque in fundo. Quę in fundum reſident,

Urina quantum materiæ.

Urinarum differentiæ.

Quo ad ſubſtantiam.

Ex qualitate

Ex colore.

Ex odore.

Ex urinarum contentis.

Greci *hypoſtaſes*, noſtri ſubſidentiam, reſidentiam, ſedimenta, atque ſubjecta appellant. Quæ medium locum vaſis, ſeu urinæ ſubſtantiæ, occupant, ſublimationes, ſuſpenſa, ſublimia atque ſublimamenta: & quæ in ſupremo loco, juxta ſuperficiem, cernuntur, nubes atque etiam nubeculas appellant. Hypoſtaſes vero, ſive ſedimenta, variis differentiis interſtinguntur; ſiquidem quædam craſſa, quædam tenuia, quædam continua, quædam divulſa, minimeque unita, ſed inæqualiter per ſubſtantiam urinæ ſparſa cernuntur, quædam æqualia ſpectantur per multos dies, quædam inæqualia. Propterea quædam alba, quædam pallida, quædam flava, quædam rufa, quædam rubra, vel viridia, vel livida, nigra ſpectantur, quędam fœtent, quædam non. Craſſorum quoque ſediminum, quandoque ſunt pituitoſi humores crudi craſſique, quandoque melancholici, aut uſti nigri, & quandoque rubri ſanguineique reſident. Craſſa hæc ſedimina variis figuris ſpectantur, quædam enim granorum figura apparent, quas hypoſtaſes propterea Greci etiam *Oroboides* vocarunt. Nonnumquam veluti ſquamæ ſpectantur, quæ Græcis *Petaloides* dicuntur; & aliquando ut furfures, ſquamis anguſtiores, at craſſiores tamen, quæ itidem *Pityroides* nuncupantur. Demum hypoſtaſes farinæ interdum ſimiles apparent, quas *Crimnodes* Græci appellarunt. His ſimiles apparent, purulentæ, ideſt, quæ ex pure ſunt. Addimus quandoque apparere in iis pituitam craſſam, ac mucoſum humorem. In ſuſpenſis etiam & nubeculis eædem differentię ſpectantur, quę ſunt, continuitatis, divulſionis, ęqualitatis, inęqualitatis, craſſitiei, tenuitatis, quantitatis & colorum diverſorum nuper dictorum. Proprium ſublimioris partis, quippe in ſuperficie urinarum, eſt, ut oleagines, atque pinguedines ſpectentur. At tempus eſt, ut ſingularum urinarum cauſas cognoſcamus.

Hypoſtaſium variæ differentiæ.

Suſpenſorum & nubeculârum.

CAP. XIII.

De variarum urinarum cauſis.

Urinarum variarum cauſæ. Tenues unde.

JAm aggredimur cauſas variarum urinarum, a tenuibus atque craſſis inchoantes. Tenues enim perpetuo in febribus concoctionem debilem denotant, fiuntque, vel propter obſtructionem vaſorum ſanguinis, aut ureterum, aut renum, aut veſicæ, quo ſolus ichor, ſeu ſeroſa tenuis humiditas, excernitur abſque ullo humore; aut quando humores caput petunt, ut in phreniticis, quibus urinæ tenues mingi ſolent. Proinde colligemus tenues urinas mingi, ubi nihil humorum ipſis fuerit permiſtum, & craſſas, ubi quippiam permiſtum ſit; quod ſane fit aut natura concoquente aut ſublatis obſtructionibus. In febribus tenues urinas perpetuo cruditatem ſignificare, Galen. in multis docuit; ex quo Hipp. *in lib. 3. Epidemiorum, pag. 1085. lit. F.* dixit: *Urinæ multæ tenues, nihilque decretorii quicquam vel boni.* Hæ vero quandoque tenues durant, & quandoque craſſiores evadunt. Has naturam cœpiſſe concoctionem, & illas nondum cępiſſe, maximamque cruditatem denotare, Gal. docet *in lib. de urinis, c. 3.*

Craſſæ

Craſſæ vero urinæ ab humorum permiſtione fiunt, quæ in principio apparentes, multitudinem craſſorum humorum, (teſte Galen. in lib. *quæſita Hippocrat.* vocato) denotant; aut in ſtatu, naturam excernere humores. Multæ vero a potu largiori, aut a multa humiditate fiunt, ut in hydrope, atque in iis, quibus humida alvus ſupprimitur: atque hoc eſt quod Hippocrat. *Lib. 4. Aphoriſm. 83.* dixit: *Mictio noctu plurima facta, parvam ſignificat dejectionem.* Aut ab inflammatis renibus, plurimam humiditatem attrahentibus, ut in diabete; a multis itidem humoribus, qui per renes purgantur, ægri copioſius mingunt. Quibus ſane urinis copioſis multos judicatos vidit Hippocr. *in 3. Epidem. Pag. 1086. lit. D. text. 41.* A contrariis cauſis paucæ urinæ prodeunt, quippe aut a pauco potu, aut ubi plurima humiditas per alvum, aut per ſudorem, expurgatur, aut a multo calore igneo ſeroſam humiditatem abſumente, ut in ardentibus febribus fieri ſolet, qua ratione in ipſis non raro etiam prorſus retinentur: aut denique pauca exit, propter obſtructas vias urinæ, aut renum, aut veſicæ meatuum. At cauſas colorum indagemus, ab albis incipientes, quæ aut tenues ſunt, aut craſſæ. Hæ ſunt indicia magnæ copiæ crudorum craſſorumque humorum, ut Gal. docet, & præſertim quæ, quum craſſæ minguntur, eædem permanent; quæ ex his non reſident, ſummam cruditatem, concoctriciſque facultatis imbecillitatem præmonſtrant. Proinde in acutis morbis ſunt perniciosæ: cujuſmodi fuerunt, quæ ab Hippocrat. fuere obſervatæ in *Philini lib. 1. Epidem. Ægr. 4. pag. 976.* & *Dromedai uxore, ibid. Ægr. 11. pag. 987.* Quæ vero ex his tenuiores reddi incipiunt, naturam cœpiſſe concoctionem denotant. Tenuium vero albarum urinarum, quas Galen. *in lib. 4. Aphoriſm.* aquoſas appellat, cauſſæ ſunt, aut imbecillitas, concoctricis facultatis, ut in ſenibus; aut obſtructio renum, uti in nephriticis, antequam lapis expurgatur; aut obſtructio itidem hepatis; aut quod non raro fit, & toto bilioſo humore in cerebrum ſublato, quas propterea phrenitim prænuntiare, Gal. *in libr. de Urina capit. 6.* tradidit. Hæ vero extremam tum cruditatem, tum magnam concoquentis facultatis imbecillitatem denotant. Ex quo in morbis bilioſis, omnium maxime, ut ait Galen. *in libr. de Criſibus cap. 12.* & *in 2. Prognoſticor.* perniciosæ exſiſtunt. Pallidæ vero urinæ redduntur, quum parum bilis flavæ ſeroſæ humiditati permiſcetur, parumque diſtare videntur a concoctione, ſi modo non valde tenues exſiſtunt. Flavæ ac rufæ, ſive croceæ, ſi tenues una ſint, teſte Hippoc. *Prognoſt. pag. 40. lin. 43.* morbum plane crudum oſtendunt, vigereque magnum caloris incendium in viſceribus. Craſſæ vero concoctionem & aliquando criticam excretionem ſignificant. De qua nos ſuperioribus libris egimus. Rubras ac ſubrubras a ſanguine fieri, Gal. *in 2. Prognoſt. in lib. de Urinis*, ac non minus *in lib. 3. Epid. com. 1. text. 1.* docuit, nimirum ubi ſemicoctus ſanguis per urinas expellitur. Indicant enim ut *in 2. Progn.* & *in 3. Epid. com. 27.* ait, ſanguinem abundare incoctiorem ac ſeroſiorem, qui in venis jecinoris & profundi corporis continetur. Quo hepatis ſeparatricis quoque facultatis imbecillitatem cognoſcimus. Hinc Hippocrat. *in Prognoſt. pagin. 40. lin. 35.* dixit, has urinas longitudinem oſtendere, quod longum temporis ſpatium ad ſanguinem

Craſſæ unde.

Noctu plurima reddita quid notant.

Paucæ unde.

Urinæ albæ quid indicant.

Tenues albæ ſive aquoſæ.

Pallidæ.

Flavæ ac rufæ, ſive croceæ.

Craſſæ.

Rubræ ac ſubrubræ.

guinem concoquendum requiratur. Ceterum quæ aliæ aliquando ſubrubræ & tenues minguntur (etſi Auctor *Libri de Urinis* noluerit tenus rubras dari urinas) a pauco ichoroſo ſanguine infectæ, aliquando craſſæ a multitudine ſanguis inconcocti, quales in ſynochis febribus ſæpe obſervamus. *Urinæ cruentæ vel & ſanguineæ.* His ſimiles ſunt ſanguine infectæ, quas cruentas & ſanguineas appellant. Quæ propter debilitatem renum, laxatis venis, quæ in ipſos renes finiuntur, quam *anaſtomoſim* vocant, aut laxatis meatibus, qui a primo ad ſecundum ſinum ſunt, minguntur: quales *Apamantiam* & *Fabrum* minxiſſe Hippocr. *in* 4. *Epid. pag.* 1133. *text.* 29. tradidit. Aliquando exit ſanguis ruptis ſcilicet venis, aut apertis, aut ulceratis renibus, vel veſica. De His Hippocr. 4. *Aphoriſm.* 81. *Si quis ſanguinem & pus mingat & ſquamulas, & urinæ gravis odor fuerit, veſicæ ulcerationem ſignificat*: & de illis, *Aphoriſm.* 78. *Quicumque repente ſanguinem mingunt, iis a renibus venulæ ruptionem ſignificat*. *Virides.* Virides ſequuntur, quæ aut ex porracea bile in ventriculo, ut Galen. tradidit, ob eſculentorum cruditatem, genita, aut ab æruginoſo humore in vaſis, ob nimium caloris incendium, Galen. *in* 2. *Prognoſt. comment.* 39. auctore, atque flavæ bilis aſſationem genito, ortum trahunt. In ſanis, & non febricitantibus, porraceæ bilis plerumque indicia exſiſtunt: veluti in acutis febribus, & inflammationibus viſcerum, hunc in urinis colorem viridem eſſe æruginoſæ bilis indicium, Gal. *in* 2. *de Criſibus cap.* 11. docuit. Hunceque præſertim colorem in urinis fieri ſtatuit, quum bilis flava in atram, incendio caloris, mutatur. His colore *Oleoſæ.* proximæ ſunt oleoſæ urinæ, quæ tamen pingues non ſunt, ſed quæ, ait Gal. *in lib.* 3. *Epidem. ſec.* 3. *comm.* 72. & *in* 1. *lib. de Criſibus cap.* 12. colore & craſſitie oleo ſunt ſimiles, quas Galen. in ægrotis ſine detrimento ex morbi *Pingues.* concoctione aliquando ſe vidiſſe, prodit. Pingues vero, ſcilicet præ pinguedine oleo ſimiles, aut quod olei modo ſupernatent, oleoſæ vocatæ, ex alia cauſſa fiunt, quippe perpetuo a colliquato adipe aut totius, aut renum. De quibus Hippocr. *in* 7. *lib. Aphoriſm. Aphoriſm.* 35. *Quibus inſidens pingue, ac ſimul totum, iis renum vitium acutum ſignificatur*. Ubi vero colliquatio ex calore febrili in toto corpore fit, ut Galen. *in Coment.* notavit, vel ex eo dignoſcitur, quod cum urina adipes paullatim exeunt, minimeque univerſim. Ex quibus colligimus, oleoſas urinas duplicis eſſe differentiæ, quippe illas, quæ colore tantum, & craſſamento oleo perſimiles apparent, atque has, quæ pingues exſiſtunt, quibus in *Aphor.* Hippocr. *ineſſe pinguedinem* dixit: de quibus *in* 2. *Prognoſt. pag.* 40. *lin.* 25. *Si pingue deſuper natans arenorum ſpeciem referat, damnandum eſt*. Galen. vero *in libr.* 4. *de ſanitate tuenda, cap.* 25. dixit, hoc pingue in urinis eſſe ſimile *Pinguium triplex differentia.* ei quod in ſummo refrigerati juſculi concrevit. Hanc urinam *ex lib. de Urinis* triplicem eſſe conſtat, quippe *Elaochroam* Græcis vocatam, quæ olei colorem habet, principium colliquationis indicantem: *Elæophanem*, exquiſitiorem miſtionem olei cum urina habentem, colliquationiſque augmentum præmonſtrantem: atque *Elæodem*, undequaque oleo ſimilem, vigorem notantem colliquationes. Galen. vero *in* 3. *Epidemiorum* oleoſam duplicem tantum facit, quippe colore & craſſitie oleo ſimilem, pinguedi-

nis

nis expertem; atque alteram pinguem, hancque duplicem esse, scilicet unam; quæ habet pinguedinem supernatantem, oculis boum similem, quam Græci *Elæophanem* appellant, & alteram, in qua supernatat pinguedo, telæ araneorum modo, *Elæodem* Græcis vocatam. Has omnes fieri colliquatione pinguedinis, ab igneo calore, dictum est. Lividæ fiunt præ immodica frigiditate, teste Galen. *in* 1. *de Crisibus cap.* 12. quæ propterea in acutis morbis perniciosæ exsistunt, quod naturæ exstinctione fiant. Fiunt tamen aliquando ex materia crassa, livida, quas aliquando bonas esse, quippe critice apparentes, Hippocr. (*Vid. Libr.* 4. *Aphor.* 47.) non negavit. Nigras quoque urinas mingi aut propter immodicam frigiditatem constat, (sed hæ obscuræ magis quam nigræ apparent) aut propter exurentem calorem. Nigras fieri ob serum atræ bilis urinæ mistum, urinam nigro colore tingens, Galen. *in* 1. *Prorrhet.* docuit; & *in* 3. *Epidem. comm.* 4. dixit: has a sanguine conspici melancholico, serum perinde, ac fuligine, nigro colore inficiente. Ex quo *Lib.* 1. *de Crisib. cap.* 11. ait: nigram urinam nobis atræ bilis, redundantis in corpore, aut usti sanguinis esse indicio. Ceterum hæ duplicis sunt differentiæ ex substantia ipsarum aut tenui, aut crassa, quippe nigræ aut tenues, aut crassæ, minguntur. Has crassas perpetuo ab humore crasso melancholico, aut atra bile, aut usto sanguine copiosius excreto, colorari dicimus. Hinc in quartanis febribus, in melancholicis, atque in spleneticis, crassas urinas nigras mingi, Galen *in* 2. *Progn. com.* 27. testatum reliquit. Tenues vero fieri aut propter vehementem frigiditatem, qua ratione sanguis quoque nigrescit, aut ob exsuperantem calorem, quippe sanguinem urentem, Galen. in 2. Prog. & *in* 1. *de Crisib.* statuit. Has vero cognoscimus, quod, priusquam nigræ appareant, flavæ, aut rufæ, aut croceæ spectentur; & illas, quod lividæ prius spectentur, mox nigrescant. Post nigras, claras atque turbidas spectemus, nimirum a quibus caussis fiunt: & primo de claris permanentibus urinis superius dictum est, quum de coloribus, in tenui substantia urinarum spectatis, sermo proxime fuerit habitus: nunc de iis, quæ claræ minguntur, & mox turbantur, agemus. Has enim crudas esse atque propter flatus crassi redundantiam turbari, neminem latet, ac proinde naturam aggredi concoctionem indicare, nullis Medicis, praxim exercentibus, est ignotum. De hac Galen. *in libr.* 4. *de Sanit. tuenda cap.* 4. ait: *Si quum emingitur pura sit, protinus vero turbatur, jam crudi succi concoctionem aggredi naturam, docet. At si interposito tempore turbetur, non protinus, sed post aggressuram insinuat.* Turbidarum vero urinarum, quas triplicis esse differentiæ, Gal. *in* 3. *Epid. in* 4. *Aphor. & in* 4. *de sanit. tuen. & in* 1., *de Crisibus* statuit, quippe quæ claræ minguntur & post turbantur, de quibus agimus; & quæ turbidæ mictæ residen, & clarescunt; atque demum quæ mictæ turbidæ, perpetuo tales permanent. Has *subjugales* vulgus Medicorum appellat, quod jumentorum urinis similes spectentur, quippe crassitie, colore, atque turbata substantia. Hæ sunt a crudis crassisque humoribus, a calore agitatis, atque inde multis flatibus elevatis, & fero permistis, quibus substantia confunditur, & turbatur. Hinc Hippocrat. dixit *lib.* 4. *Aph.* 70. *urinas perturbatas dolorem capitis præmonstrare*, quod

Lividæ.

Nigræ.

Urinarum nigrarum duplex differentia.

Turbidarum triplex est differentia.

Urinæ subjugales quænam & unde.

Urinæ perturbatæ quid notant.

nimirum per ipſas nobis ſignificetur multos vapores ad caput allevari ac ſubvehi. Galen. *in 6. Epidemiorum, comment. 5. in text. 15.* ait: *has urinas eorum eſſe, in quibus humor, qui crudus vocatur, plurimus abundat, & a calore fuſus eſt.* Hinc enim ipſum, in ſpiritum verſum, flatuoſas exhalationes ad caput ſubmittere contingit. A crudis itaque & craſſis humoribus, calore agitatis, fiunt urinæ turbidæ. Sed quæ turbidæ clareſcunt, a calore quidem naturali concoquente; & quæ perpetuo manent turbidæ, plerumque a febrili, totam maſſam ſanguinis agitante, ac confundente. Cujuſmodi ſunt, quæ in principio malignarum febrium apparent, quo tempore nihil concoxit natura. Avicenna vero, ac alii Arabes Medici dixerunt, urinas turbidas, non reſidentes, nobis præmonſtrare humorum ebullitionem, propter vehementiam caloris extranei, & debilitatem innati caloris digerentis: & Gal. *in 1. lib. de Criſib. cap. 11.* dixit, urinas turbidas manentes, minimeque clareſcentes, nobis præmonſtrare, naturam cœpiſſe agitationem in ſanguine, vigereque ad concoctionem; illas vero, quæ, quum claræ fuerint mictæ, mox turbantur, ſignificare nondum cœptam eſſe humorum agitationem ad concoctionem, ſed poſtea fore ſperandam. Ex quo ipſe his urinis bonitate prætulit eas, quæ perpetuo turbidæ manent; quas cœptam concoctionem denotare clarius *in libro quarto, de ſanitat. tuenda* hiſce verbis expreſſit, dicens: *Quod ſi turbida ſit, qualis veternorum viſitur, crudis vocatis humoribus refertas venas indicat, non tamen ceſſare naturam, ſed eos valenter concoquere.* Et de illa, quæ turbida poſtea, hæc addidit: *Si quum emingitur pura ſit, protinus vero turbetur, jam crudi ſucci concoctionem aggredi naturam, docet, &, ſi interpoſito tempore turbetur, non protinus, ſed poſt aggreſſuram inſinuat.* Amplius contrarium videtur etiam hic affirmare de urinis manentibus turbidis, quum dixerit: *Si vero vel omnino nulla ſeparatio, vel id quod ſubſidit, malum ſit, imbecillitas naturæ ſignificatur, egetque ope aliqua ad ſuccos percoquendos.* Quid igitur dicemus? Urinas turbidas, manentes turbidas, aliquando fieri a calore extraneo totam maſſam ſanguinis agitante, & aliquando a calore innato, quippe a natura ipſa concoquente. Haſque urinas ab illis diſtingui, quoniam non in principio, ſed in augmento incipiant, quo tempore natura manifeſte aggreditur concoctionem, & poſtea aliquid reſidet in ipſis, aut minus turbidæ evadunt, vires conſtant, morbuſque exitialibus ſignis caret. Quod nobis forte expreſſit Galen. *in 4. de Sanit. tuend. cap. 4.* quum dixerit: *Verum omnium, quæ turbantur urinarum generalis nota eſto ipſius craſſi a liquidiore ſeparatio, aut propere aut tarde facta, aut omnino nulla.* Ergo ſi protinus fiat, & quod ſubſidit ſit album, leve, æquale, ſuperiorem longe naturam ſuccis, quos concoquit, oſtendit. Sin, quod ſubſidit, malum ſit, imbecillitas naturæ ſignificatur. Quum vero eæ principio ſtatim apparuerint, quo tempore nondum natura aggreditur concoctionem, propter ebullitionem, & agitationem caloris febrilis, & extranei, turbari ſignificant, quæ ob id multitudinem crudorum craſſorumque humorum, a vehementi calore fuſorum, indicant, quæ cum morbo vehementi, & viribus prælanguidis exitium merito ſignificant. Hinc Galenus *in libro quarto Aphoriſmorum* merito dixit: *Quæ vero*

Turbidæ clareſcentes quid & unde.

Turbidæ manentes unde.

non

non resident, si vires affuerint, longum fore morbum ostendunt, si imbecillitas adsit, ægri mortem prænuntiant. Quare quæ principio apparent turbidæ, manentque turbidæ, non a naturali, sed ab extraneo colore fiunt, quod virium debilitas confirmabit, atque signum aliquod perniciale, & quod numquam in ipsis aliquid resideat, quod sit laudabile: atque hæc de caussis turbidarum urinarum. Nunc mordacium, quæ cum dolore & mordicatione exeunt, caussas attingamus quæ fiunt ab humoribus summe calidis ac acribus redditis, qui una per urinam excernuntur; unde Hippocrates *in primo Epidemior. sect. 2. pag. 943. inter E. & F. text.* 10. dixit: *fieri stranguriosos abscessus.* Et Galenus *in 2. Epid. text.* 41. dixit: *Ubi per renes excrementa purgantur totius corporis, urinæ illos stillicidium corripere, quumob alia, tum præcipue propter confluentium urinarum acredinem.* Acredo vero a multo calore fit. Fœtidas vero urinas reddi propter humorum summam putredinem aut in vasis, aut in renibus, vel vesica, omnibus liquido constat.

Urinæ mordaces unde.

Fœtidæ unde.

Æquales & inæquales.

De æqualibus vero, & inæqualibus urinis Gal. *in lib. 7. Aphor.* 33. ita habet: *Si vero compagis urinæ, quam Systasim dicunt Græci, inæqualitatem ita dici concesserimus, recte dixit vehementem significari perturbationem. Nam dominante, & vincente natura omnia æqualiter unita sunt: diversis vero caussis tumultuantibus ac renitentibus ei, illud quod superatur, atque concoquitur, aliam habet formam, renitens vero, ac tamultuans aliam, & quando plura hujusmodi fuerint, variam magis ostendunt urinarum inæqualitatem, & ejus caussæ perturbationem.* Atque hæ sunt causæ variarum urinarum. Quibus præmissis ad variorum contentorum caussas dignoscendas descendimus. In qua re primo intelligendum duximus, cur in fundo vasis resideant, quæ hypostases, subsidentias, atque sedimenta appellant; cur in medio, quæ suspensa, sublimia, & sublimamenta; & cur in suprema vasis parte, quæ nubes, & nubeculas, & enæoremata dicunt, Hippocr. quandoque sublimamentum nubeculam vocat? Hæc vero contentorum diversitas in urinis pendet ex varia flatuum generatione, & mistione; siquidem ubi in urinis flatuum copia adfuerit, excrementum ad supremum vasis locum defertur; ubi minus ad medium; atque ubi nulli adsint; in fundo. Quo fit, hypostasem probam coctionem indicare, in qua flatus discussi nullam pariunt turbationem; etsi locus non necessario hoc demonstret, quando in fundo non omne residens contentum coctionem denotet, sed illud tantum, quod est candidum, leve, & æquale per omne tempus, uti docet Hippocrates *in 2. Prognost. pag.* 40. *lin.* 30. Neque etiam nubeculæ & suspensa semper cruditatem præmonstrant, de quibus Hippocr. *in 2. Prognost. ibid. lin.* 41. dixit: *Nubecula, quæ invehitur in urina, si candida est, est bona* & Galen. *in 1. de Crisib. c.* 11. scripsit, in iis, qui usi sunt inedia, ac labore immodico, morbum sæpius solvi, priusquam aliquid subsideat, & plerumque sufficere nebulam albam, aut suspensionem albam, levem, atque æqualem. Verum perpetuo contentum in fundo vasis album, leve, ac per omne tempus æquale, coctionem denotabit; minorem suspensum; & nubes, quippe in suprema vasis parte contenta, morbi

Contentorum diversitas in urinis unde.

adhuc

adhuc minorem coctionem declarat. In qua parte excrementum, ſeu contentum elatum, circuli modo, juxta urinæ ſuperficiem, ſolet eſſe delirii certum indicium, quod *Auctor Prorrheticorum Libr.* 1. *text.* 4. 32. 37. animadvertit, atque ego ſæpius experientia verum eſſe didici. Multa ſubſidentia, quamvis locum infimum matellæ occuparit, copiam crudi humoris vacuari, Galen. *in lib. de Criſibus cap.* 11. exemplo puerorum eorum, qui in crapulis & in otio vitam ducunt, demonſtravit, quorum corpora, quod ſcateant humoribus crudis, ideo cum urinis plurimum ejuſdem crudi humoris excernunt: & *in* 2. *Prognoſt.* dixit, ſedimentum in urinis apparere copioſum, ubi morbus ex crudis humoribus foveatur, atque pauciſſimum aut nullum conſpici in morbis bilioſis, atque in iis, qui inedia uſi ſunt, & multo labore. Tenuia vero tenuiorum humorum ſunt indicia. Sed quæ pura ſunt, neque facile vaſe commoto aſſurgunt, magnam naturæ in ſecunda concoctione imbecillitatem indicant. Craſſa itidem craſſorum humorum nobis ſunt indicia, quod Galen. explicavit, quum *in quarto*, tum *in ſeptimo Aphoriſm. & in lib. de plenitudine*, ait, *in iis, qui ſunt voraces, urinas habere ſedimen craſſum*. Quo affirmabimus craſſum ſedimen, craſſos humores, ac ideo maxime difficiles nobis affectus indicare. Unitum ſeu conjunctum, æquale, pyramidali figura, maxime commendatur, quod optimam notet coctionem. Contra divulſum atque inæquale ſignificare, Galen. *in* 1. *de Criſibus cap.* 11. tradidit. Divulſum enim, & inæquale, craſſorum flatuum copiam in venis adeſſe, qui natura diſcuti & reſolvi nequeant, affirmat Auctor *libri de Urinis, capit.* 19. Quo modo ad contentorum quoque colores, album ceteris coloribus præfertur, ut dictum eſt, ſi continuum ſeu læve & æquale; atque hoc excernitur, ubi perfecta facta fuerit concoctio. Inæquale vero, divulſum, diſtinguitur ab hypoſtaſi; hoc etenim non unitum ſeu conjunctum, ſed in exiles, & minutas veluti arenulas per urinæ ſubſtantiam diſpergitur. Hocque aut a pituita copioſiore fit, aut a pure, aut a colliquatione ſolidarum partium. Cujuſmodi eſt, quod farinæ craſſiori eſt ſimile. *Crimnodes* has hypoſtaſes Græci appellant. Rubrum & ſubrubrum cruditatem, & coctionis defectum ſignificat. Quo Hippocrat. *in* 2. *Prognoſt. Pag.* 40. *lin.* 35. merito dixit: *Si urina fuerit ſubrubra, & ſedimentum ſubrubrum, & læve, diuturnior hic morbus, quam primus, ſed admodum ſalutaris*: & Auctor *libri de Urinis capit.* 12. ait, contentum rubrum fieri a ſanguine ichoroide, coctioniſque defectum ſignificare. Flava, viridia, mala ſunt, quod morbum a flava, æruginoſaque, ſeu porracea bile foveri, denotent. Peſſima livida, & nigra. Quod prius lividum fuit, moxque nigreſcat, a caloris refrigeratione procedit; & quod prius aut flavum aut ruſum, aut viride fuerit, & mox nigrum, a calore igneo, humores adurente. Merito itaque Hippocr. *ibid. lin.* 43. nigram nubeculam vitioſam vocat. Quæ ex iis, quæ a colliquatione fiunt, quæque ob id variis figuris ſpectantur, *Oroboides* hypoſtaſes, quod orobis ſimilia ſint, ac etiam *Sandarachoides* Græcis vocatæ, fiunt conſumto jam adipe, ubi præſertim caro conſumi cœperit: præmonſtrant enim, aut totius corporis, aut renum colliquationem. *Petalodes* vero, ideſt ſquamoſæ, laminoſæ, fiunt, teſte Galeno, ubi,

poſt

poſt adipis carniſque colliquationem, partes ſuperficiariæ igneo calore abraduntur; & *Pythirodes* vocatæ, ideſt furfuraceæ, quæ ſunt ſquamoſis anguſtiores, ſtrictiores, ſed tamen craſſiores, ubi ſolidarum partium vaſa igneo calore dilacerantur, ac contabeſcunt; & *Crimnodes*, ideſt, farinæ craſſiori ſimiles, a majori adhuc ſolidorum membrorum contabeſcentia. De his Hippocrat. *in 2. Prognoſt. ibid. lin. 38. Si in urina ſedimentum ſpeciem referat farinæ craſſioris, malum eſt. Deterius vero, ſi ſquamularum inſtar conſiſtit, ſi vero tenue & candidum admodum eſt, vitioſum eſt. Furfuraceum vero deterius eſt.* Galen. *in comment.* dixit fieri haſce urinas calore igneo, ſanguine aſſato, aut conſumtis inæqualiter carnibus, atque hæc de urinarum cauſſis.

CAP. XIV.

De bonis urinis, ſalutem prænuntiantibus.

URINÆ, & alia excrementa duobus modis ſalutem & mortem in ægrotis ſolent indicare; uno modo ut ſigna coctionis, & malignitatis; atque altero, ut cauſſæ, quippe probam aut malam excretionem prodentes. De urinis, quæ ex proba concoctione quum morbi tum cauſſarum ſalutem præmonſtrant, Galen. *in 1. lib. de Criſibus capit. 12. & in 3. Epidemior.* ita ſcribit: *Quippe optimam eſſe, quæ in ſubſtantia eſt mediocris, quantitati aſſumtæ potionis reſpondens, colore ſubrufa, ſubflava, cum ſedimento ſeu hypoſtaſi alba, lævi & æquali.* De qua Hippocr. *in 2. lib. Prognoſt. Pag. 40. lin. 30.* ita habet: *Optima eſt, quæ candidum ſedimentum habuerit, lævemque & æquale per omne tempus, dum morbus judicetur. Securitatem enim ac morbum fore brevem ſignificat. Si vero intermittit, atque interdum puram emittit urinam, interdum ſubſidet candidum ac læve, morbus diuturnior ac minus ſecurus.* Galen. addit: *Neceſſario vero colore erit modice croceo, & conditione media inter tenuem, & aquoſam, ac corpulentam, qualis jumentorum habet.* Idem in *1. lib. de Criſibus, cap. 12.* ait: *optimam eſſe magis ſubrufam, quam ſubflavam*: & *in 1. Epidem.* & *in libr. 10. ſimpl.* modice flavam facit: & *in libr. 2. de ſanit. tuenda*, ait: *rufam bilioſamque urinam coctionis perfecta in morbis eſſe indicium.* In multis concoctæ urinæ ſunt diſcoloratiores, in aliis coloratiores. Quo conſtat non unicum in optimis urinis colorem perpetuo obſervari. At divinus Hippocrat. non colorem in urinis, neque ſubſtantiam præcipue attendendam ad prognoſin duxit, ſed contentum; quum hoc loco optimam urinam deſcribens, ne verbum quidem de colore & ſubſtantia, ſed tantum de contento: quum dixerit *optimam eſſe, quæ candidum ſedimentum, læve ac æquale habuerit*, coloremque & ſubſtantiam omiſit, quum in omnibus non unicus color, neque unica ſubſtantiæ qualitas obſervetur, atque etiam quum urina habens optimum ſedimentum, neceſſario & colorem optimum & ſubſtantiam mediocrem habeat. In temperatis corporibus tales colores ſolent obſervari, qui quum in multis ob varias corporum diſpoſitiones evarient, proinde methodo, nobis optima

Urinæ optimæ quænam.

Urinæ in multis mire variant.

quæ

quæ ſit in omnibus indagandis, utemur, & primo ex Ariſtotele, qui *in primo lib. problem.* 52. ita habet: *Urina hæc optima & per omnia mediocris, urinæque ſanorum ſimillima, novitio medico inſpicienda eſt, ut ſcilicet quum aliquam ab hac ipſa declinaſſe viderit, ſtatim ab optima & exquiſita ſanitate hominem hunc cecidiſſe ſtatuat.* Merito hoc modo bonam & malam urinam ex Ariſtotele cognoſcendam conſtat. Quum unum ex maximis artis prognoſticæ principiis ſit, ſimilia & diſſimilia contemplari. Quare nos quoque, hoc ipſo adducti, dicimus in ægrotis optimam illam eſſe judicandam urinam, quæ recte valentium maxime ſimilis appareat: quam notam expreſſit itidem Galen. *in primo de Criſib. cap.* 12. Ceterum ut exacte optima urina dignoſci queat, primo corporum temperies, viſcerumque, præcipue erit attendenda, ætas, ſexus, victus, atque vitæ ſtudium: namque corpora calidiora coloratiores urinas habent, & frigida diſcoloratiores; & ex ætate, juvenes urinas habent pueris tenuiores & coloratiores, pueri craſſiores, & ſenes tenuiores, & diſcolores. Mulieres itidem viris craſſiores diſcoloratioreſque cum multis contentis: & qui crapulis indulgent, mingunt urinas cum multo ſedimento crudo; & ii, qui inedia uſi ſunt, cum paucis ſedimentis habent itidem urinas coloratiores; eædem ex vigiliis, & laboribus. Contra multa ſedimenta habent, & diſcoloratiores, qui in otio vitam ducunt. Unde dicimus optimam urinam eſſe, in pueris, quæ ſubſtantia craſſiori ſpectatur, diſcoloratiori cum multo ſedimento albo, levi, & per omne tempus æquali. In juvenibus & viris erit coloratior, quippe ſubflava vel ſubrufa, & tenuior, cum paucioribus contentis; & eo coloratior & tenuior, ſi corpora hæc fuerint temperamenti calidioris; diſcoloratior, ſi fuerint frigidioris temperamenti, & in mulieribus erit aliquando craſſior, & diſcoloratior; & in iis, qui inedia uſi ſunt, laboribus, vigiliis, coloratior, tenuior, cum contentis paucioribus; & in iis, qui crapulis & otio uſi ſunt, diſcoloratior, craſſior, cum copioſiori ſedimento. In temperatis vero corporibus optima urina erit, colore, ut ait Galen. modice croceo, ſubſtantia mediocri, quantitate potui reſpondens, habens ſedimentum album, læve, æquale per omne tempus, quæque denique urinis recte valentium hominum ſimillima ſit. In omnibus optima perpetuo ejus hypoſtaſis ſeu ſedimentum album, æquale; minus optima, quæ habet ſuſpenſum ſeu ſublimamentum; & adhuc minus, quæ nebulam. Verum, ut docuit Galen. *in* 3. *Epidem.* aliquando bonum ſuſpenſum, & aliquando bona nebula ſat erit ad ſalutem prædicendam, de quo Hippocr. *in* 4. *Aphor.* 71. ita expreſſit: *Quibus ſeptima judicatur, in iis nebulam habet urina quarta die rubram, & alia ex ratione.* Adeo ut, ait Galenus, non ſolum rubra aliqua nubes apparens antea non viſa judicationem ſignificet, ſed & alba multo plus ipſa, adhuc autem magis & ſublimamentum album, æquale atque conſiſtens: ſi vero velociter admodum morbus movetur, & coloris & ſubſtantiæ mutatio ſunt ſufficientia ſigna futuræ dijudicationis. Hippocr. *in* 2. *Prog. pag.* 40. *lin.* 41. dixit: *Nubecula, quæ invehitur in urina, ſi candida eſt, eſt bona*; & Galen. *text.* 36. ait: *Conſiderandum in nubecula eſt, utrum ſurſum fuerit an deorſum, & item color, quem obtinet, ſi enim deorſum feratur cum colore qui dictus eſt,*

Urinæ hypoſtaſis quænam perpetuo optima.

est, bona commendataque est. Ex substantia, tenues urinæ cum bono colore bonæ exsistunt; de his Galenus *in primo Epidemiorum*. *Planum ergo est, tenues sed boni coloris urinas ob coloris bonitatem promittere salutem, quatenus vero erant tenues, hactenus tempus requirebant concoctioni*. Hæ quidem urinæ salutem prænuntiant: sed longiori tempore futuram, quod in *Cleonactide*, *lib.* 1. *Epidem. Ægr.* 6. *pag.* 982. *Clazomenio ibid. Ægr.* 10. *pag.* 985. atque *Charione*, *lib.* 3. *Epidem. Ægr.* 5. *pag.* 1072. fuit ab Hippocrate observatum. Tenues etiam discoloratiores, ubi signa adfuerint salutis, abcessum præmonstrare, Hippocrates *in* 2. *Prognost. pag.* 40. *lin.* 48. docuit, quod Galenus *in* 3. *Epidem. comment.* 1. *text.* 4. confirmavit, dicens: *Si urinas tenues, & æquabiles diu reddat, & reliqua salubria sint signa, his abscessus in locis protenditur septo transverso subjectis*. Quod *Pythioni lib.* 3. *Epid. Ægr.* 1. *p.* 1059. qui propter telluris ædem habitabat, contigisse animadvertit, de quo Hipp. *Urinæ a primo ad octavum usque diem tenues, decolores, quæ suspensionem habebant nubilosam. Decimo sudavit, sputa subcocta, judicatus est, urinæ circa judicium subtenues. Quadragesimo ab judicio die suppuratio circa sedem, & strangurioſus factus est abscessus*. Ex coloribus urinarum, ut dictum est, commendatur subflavus, subrufus, subcroceus, modice paleus, subluteus. Subrubram quoque urinam cum sedimento subrubro, Hipp. *Prognost. p.* 40. *lin.* 35. dixit esse salutarem, etsi diuturniorem morbum significet. Niger itidem color non perpetuo malus, in lienosis, ut in *Herophonte*, *lib.* 1. *Epid. Ægr.* 3. *p.* 974. & in iis, qui abundat sanguine melancholico, & in suppressis mensibus, qui sint melancholici, quod Gal. *in Epid. Urinæ vero color licet esset niger, nihil attulit periculosi, quod retenti menses essent magis melancholici*. Copiosæ itidem nigræ urinę, quę in aquosas non mutantur, critice excretę, sunt utiles: unde Gal. *in* 5. *Epid.* 3. *in text.* 74. scripsit, se novisse quamdam mulierem, quę his urinis magna copia evacuatis plurimum fuit juvata: prętera urinę nigrę cum larga, aut narium sanguinis eruptione, quod in *Metone*, *ibid. Ægr.* 7. *p.* 983. aut mensium copia, quod in *muliere morosa lib.* 3. *Epid. Ægr.* 11. *p.* 1108. fuit observatum, non sunt timendę. Bonę itidem sunt ex turbatis urinis cito residentes, album, lęve, & ęquale, de quibus Gal. *in* 4. *de sanitat. tuenda* scripsit: *Si vero humoris separatio crassi a liquido in ea cernitur, sitque quod subsidet album læve & æquale, jamjam superaturam eos omnes naturam indicat*. Clarę quoquę, quę protinus turbantur, utiles exsistunt, quod significent naturam humorum coctionem aggredi. Ex mutatione etiam urinarum ęę bonę judicabuntur, quæ ad probiorem vel colorem, vel substantiam, vel sedimentum accesserint. Bonæ itaque plerumque censentur crassiores, quæ post principium minguntur; Excrementa enim accedente concoctione, crassiora quidem evadunt, si prius tamen fuerint tenuia; veluti e crassis fierit tenues optimum esse, Hippocrates *in* 4. *Aphorismorum* 69. ita docuit: *Quibus urinæ, crassæ, grumosæ, paucæ, non sine febre, multitudo veniens ex his tenuis, juvat. Maxime vero tales redduntur, in quibus statim ab initio, vel non ita multo post, sedimentum apparuerit*: & Gal. in comment. *Hæ autem si multæ & tenues fiunt, juvant, quoniam materiam subti-*

Urinarum colores quinam boni.

Urinæ crassiores quænam bonæ.

Urinæ quanam bonæ.

ſubtiliatam ſignificant. Ex turbidis clareſcentes optimæ exſiſtunt, ex diſcoloratis coloratiores, & ex nimis coloratis minus coloratæ, & ex carentibus ſuſpenſis, quæ nubeculam, aut ſuſpenſum, aut demum ſedimentum habere incipiunt, & quæ alba & æqualia fieri inceperint. Atque tot modis urinæ, ut ſigna coctionis nobis ſalutem in morbis indicare poſſunt. Eodem itidem modo, idem nobis ſignificabunt, ut cauſſæ, bonam evacuationem prodentes.

Criſim ſalutarem præſagientes.

Proinde multæ urinæ, in die decretorio apparentes criſin ſalutarem indicant, eoque certius id præſagiunt, ſi ſuapte natura meliores exſiſtunt, quales in *Nicodemo lib. 3. Epidem. ægr. 10. pag. 1108.* fuere obſervatæ, de quo Hipp. *Vigeſimo quarto multam urinam, & albam reddidit, in qua multa ſubſidebant, & cum ſudore fuit judicatus*: & de *Pericle ibid. ægr. 6. pag. 1102. Tertio febris emollita fuit, urina multa concocta, in quibus multa ſubſidebant. Charionem* multis urinis bilioſis fuiſſe ſervatum, Hipp. *ibid. ægr. 5. pag. 1071.* quoque tradidit. Hac eadem ratione & de multis craſſis *in 4. lib. Aphoriſm. 74.* ait: *Quibus ſperatur abſceſſus futurus ad articulos, liberat eos ab abſceſſu urinæ multa, craſſa, & alba facta*: & *in 6. Epidem. pag. 1179. comment. 4. text. 2. Urina craſſa, alba, qualis Archigenis, in laborioſis quartanis interdum exit, & liberat ab abſceſſu.* Verum ea, quæ eſt ſimilis farinæ craſſiori, aut longitudinem morbi, aut mortem, ut docet Galen. *in 7. Aphoriſm. 71.* præſagit. Acres vero cum dolore, copioſæ, ſæpius in acutis morbis judicant; de his Hipp. *in 1. Epidem. comment. 2. pag. 947. ſub finem, text. 42.* ita habet: *Unum vero bonum, maximumque inter ſigna, quæ fiebant, quodque multos a maximis periculis vindicavit, hoc fuit, quibus ad ſtranguriam diverterent, & in hoc abſceſſus fierent*: & *Paullo poſt, pag. 948. ſub. A. Stranguria autem his diuturna & laborioſa erat. Erant his urinæ copioſæ, craſſæ, variæ, rubentes, purulentæ cum dolore*: & poſtea *ibidem text. 24. Atque hi ſuperſtites omnes fuerunt, nec ullum horum periiſſe cognovi.* Quomodo *Pythionem* ſervatum Hippocr. vidit, de quo *in 3. Epidem. pag. 1059. Ægr. 1. comm. 1. text. 4.* ſcripſit: *Quadrageſimo ab judicio die ſuppuratio circa ſedem, & ſtrangurioſus factus eſt abſceſſus*; hinc eſt probabiliter multitudine urinarum ſanatus.

Farinæ craſſiori ſimiles quid præſagiunt.

Oleoſæ quanam bonæ.

Sunt demum quædam ex oleoſis urinis, non pinguibus, ſed tantum colore atque craſſamento oleo ſimiles, quæ bonæ eſſe ſolent. Hæque nonniſi perfecta morbi concoctione apparent, & has Galen. ſicuti ſcripſit *in 3. Epid.* ſæpius ex morbi concoctione, ſine ægri detrimento, vidit. Atque hæc de bonis urinis, ſalutem ſignificantibus.

CAP. XV.

De malis urinis mortem prænuntiantibus.

Urinæ quanam exitioſæ.

EX urinis tenues, albæ, aquoſæ, diu perſeverantes, in morbo non ſalutari, exitioſæ, quod ſummam cruditatem ſignificent, exſiſtunt in febribus acutis, teſte Gal. ſignificant enim totum flavæ bilis impetum ſurſum

ſum in caput ferri, quo delirium & phrenitim præſagiunt. De his Hipp. *in quarto lib. Aphor.* 72. ſcripſit: *Quibus urinæ, albæ, perſpicuæ, malæ, præſertim in phreniticis, apparent.* Galen. *in comm.* dixit, nullum vidiſſe phreniticum, in quo talis urina apparuiſſet, ſervatum. Melius ſiquidem eſt, ut, ſicuti totus morbus eſt bilioſus, ſic & urinæ appareant bilioſæ; illas in *Philiſta* phrenitico vidit Hipp. *lib.* 3. *Epid. Ægr.* 4. *pag.* 1070. In omnibus itaque febribus acutis, malum erit, urinas tenues & aquoſas ſpectari: aut enim mortem prænuntiabunt, aut morbi longitudinem atque recidivas; longo enim tempore natura opus habet ad illam ſummam cruditatem tollendam, quod, ubi febris non admodum ſit vehemens & acuta, & vires validæ ſint, aliquando ſalus, longo tamen tempore, ſuccedit; in vehementi vero morbo, cum viribus prælanguidis, prorſus exitiales exſiſtunt. Et hoc eſt, quod Galen. *in* 4. *Aphoriſm.* 72. de his locutus, dixit: *quum anticipaverint vires diſſolvi, eſſe perniciosas.* Addamus eas fidelius perniciem denotare, quæ & diu perſeveraverint, & poſt principium inceperint; quales fuere, quæ in *muliere apud frigidam aquam decumbente ibid. Ægrot.* 2. *pag.* 1096, apparuerunt: nam undecimo die habuit urinas tenues, aquoſas, quæ eædem ad diem quadrageſimum perſeverarunt. Diximus ex Hipp. *Prognoſt. pag.* 40. *lin.* 48. alibi, haſce urinas perſeverantes, ubi ſalutaria adfuerint ſigna, per abſceſſum morbum ſolutum iri præmonſtrare. Quod *Pythioni*, qui prope Telluris ædem habitabat, eveniſſe *in tertio Epidem comm.* 1. *pag.* 1059. *Ægr.* 1. *text.* 4. Galenum demonſtraſſe in altero capite meminimus. Contra vero, ubi ſalutaria ſigna non illuxerint, perpetuo eæ exitiales exſiſtunt. Hinc Hipp. *in* 2. *prognoſt. pag.* 40. *lin.* 47. aquoſam exitialiorem vocavit, & *in pueris eſſe deterrimam*, voluit. Craſſæ vero itidem urinæ, ex Hippocrate *ibid. lin.* 46. malæ exſiſtunt, ſi præſertim in principio appareant, quo tempore tenuiores, uti Galen. *in* 4. *Aphoriſm.* 70. voluit, eſſe ſoleant. Quæ vero ipſarum nihil, aut quod malum eſt, reſident, peſſimæ exſiſtunt; de his Galen. *in quarto libro Aphoriſmorum*: *Quæ vero non reſident, ſi vires affuerint, longum fore morbum oſtendunt, ſi imbecillitas adſit, ægri mortem prænuntiant*; & Hippocrat. *in primo Epidemior. commentar.* 1. *pag.* 940. *lit. G. text.* 26. *Aut craſſitiem habentes & parvam ſubſidentiam, nec probe ſubſidentes, ſed crudo quodam, intempeſtivo ſedimento.* De quibus etiam Galen. *in tertio Epidemior. commentar.* 1. *text.* 5. dixit: *At enim quum craſſas etiam fuiſſe indicet, nec ſubſediſſe urinas, plane ſunt illæ ex conturbatis, & turbidis, ut ſolet hic appellare, quæ ſemper turbationem crudam multo præditam ſpiritu flatuoſo, ut muſtum.* Non reſidentes vero quum ex turbidis ſint, craſſæ quoque, non reſidentes, ex turbidis erunt, quæ, ut ait Galenus, præter flatuoſam & crudam turbationem toti ineſſe ſanguini, etiam craſſos humores morbum fovere ſignificant. Turbidæ vero urinæ duplicis differentiæ exſiſtunt, quædam tenues, quædam craſſæ. Sed modo videamus, quid turbidæ præſagiunt in acutis morbis. Galenum tria turbidarum genera feciſſe, ſuperius diximus, quippe primum earum eſſe, quæ tenues, & claræ mictæ poſtea turbantur; ſecundum earum, quæ turbidæ minguntur, & turbidæ permanent; atque ter-

Tenues & aquoſæ.

Vrinæ craſſæ quoniam malæ.

Turbidæ quid præſagiunt in acutis morbis &

harum differentiæ.

tertium turbidarum reſidentium, & clareſcentium. Has *in primo de Criſibus* Galen. vult eſſe minus pravas, quod aliquid inæqualis turbulentiæ ſupereſſe demonſtrant, atque morbum haud multo poſt coquendum. His eſſe praviores, quæ claræ mictæ poſtea turbantur, quod hæc in urinis poſtea facta turbatio denotet, naturam debere incipere concoquere morbum, nondumque cœpiſſe concoctionem, propterea longiori tempore ac virtute forti ægrotos indigere ad concoctionem perficiendam. Inter has medias ſtatuit perpetuo turbidas manentes, nihilque clareſcentes, & reſidentes. Etenim *capit.* 4. ait, nobis indicare has turbidas urinas, vigere adhuc agitationem in ſanguine ad concoctionem, quod *in quarto de Sanitat. tuenda* hiſce verbis expreſſit. *Quod ſi turbida ſit, qualis veternorum viſitur, crudis vocatis humoribus venas refertas indicat, & non tamen ceſſare naturam docet, ſed eos valenter concoquere.* Ex quibus colligitur, urinas turbidas non clareſcentes, & reſidentes, meliores eſſe iis, quæ claræ mictæ poſtea turbantur. Quod tamen Hippocr. non videtur ſentire, quum numquam meminerit has pejoris eſſe judicii, ſed ex turbatis perpetuo non reſidentes, nihilque clareſcentes, ceteris magis damnavit, atque eſſe pernicioſas ſtatuit. De his in *uxore Philini, libr.* 1. *Epidemior. Ægrot.* 4. *pagin.* 976. quæ obiit, ita habet: *Urinam vero reddebat una cum convulſionibus affatim multam, raro admonentibus, craſſam, qualis eſt, quæ in matellis ſubſidit, cum agitata fuerit, repoſita multo tempore non ſubſidebat, color & craſſitudo aſſimilis jumentorum urinis, hæc illius erat urina, quam ego vidi.* Et de *uxore Dromeadai libr.* 1. *Epidemior. Ægrot.* 11. *pagin.* 987. moribunda dicit: *quo riguerat, alvus commode reddidit, urinæ craſſæ, albæ, turbidæ, cujuſmodi ſunt, quæ in matulis ſubſederunt, quum agitatæ fuerint, repoſitæ multo tempore non ſubſidebant.* Eædem turbidæ non reſidentes fuere obſervatæ in eo, qui *caleſcens cœnavit, & potavit largius, ibidem Ægrot.* 12. *pagin.* 988. & in *Hermocrate, libr.* 3. *Epidemior. Ægrot.* 2. *pagin.* 1062. *itidem morbo letali vexatis.* Atqui Galen. quoque *in quarto Aphoriſm.* 70. id affirmaſſe eſt viſus, quum dixerit: *Nonnullæ igitur urinæ longo tempore manent perturbatæ, nonnullæ vero cito ſedimen craſſum habent, & cito morbum ſolutum iri ſignificant. Quæ vero non reſident, ſi vires affuerint, longum fore morbum oſtendunt, ſi imbecillitas adſit, ægri mortem prænuntiant.* Addo quæ *in quarto de ſanit. tuenda, capit.* 4. de his urinis nobis prodidit, quibus aperte cognoſcitur, ceteris exitialiores eſſe non reſidentes; ipſe enim ita ſcripſit: *Verum omnium, quæ turbant urinam, generalis nota eſto, ipſius craſſi a liquidiore ſeparatio, aut propere, aut tarde facta, aut omnino nulla, ergo ſi protinus fiat, & quod ſubſidit, ſit album, leve, & æquale, ſuperiorem longe naturam ſuccis, quos concoquit, oſtendit: ſin bonum ſit, quod ſubſidit, ſed quod poſt longius interpoſitum tempus colligatur, etiam naturam temporis ſpacio ſuperaturam ſuccos, nunciat. Si vero vel omnino nulla ſeparatio, vel id quod ſubſidit, malum ſit, imbecillitas naturæ ſignificatur, egetque ope aliqua ad ſuccos percoquendos.* Quare colligamus turbidas urinas, nihil reſidentes, ceteris aliis turbatis eſſe pernicioſiores, quod etiam oppoſitorum ratione demonſtratur. Quum vel etiam

Nonclareſcentes & reſidentes quibuſnàm meliores.

Non reſidentes quando peſſimæ.

Galen.

Galen. fateatur, eas, quæ reſident, bonas eſſe, morbumque naturam ſuperaturam indicare; ergo oppoſitæ non reſidentes, ſed perpetuo manentes turbidæ, oppoſitum indicabunt, quippe naturam morbo ſuperatum iri. Non clareſcere etiam turbidas urinas indicium eſt, eas non a calore naturali, ad concoctionem agente, turbari, ſed ab extraneo agente ad interitum: terminus enim earum, quæ a naturali calore turbantur, eſt clare fieri, veluti turbidarum a febrili calore, perpetuo turbatas manere, nihilque, aut, quod bonum non ſit, reſidere. Ex his, quæ in principio morbi turbidæ permanent, pejores ſunt, quam eæ, quæ in augmento turbantur, quo tempore naturalis calor, concoctionem aggrediens, ſolitus eſt aliquando urinas flatibus replendo turbare, ſed hæ paullo poſt bonum ſedimentum reponunt, ac clareſcunt. Perturbatis vero urinis, quæ claræ minguntur, & poſtea turbantur, quod praviores ceteris turbatis ſint, ut voluit Galen. *in primo, de Criſibus cap.* 11. *in tertio Epidem. commentar.* 3. *in text.* 15. & *in* 4. *lib. Aphoriſm.* 70. non equidem certe cognoſco: nam ſi per eas, quæ poſtea turbantur, præmonſtretur naturam debere concoctionem incipere, & per illas, quippe turbidas clareſcentes, non incepturam, ſed jam cœpiſſe, & aliquid concoxiſſe, indicabitur. Itaque ex turbidis urinis nihil reſidentes in acutis morbis erunt pernicioſiores, & merito ſane; quum multitudinem crudorum craſſorumque humorum adeſſe denotent, quæ ut concoquatur, & ſuperetur a natura, longius temporis ſpatium requirit, quod nonniſi natura admodum robuſta abſolvet. Unde vehementibus morbis & corporibus debilibus hæ mortem præſagiunt. Ex coloribus, uti diximus, albæ, tenues, aquoſæ, in acutis morbis ſunt peſſimæ, quod, ut Galen. docuit, melius ſit, in bilioſo morbo urinas atque excrementa coloratiora ſpectari. Hippocrat. *in* 2. *Prognoſticor. pag.* 40. *lin.* 42. damnat urinam rufam, & tenuem, tamquam morbum plane crudum denotantem, ipſamque, ubi morbus diutinus fuerit, periculum ſignificare ægro, ne ipſe poſſit durare, quo ad morbus concoquatur; hocque præſagit, quoniam rufa urina, & tenuis ſit vehementis morbi indicium. Indicat enim intus magnum caloris incendium adeſſe, & in hepate, aut in ventriculo, aut in ſepto tranſverſo adeſſe flammeam aliquam inflammationem. In internis inflammationibus, & in acutis febribus, aurea urina diu permanens maxime eſt ſuſpecta, quod, ut dictum eſt, magnam alicujus viſceris phlogoſin, aut phlegmonem denotet. Nigra urina numquam ſine periculo in acutis morbis apparet, modo critice talis non excernatur, vel in ſuppreſſis menſibus melancholicis, copioſe prodeuntibus, aut cum larga ſanguinis eruptione per nares. Quibus modis nigras urinas conſpectas, non eſſe timendas, in altero Cap. docuimus. In acutis vero morbis, aliquo illorum modorum non excretæ, nigræ urinæ ſunt periculoſæ; ſanguinis enim uſti copiam, quæ non ita facile a natura concoqui poteſt, denotant. Quare Hippocrat. *in Prognoſticis pag.* 40. *lin.* 46. dixit, nigram urinam rufa tenui eſſe exitioſiorem, & in mulieribus atque in viris deterrimam. *ibid. lin.* 41. Hinc nigram quoque nubeculam in urinis damnavit, tamquam ſignum perni-

Urinæ perturbatæ quænam peſſimæ.

Albæ, tenues, aquoſæ, peſſimæ.

Rufæ & tenues malæ.

Aureæ quando malæ.

Nigræ numquã ſine periculo.

ciale. Tenues vero nigras, & paucas urinas, fuisse unum ex signis, quæ, quum febres ardentes inciperent, annuntiabant, quibus exitium impenderet, Hippocr. *in* 1. *Epidem. comment.* 2. *pag.* 954. *inter litt. E. & F.* meminit. Exitiosæ sunt, quæ in aquosas mutantur, cujusmodi fuerunt, quæ in *muliere apud frigidam aquam decumbente libr.* 3. *Epidem. Ægrot.* 2. *pag.* 1096. conspectæ fuerunt. De hac Hippocr. 11. *urinæ multæ, tenues, & nigræ: & vigesimo*, ait, *Urinæ aquosæ, & multæ, malæ.* Quod Galen. *in comment.* notavit, quippe urinas nigras in aquosas versas esse letales. Auctor *Prorrheticorum lib.* 1. *text.* 4. scribit, *urinas nigras in turbulentis & vigilibus esse phreniticas*, idest, phrenitides prænuntiare. Sed addimus nos ferinas ac letales in iis præsagire, quod ex atra ustaque bile futuras præmonstrent. Exitiales itidem esse nigras maleolentes, Galen. *in* 7. *Aphorism.* 75. animadvertit. Demum urinæ perpetuo nigræ, tenues, aquosæ, cum malis signis, mortem ostendunt, quales in *muliere apud frigidam aquam decumbente lib.* 3. *Epidem. Ægrot.* 2. *pag.* 1096. apparuerunt, de quibus Hippocr. in fine illius historiæ casus, ait: *Urinæ hujus perpetuo nigræ erant, tenuesque, & aquosæ, comaque consequebatur, cibum fastidiebat, animo erat dejecto, in somnis iracunda, implacida, animo melancholico.* Pessimæ omnium sunt nigræ, cum nigro sedimento. De his Galen. *in* 1. *lib. de Crisibus cap.* 52. ita habet: *Pessima igitur est tota urina denigrata, adeo ut neminem umquam servatum viderim ex iis, qui talem minxerint. Minus vero pernicioſa, si solum id, quod subsidet, nigrum fuerit, atque adhuc minus, si solum id, quod in medio jacet, ac multo minus etiam, si nebula.* Oleosæ quoque urinæ, in quibus præsertim pinguedines supernatantes, araneorum telis similes, spectantur, ab Hippocr. *in Prognosticis pag.* 40. *lin.* 52. damnantur. Et Galen. *in lib.* 4. *de sanit. tuenda, cap.* 3. ait, hasce urinas in ægrotis esse pernicioſas, quod colliquationis sint indicium: De *Pythione lib.* 3. *Epidem. Ægrot.* 5. *pag.* 1098. super Herculis fanum decumbente, ait: *minxit oleosum.* Post nigras oleosæ sunt pessimæ, quod ingentis colliquationis sint indicium, igneumque naturæ calorem prævalere significent. Quales fuere observatæ in prædicto *Pythione*, atque in *muliere Cyzici ibidem Ægrot.* 14. *pagin.* 1114. hi enim urinas primo nigras, & mox oleosas seu pingues, habuerunt. Non minus pernicioſæ sunt pingues, post crassas turbidas, non residentes, quoniam igneum seu febrilem calorem, a quo primo fuere turbatæ, nedum nihilo defeciſse, at quinimmo magis plurimum auctum esse, significant. Has in *uxore Dromedai lib.* 1. *Epidemior. Ægrot.* 11. *pag.* 987. & in illo, *qui calescens cœnavit, & potavit largius, ibidem Ægr.* 12. *pag.* 988. Hippocrates vidit. Hic enim *primo die rubras, crassas, turbidas non residentes minxit, & quinto & septimo oleosas pingues, obiitque undecimo.* Illa vero *die secnnda & tertia crassas, turbidas itidem non residentes, & quarto & quinto oleosas, obiitque sexto.* Multæ itidem tenues, aquosæ, sine contentis, nihil juvantes, aut quovis modo vitiosæ in acutis morbis, plurimum sunt timendæ. De his Hippocrat. *in* 3. *Epidem. comment.* 3. *pag.* 1085. *lit. F. text.* 41. *Urinæ multæ tenues,*

Nigræ quæ in aquosas mutantur exitiosæ.

Urinæ nigræ maleolentes exitiales.

Nigræ cum nigro sedimento omnium pessimæ.

Oleosæ quænam in primis malæ.

Pingues quænam pernicioſæ.

Nihil juvantes aut quovis modo vitiatæ malæ.

tenues, nihilque decretorii quicquam vel boni; & poſtea *pag.* 1085. *lit. C. D.* de iiſdem: *Urinæ multæ erant, neque erant illæ ex potu ingeſto, ſed illum excedebant, multumque etiam vitioſæ urinæ redditæ, neque enim inerat craſſitudo, vel concoctio, vel purgatio proba*. Hippocrat. *in* 3. *Epidem. Ægrot.* 12. *pag.* 1080. *text.* 26. dixit, *mulierem*, quæ *in foro mendacium* decumbebat, nono die multam urinam, in qua nihil ſubſideret, reddidiſſe; & quæ *apud frigidam aquam*, *ibid. Ægrot.* 2. *pag.* 1096. perpetuo habuiſſe urinas multas nigras, tenues, aquoſas. Multæ quoque craſſæ, aut turbidæ non reſidentes, aut quicquam non juvantes, maxime damnantur; multæque urinæ omnes in morborum principiis damnantur, & merito inutiles habentur, quoniam tunc temporis nihil concoctum excerni, nullamque probam purgationem fieri poſſe, alias a nobis fuit demonſtratum. Paucæ tenues in ardentibus febribus, & acutis inflammationibus peſſimæ exſiſtunt, quod indicent ſerum ſanguinis igneo calore abſumtum. Quæ ſi vitioſæ, eo pejores erunt. Quales in *uxore Dromedai ibid. Ægr.* 11. *pag.* 987. in adoleſcente *Melibææ lib.* 3. *Epidem. Ægr.* 16. *pag.* 1117. & in filia *Euryanactis virgine ibid. Ægr.* 6. *pag.* 1073. Hæc enim, & adoleſcens *Melibææ* paucas tenues non boni coloris, & illa paucas tenues oleoſas minxit. Paucæ itidem tenues fuere conſpectæ in illa quæ apud *Tiſamenum ibid. Ægr.* 9. *pag.* 1077. & in *ea* quæ apud *Pantimidem ibid. Ægr.* 10. *pag.* 1078. decumbebat. Qui omnes ægroti paullo poſt obierunt. Ubi vero propter igneum calorem, ſeroſam humiditatem ſanguinis prorſus abſumentem, aut propter omnium functionum, ut Galen. *in* 3. *Epidem comment.* 2. *in text.* 4. docuit, exſtinctionem, urinæ plane reſtiterunt, in febribus exitium eſſe prænuntiatur. In *Sileno lib.* 1. *Epidem. Ægr.* 2. *pag.* 969. *moribundo*, ut Hippocr. narrat, *ſexto die reſtiterunt, atque die ſeptimo nihil minxit, demum die octavo paucas reddebat cum dolore mordaces*, quæ nobis indicio fuerunt vehementis caloris, ſerum ſanguinis tum abſumentis, tum ſumme calidum acre facientis. In *muliere Cyzici, lib* 3. *Epidem. Ægr.* 14. *pag.* 1114. *anginoſa apud Ariſtionem agente, ibid. Ægr.* 7. *pag.* 1075. atque *adoleſcente Melibææ, ibid. Ægr.* 16. *pag.* 1117. propter facultatis exſtinctionem, ante exitium reſtiterunt. Urinæ quoque paucæ, acres, nihil allevantes, letales exſiſtunt; quod ſummo caloris incendio, intus latente, ſeroſam omnem humiditatem abſumi, humoreſque inflammari, & Hippocrates animadvertit, *Silenum libr.* 1. *Epidemior. Ægrot.* 2. *pag.* 969. ante mortem urinas paucas mordaces reddidiſſe. Ego vero *Guadagninam*, olim meam dilectiſſimam uxorem, atque alios, ardente febre letali vexatos, hujuſmodi urinas paucas, ſumme acres ac vellicantes, ſæpius minxiſſe vidi, quas paullo poſt exitium fuit ſubſecutum. Quæ etiam ex urinis nullum contextum habent, quippe neque ſedimentum, neque ſuſpenſum, neque nubeculam, & malæ exſiſtunt, modo ægroti prius inediam non ſuſtinuerint, ut Gal. *in* 2. *Prognoſticorum* tradidit, aut plurimum laboraverint, aut vigilarint, aut corpora fuerint admodum bilioſa, in quibus urinas abſque contento ſpectari, non eſſe malum, Galen. *in* 1. *de Criſibus cap.* 13. teſtatum reliquit. Craſſas vero abſque ſedimento in acutis morbis letales eſſe Galen.

Urinæ quænam inutiles.

Paucæ, acres, nihil allevantes, letales.

Urinæ craſſæ ab-

Squæ ſedimento letales.

affirmavit. Malæ itidem ſunt, quæ cum pauco ſedimento, aut crudo, minguntur. De quibus Hippocrat. *in primo Epidemior. pag.* 940. *ſub lit.* G. ſcribit: *Urinæ tenues & incoctæ & decolores, & paucæ, aut craſſitiem habentes, & parvam ſubſidentiam, nec probe ſubſidentes, ſed crudo quodam & intempeſtivo ſedimento.* Galen. *in quarto Aphoriſmorum* 69. damnavit urinas craſſas, propter gravitatem ſedimenti: & Auctor *libri de Urinis capit.* 72. dixit, accidere aliquando, ut albus humor & crudus ſimul excernatur cum urina, & in imo ſubſideat inſtar bonæ hypoſtaſis: & Galen. *in ſecundo libro Prognoſtic.* dixit: crudum ſedimentum copioſum, morbum a multitudine crudorum humorum foveri, proinde reddi difficilem, indicare; craſſum itidem, eadem ratione *in quarto Aphoriſm.* 69. maxime damnavit: de hoc ipſo Hippocrat. *in ſeptimo Aphoriſmor.* 31. ita habet: *Quibuſcumque febricitantibus in urinis fiunt ſedimina ſimilia farinæ craſſiori, longam ægritudinem fore ſignificant.* Dictum eſt alias ex Galen. *in primo de Criſibus cap.* 12. hæc ſedimenta craſſa, farinæ ſcilicet craſſiori ſimilia, quæ *Crimnodes* Græcis dicuntur, magnam ſane colliquationem præmonſtrare, & propterea in acutis morbis eſſe exitialia: & Galen. *in commentar. Aphoriſm.* 31. de hiſce ſedimentis ita habet: *Liquet igitur & ex his exemplis, quod quicumque mingunt urinam ſimilem farinæ craſſiori, ſi ſalvari debeant, tarde liberantur. Quicumque vero exitialiter ſe habent, contingit hos quamcito interire*: & propterea has urinas exitiales facit, plurimoſque ait morte præripi, antequam ægritudo diutius protrahatur; & quicumque ex ipſis fuere liberati, in omnibus in longum productam fuiſſe ægritudinem: & merito ſane; quum diſpoſitio, in qua talis urina mingitur, multam requireret coctionem. Hippocrat. *in ſecundo Prognoſtic. pagin.* 40. *lin.* 38. hæc ſedimenta maxime damnavit. Hoc ſedimen habuerunt urinæ *Sileni*, *lib.* 1. *Epidem. Ægrot.* 2. *pag.* 969. & illius, *qui in Dealcis horto decubuit*, *lib.* 3. *Epidem. Ægrot.* 3. *pag.* 1066. qui nonniſi ſpatio dierum quadraginta fuit ſervatus. Diximus itidem ſuperius, ſedimenta orobis ſimilia, ſquamoſa, furfuroſa, quæ Græcis *Oroboides*, *Petaloides & Pityroides* vocantur, quod ab eadem colliquatione fiant, ideo in febribus acutis, ubi minime vitio renum, aut veſicæ fiant, eſſe letalia. Hæc omnia Hippocrat. *in ſecundo Prognoſtic. pagin.* 40. *lin.* 38. *& ſequenti*, hiſce verbis eſt complexus, dicens: *Si urinæ ſedimentum referat ſpeciem farinæ craſſioris, malum eſt; deterius his, ſi ſquamularum inſtitutione conſiſtit: ſi vero tenue, & candidum admodum, eſt, vitioſum eſt; furfureum vero, deterius eſt.* Cognoſcimus non renum vitio fieri, ubi adſit febris acuta colliquans, nullumque læſorum renum ſignum appareat. Sedimentum quoque divulſum, quod cruditatem denotet, improbatur, quo apparente numquam tuto ſalus prædici poterit: eodem modo inæquale de quo Hippocrates *ſecundo Prognoſticorum*, *ibid. lin. trigeſima tertia. Si vero intermittit atque interdum pura mingitur, interdum ſubſidens candidum ac leve, morbus diuturnior, ac minus ſecurus eſt.* Subrubrum improbatur ab Hippocr. *Ibidem linea trigeſima ſexta* quod morbum diutinum oſten-

Farinæ craſſiori ſimilia ſedimenta habentes malæ.

Orobis ſimilia ſedimenta habentes.

Sedimentum divulſum habentes malæ.

Subrubrum.

oſtendat, etſi ſalutarem eſſe dixerit: Auctor vero *libri de Urinis* ait, ſubrubrum ſedimen defectum coctionis præmonſtrare, non tamen mortem. Verum quoniam omnis morbi longitudo eſt ſuſpecta, ideo non carere videtur pravitate, & maxime in corporibus imbecillioribus, morbiſque vehementioribus, quibus naturæ vires cito collabuntur, & ſæpius nondum concocto morbo. Nigrum ſedimentum eſt peſſimum in acutis morbis, quod cum nigra urina Galen. affirmavit eſſe omnium peſſimum; minus vero pernicioſum ſuſpenſum, & adhuc minus nubeculam eſſe. Ex ſuſpenſis improbantur clara, quod delirium ſignent, quod in *in virgine Lariſſæ lib. 3. Epidemior. Ægrot. 12. pag. 1110.* Hippocrat. notavit, & Galen. *in comment.* dixit, caſu delirium ſignificaſſe, non per ſe: quatenus, inquam, ſanguinem flatuoſiorem denotaret; quoniam ſi nullus flatus inſit ſanguini, ſuſpenſiones ad imum vaſis deferentur. Auctor *Prorrheticorum lib. 1. text.* 4. 32. 37. ſuſpenſum ſublime delirium portendere ſtatuit, & eo magis, ut ait Galen. ſi una aurium ſonitus adfuerit, atque ſi aliquis dolor coxæ, vel alterius partis inferioris, & a viſceribus remotæ, occultatus fuerit. Nigrum quoque ſuſpenſum, divulſum, inæquale, malum eſſe, ſed minus malum quam ſedimentum, dicit Galen. *in lib. de Urinis cap.* 17. Nubeculam quoque nigram damnavit Hippocrat. *in 2. lib. Prognoſticor. pag.* 40. *lin.* 41. Pingue itidem ſupernatans malum eſſe ait *ibid. lin.* 52. quod conſumtionem ſignificet. Ego ſæpius nubeculam juxta ſuperficiem urinæ, circuli modo evectam, atque elatam in iis, qui phrenitici obierunt, vidi. Proinde hanc in acutis turbulentiſque febribus eſſe pernicialem cognovi. Quare ubi contenta, quæ ſecundum naturam ſe habent, fuerint ad ſuperficiem urinæ multo ſpiritu evecta, pravum in capite, neque exiguum affectum prænuntiant. His addimus, urinas in non recordantibus & inſciis ægrotis mictas, de quibus *in 1. Prorrheticor. text. 29.* hæc leguntur: *Urinæ excretio in non recordantibus, pernicioſa.* Denotat namque, teſte Galeno, periiſſe naturalium functionum intellectum. Hocque aut cerebro læſo, ægrotis quippe delirantibus, fit, aut exſtincta naturali facultate. Unum reſtat admonendum, quippe urinas in multis exitioſiſſimis febribus mingi ſubſtantia, colore, atque contentis, recte valentium urinis ſimiles, haſque optimas ignaris Medicis videri, Medicoſque maxime decipere. Quæ tamen in iis mortem portendunt inevitabilem; quod nobis indicio ſint, bilem, qua colorantur urinæ, aut cerebrum, aut aliquod aliud viſcus invaſiſſe, nihilque ſuccorum noxiorum cum urinis excerni, quod ſumme exitioſum eſſe in phreniticis, ac vel etiam in pleuriticis, peripneumoniciſque, Medici obſervant: nihil enim, ut proxime dicemus, in pleuriticis eſt pernicioſius, quam in ipſis ſputa non excerni, & quæ excernuntur, flavum colorem non habere permixtum.

Nigrum.

Urinarum ſuſpenſa quanam mala.

Suſpenſæ in urinis clara quid præſagiunt.

Nigra, divulſa inæqualia mala.

Pinguia.

Urinæ recte valentium quare ſæpe exitiales.

CAP. XVI.

De prædictione ex ſputis, & primo quid ſit ſputum, quas partes læſas denotet, differentiæ & cauſæ.

Sputum quid.

ETSI quicquid per os non vomitione rejicitur, ſputum Medici appellent, quippe, ſcreatu, ſimplici ſpuitione, atque tuſſi; nihilominus illud ſputum proprie magis dicunt, quod tuſſi excernitur, de quo, quod ad noſtrum inſtitutum maxime faciat, nimirum ad judicandam prognoſim,

Quas partes læſas denotat.

in præſentia accuratius itidem ſcribemus. Hoc vero, quippe tuſſi excretum, excrementum eſt pituitoſum mucoſum, modo ſimplex exeat, minimeque aliis humoribus mixtum, quod ex cerebro in pulmones deſtillavit. Aliquando tamen bilioſa, aut purulenta mera rejiciuntur, quæ peſſimarum paſſionum ſunt effectus. Hæc inquam per tuſſim excreta, ſputa, ut diximus; vocata nobis, Galen. Auctore, indicia ſunt affectionum tum pulmonum, tum thoracis, tum aſperæ arteriæ, tum gutturis, atque, ut in ſumma dicam, reſpirationi ſubſervientium inſtrumentorum omnium.

Sputorum differentia.

Differunt vero inter ſe ſubſtantia, figura, colore, quantitate, ſimplicitate, & miſtione, odore, ſapore, ſcreationis facilitate, atque allevatione, aut auctione doloris, atque tuſſis. Subſtantia enim tenuia ſunt, craſſa, viſcida, & viſciditatis expertia. Figura plana, æqualia, rotunda, ſpumoſa, cruenta ac purulenta. Colore alba, pallida, flava, rufa, rubra, viridia, livida, nigra & quædam verſicolora. Quantitate vero multa, pauca, & nulla. Simplicitate, ac miſtione, ſimplicia *mera* vocata, atque miſta. Odore, ægreolentia, & quæ non male olent. Saporibus, inſipida, dulcia, ſalſa, amara, & acria. Facilitate exſcreationis, & difficultate, quæ facile tuſſi rejiciuntur, quæ difficulter, & quæ nullo modo. Quæ dolorem & tuſſim ſedant, quæ augent: ac demum concocta, cruda, atque maligna.

Cauſæ. Sputa tenuia liquida unde.

Horum omnium cauſſæ ſunt dignoſcendæ, & primo tenuium liquidorum. Quæ (Galeno Auctore *in lib. ſexto Epidemior.*) fiunt a calore debili cerebri, aquoſum excrementum minime coctum facientis, quod neque in pulmonibus, defectu multi caloris, craſſeſcit. Hoc ipſum in pleuriticis principium eſſe coctionis ſtatuit. Veluti craſſum ſputum perfectæ coctionis eſt nota. Matureſcentia enim ſputa e tenuibus, ſeu liquidis, craſſeſcunt.

Viſcida unde.

Viſcida mediocriter fiunt ſputa, quum liquida percoquuntur. Quæ vero valide viſcida exſiſtunt, indicant intenſum calorem, humidum reſolventem, qua ratione pituita, calore eximio agitata, craſſeſcit, atque lenta evadit. Hæc in pleuriticis & pulmoniis peſſima ſunt; vix enim, quia tam firmiter partibus adhæreſcunt, projici poſſunt, ſæpeque leves pulmonum arterias obſtruendo ſuffocant. Quod *Antipatro* Medico Romano contigiſſe Galen. *in lib. 4. de affect. cap. 6.* memoriæ prodidit. In pleuriticis, pulmoniis, ac vel etiam in aſthmaticis, quod projici non poſſit, ſtertorem ac ebullitionem inducit, ſæpeque ſuffocat, aut empyema facit. Dilutior vero pituita, expers lentoris, debilis caloris, humidum tenue non abſumentis,

eſt

eſt nota. Plana & æqualia tum unius ſimpliciſque eſſentiæ pituitam, tum æque calore agitatam denotant: contra inæqualia varieque figurata. Spumoſa, diu ſpumam conſervantia, quæ a pituitoſa viſcidaque ſubſtantia, caloreque multo agitante, fiunt; quod valde ſpumans merito Gal. *in lib. de totius morbi tempor.* damnavit. Fiunt vero etiam hæc ſputa flatulento ſpiritu pituitæ, vel alio humore mixto, qualia ex pulmonibus, plurimo aere excrementis permiſto, fiunt. Qua ratione *Paullus* ſcribit e gutture ſpumoſum, propter commercium reſpirationis, ſæpius ſputum rejici. In pleuriticis, & peripneumonicis non e flatu, ſed collecto igneo calore, in partibus affectis, excrementa ſpumoſa extuſſiuntur. In quibus ſi ſanguis ſpumoſus appareat, pulmonis ſubſtantia læſa, uti docuit Galen. indicatur. Quinimmo neceſſario ſanguinis ſputum ſpumoſum, ſubſtantiam pulmonis ulceratam, *ex libro* 5. *Aphoriſm.* 13. Hippocr. denotare, conſtat. Rotunda vero, quæ tuſſi excernuntur, fieri ab humore craſſo, & tenaci, in fibris pulmonis collecto, atque a calore inſigni, Galen. *in lib. 6. Epidem.* tradidit. Addimus formam rotundam, quod glutinoſus humor, in aſpera arteria contentus, eamdem cum illo formam acquirit; ſiquidem ipſa globoſa eſt, & cavitate interiore in orbem circumducta. Hæcque in quibuſdam, febre vacantibus, vidi, qui per valde longum temporis intervallum nihil mali pati videbantur, attamen iſti omnes poſtea phthiſici contabuerunt. Hæc Hippocr. *lib. 6. Epid. ſect. 3. text. 27. & ſect. 6. text. 21.* delirium demonſtrare docuit, forte ex caliditate, quam notant, caput replente, ut Galen. *in 4. de loc. affect. cap.* 8. expreſſit, at numquam per ſe ſola delirium poſſe prænuntiare. His ſunt proxima, quæ grandinis granis ſimilia ſpectantur: hæc ipſa Gal. in quodam vidit, qui, quin phthiſicus contabuerit, effugere non potuit. Cruenta autem fieri a ſanguine exeunte, aut venis apertis, *Anaſtomoſin* Græci dicunt; quod ſi ita effluat, nullus dolor aderit, nulla inflammatio, nulla febris, eſtque ſanguis aquoſus & tenuis, multus ex magnis, paucus ex paucis promanans venis; aut eroſis, (*Diabroſin* & *Anabroſin* appellant) quem affectum notant, tuſſis moleſta abſque cauſſa manifeſta, ſanguis principio paucus, & nonniſi per intervalla exiens, aliquando copioſus, ubi inſignis fuerit eroſio, & magnorum vaſorum præcedunt deſtillationes; aut demum venis itidem ruptis, quem etiam affectum vocant *Peririxim*. Cujus notæ ſunt, dolor, & præſertim, ſi ex thorace & ex pulmone, juxta membranam, ſanguis copioſus, cauſſæ ruptionis antegreſſæ, veluti eſt humorum abundantia, vehemens motus, clamor, caſus, ictus & alia ſimilia. Itaque ſputa cruenta fiunt a ſanguine, ut dictum eſt, aut venis apertis, aut exeſis, aut denique ruptis. In pleuriticis vero hæc ſputa rejiciuntur, quum natura præſertim materiam aggreditur; hanc etenim paullatim attenuat, proinde laxatis viis, ex quibus vapor exhalat, tenuior pars, & vicina vapori, per raritatem pororum elabitur in interna & vicina ſpatia, ex quibus, tuſſi ſublata, & ſputo excluſo, initium coctionis præmonſtratur: ſunt vero pituitæ miſta; proinde has mitiſſimas pleuritides, Galen. *in 6. Epid. comm.* 3. eſſe ſtatuit. Valde cruenta vero ſputa in iis Auctor Coac. præſag. *text.* 390. maxime damnavit,

Plana & æqualia. Inæqualia, variaque figurata, ſpumoſa.

Rotunda.

Grandinis granis ſimilia.

Cruenta.

navit, quod veluti ſincerus ſanguis exeat, atque aliud vitium denotet; aut enim vaſorum quorumdam διαβρώσις, a bile acri, & erodente, quæ ſanguinem attenuat, & venas aperit, ſignificatur; aut ῥῆξις, ideſt ruptura a vehementiori thoracis compreſſione, quæ nihil ex phlegmone foras excludere poterat. Purulenta vero ſputa a ſanguinis ſputo phthiſin indicare futuram, Hippocr. *in lib. 7. Aphoriſm. 15.* tradidit: at in pleuriticis, & peripneumonicis ſuppurationem, & empyema, a qua tabes: quum enim materia quatuordecim diebus non repurgatur, aut ægrotos ſuffocando interimit, aut putreſcit magis, & in pus convertitur: cujus ſigna ſunt horror, vel de novo, aut auctior, febris vehementior, & gravitas, ſeu pondus; de hoc Hippocr. *in 2. lib. Aphor. 47.* ita habet: *Circa puris generationem dolores ac febres contingunt, magis, quam ubi jam eſt genitum.* Sed de purulentis ſputis poſterius etiam nos accuratius. Nunc ad varios ſputorum colores. Alba itaque cernuntur ſputa, ubi id, quod excernitur, eſt pituitoſum, aut purulentum. In morbis pituitoſis utilia ſunt, in bilioſis vero quum inutilia, tum mali indicii; quod nihil de materia, pleuritim faciente, educi præmonſtrent: de albis ex pure nuperrime ſermo eſt habitus. Flava vero, pallida, nigra, e bile flava, pallida, ac nigra reſudante fieri, Galen. *in lib. 6. Epidem. comment. 4. text. 4.* notavit. Quos ſputorum colores hiſce verbis *in lib. 2. de loc. affect. cap. 9.* eſt complexus; ſcribit enim *cap. 9. Quippe jam oſtendimus omnem inflammationem ex affluente fieri ſanguine. Quapropter ſi bilioſus fuerit ſanguis, flavum aut pallidum erit ſputum; ſi pituitoſus & ſpumans, candidum; ſi melancholicus, aut nigrum, aut lividum; ſi nihil horum ſanguinem infecerit, rubrum. Quin etiam in pleuritide ſæpe numero magis bilioſum, in peripneumonia vero magis pituitoſum.* Verſicolora multorum affectuum (Galen. auctore) ſunt indicia, proinde morbum difficilem præmonſtrant. Multa, multitudinem humorum, quæ ſi facile excernantur, ſintque alba, craſſa, concoctum eſſe phlegmonem, ac ſuperatum; ſi vero purulenta, & in ipſis pus ſit album, leve, æquale, non fœtens, denotant, phlegmonem ſuppuratum per puris excretionem finitum iri; ſi bilioſa, viridia, livida, nigra, morbum crudiſſimum & valde malignum, & vix a natura debellandum. Pauca, etſi concocta, non pro ratione morbi, inutilia ſunt: quo merito in peripneumonia ab ipſis timendum, Auctor *Coac. præſagior. text. 416.* nos docuit. Qualia fuere in *uxore Euxenii* ab Hippocr. *in 7. Epidem. pag. 1124. text. 58.* obſervata. Nihil vero excerni in pleuriticis ac pulmoniis, ſumme eſt periculoſum; ubi potiſſimum non principio morbi, ſed poſtea quoque ſputum omnino non appareat. Nihil omnino exſpuere idem in pleuriticis ſignificare, quod in aliis febribus urinæ aquoſæ, quippe ſummam morbi cruditatem, Galen. *in 1. libro de Criſibus cap. 18.* docuit. Quo inflammationem ſeu phlegmonem, concoctu difficilem, ac diuturnam præmonſtrari *in primo Aphoriſm. 12.* meminit: & *in libro de conſtitut. art. medend. cap. 16.* ait, nihil exſpuere eſſe pernicioſum; partim quod ſignificet fluxionem phlegmone quaſi devinctam teneri, partim vero, quia ea unica univerſa interius contenta corrumpantur. Hinc Auctor *Coacorum præſagiorum text. 381.* ſiccas pleuritides,

Sputa purulenta unde.

Alba.

Flava, pallida, nigra.

Verſicolora.

Multa.

Bilioſa, viridia, livida, nigra.

Sputa pauca quid ne tant.

Nulla in Pleuriticis quid notant.

des, in quibus nihil exſpuitur, merito fecit periculoſiſſimas, & Galen. *in lib. 2. de Criſib. cap. 10.* ait : *Nam quum paſſio exquiſite anguſta fuerit, & veluti alligans in ſeipſum univerſum fluxum cohibuerit, tunc facit morbos letales, qui ἄπτυστοι, ideſt, ſine ſputo nominantur :* & in lib. *de totius morbi tempor. cap. 16.* nihil omnino exſpuere cum ingenti dolore & ſpirandi difficultate, eſſe exitiale, ſtatuit. Non minus malum eſſe, ſputum in iiſdem malis, citra rationem, ſupprimi, Gal. itidem in *lib. de Conſtit. Art. Med.* notavit ; hoc fieri, aut propter humoris lentorem, & craſſitudinem, aut membranæ pulmonem continentis laxitatem, aut denique propter facultatis in ægro debilitatem, *in 2. Prognoſt.* Galen. expreſſit. De his Auctor *Prorrheticorum lib. 1. text. 97. Lateris dolor ex ſputis bilioſis ſi abſque ratione evanuerit, in furorem aguntur.* Galen. *in comment.* ait : *hoc non perpetuo fieri, ſed tantummodo, quum bilioſi humoris ad caput ipſum fuerit tranſitus.* In tabidis & ſuppuratis nihil pejus, quam ſputi ſuppreſſio ; in his phthiſin, aut mortem, atque in illis exitium ſignificat. Galen. *in lib. 7. Aphoriſ. 16.* ait, tamdiu tabidos extenuatos vivere, quamdiu per tuſſim pulmonem expurgare poſſint, atque ubi intus pus remanet, ob reſpirationis obſtructas vias, ſubito ægros ſuffocari ; quod Hipp. *in 7. Aphor. 16.* ita expreſſit : *A puris ſputo phthiſis, quum vero ſputum retinetur, moriuntur.* Exſcreatio itidem, quæ non repurgatur, nec projicit ipſam pulmo, ſed ob nimiam plenitudinem fervet in gutture, multitudinem & lentorem, atque facultatis imbecillitatem præmonſtrat ; ſed de hoc poſtea accuratius ſcribemus. In pleuriticis, peripneumonicis, empyis, atque tabidis, facile ægrotos ac cito exſpuere, optimum eſt, ut docuit Galen. *in lib. de Conſt. Art. Medend.* In pleuriticis, & peripneumonicis, naturam cœpiſſe concoquere, ſputaque prava qualitate carere, nobis oſtenditur ; in ſuppuratis ſperatur pus poſſe ita repurgari, ut ad tabem ægroti non abducantur. De iis ſputis Hippocrat. *in 2. prognoſt. pag. 41. lin. 13.* dixit : *Screatio in omni dolore, qui affligat circa pulmonem & coſtas, cito promteque ſcreetur, neceſſe eſt.* Hoc enim oſtendit quum vitalis facultatis robur, tum animalis in cerebro, & muſculos, qui naturæ inſerviunt, in efflatione, neque ductus obſtructione, aut preſſu impediri, neque materiam, aut ita lentam ex partibus eximi, aut ita craſſam, vel tenuem, ut rurſum attolli non poſſit. Sincera vero ſputa, *mera* quoque vocata, pituitoſis exceptis, fiunt, teſte Galeno *in libro de Humoribus*, quæ nulli aquoſæ humiditati ſunt permiſta, ubi præſertim calor flammeus omnem humiditatem conſumſerit, quo fit, ut intus incendium caloris eſſe denotent, atque morbum difficillimum, quod illa ſputa ſint maligna, vixque rejici queant. Hippocr. *in 2. Prognoſt. pag. 41. lin. 19. & ſeq. flava ſincera* damnavit, ſed omnium maxime *nigra*. Contra miſta aquoſo humido apparent, ubi hoc ipſum haud calore febrili abſumitur, aut plurimum pituitoſi humoris abundaverit. Miſta quoque apparent aliis humoribus, quæ *varia* vocari diximus, atque his multo pejora, quippe quod multiplicem affectum ſignificent. Fœtida itidem, quod graviter olent, inſignem humoris facientis putredinem denotant. Qua ratione

Suppreſſa.

In tabidis & ſuppuratis.

Sputa Pleuritidis mala.

Quænam bona.

ne Galen. *in libro de totius morbi temporibus cap. 6.* ſputum impenſe fœtidum in pleuriticis, & peripneumonicis maxime damnavit, & Hippocrat. *Coac. præſ. text.* 406. 409. ad mortem deducere ait ſuppuratos. Inſipida ſputa cruda pituita facit; concocta dulcia, itemque cruenta, & pituita ſanguini permiſta. Salſa redditur pituita, quum a calore nimium agitata & aſſata, tum, ut Arabibus viſum eſt, aut retorridis vaporibus, aut bilioſis humoribus miſta. Acria ſunt & amara ex flava, rufa, & æruginoſa bile: acida ex humore melancholico. Quæ dolorem levant, optima cenſentur, quod probam notent humorum vacuationem, juxta illud Hippocrat. *lib. 1. Aphor. 25. ſi qualia purgari oportet, purgentur, confert.* Qua ratione Hippocrat. *in Aphoriſm. lib. 2. Aphor. 2.* dixit: *ſomnus delirium ſolvens, bonum. Contra malum.* Idemque in doloribus lateris, ac pulmonum fit, & ubi ſputa dolores non allevant, inutilia habentur, pejoraque, ipſum dolorem augeſcentia. Hæc ſi cum dolore pravam etiam qualitatem habeant, mortem; illa quippe per ſeipſa non prava, tamen dolorem non allevantia, ſuppurationem præmonſtrant. De his Hippocrat. *in 2. Prognoſt. pagin. 41. lin. 35. Quicumque autem dolores ex his ſedibus non deſinunt, neque ſcreationum purgationibus, neque ventris ſubductionibus neque venæ inciſionibus, & medicamentis, & victus rationibus, in ſuppurationem verti, ſciendum eſt.* De illis quippe dolorem non ſedantibus *pag. 41. lin. 33. Omnes autem exſcreationes malæ ſunt, quæ non ſedant dolorem; peſſimæ vero nigræ, ut deſcriptum eſt; quæ vero ſedant dolorem, meliores ſunt.* Eodem quoque modo ſputa, quæ tuſſim ſedant, optima ſunt; quoniam humorem, inflammationem atque tuſſim facientem, commode purgari ſignificant: contra, quæ multam tuſſim concitant; namque aut vitio materiæ, quæ cunctatur in pulmonibus, aut inſtrumentorum, aut facultatis infirmitate, ipſe humor, admodum craſſus, magna difficultate attollitur, & in anguſtiis quibuſdam ſic intercluditur, ut quoſdam ſuffocet; & admodum viſcidus a partibus, quibus adhæreſcit, eximi non poteſt, ac ſæpe ſublatus intra pulmonis fiſtulas, glutinis modo hærens, detinetur; tenuis denique, circa ſpiritum diffluens, ægre exſpuitur. Atque hiſce omnibus multa tuſſis excitatur, quam tollunt, atque compeſcunt, quæ moderate craſſa, non admodum viſcida, neque tenuia. Hippocrat. propterea ſputa tuſſim multa concitantia *in Prognoſticis ibid. lin.* 18. maxime damnavit. Concocta demum ſunt ſputa in pleuriticis ac peripneumonicis, alba, levia, non admodum, ut Gal. *in 2. Progn. tex.* 45. docet, tenuia, vel craſſa, quæque facile exſpuunt, æqualiſque conſiſtentiæ. Hæc fiunt natura vincente morbum. In ſuppuratis vero, *Hipp. Auct. Progn. pag. 42. lin.* 45. quod eſt, album, purum atque fœtoris expers. In *Prognoſticis pag. 41. lin.* 15. quoque ſputum, cui ſit permiſta flava bilis, maxime in pleuriticis commendavit, utpote quod denotat, plurimum materiæ facientis inflammationem recte purgari. Contra tenue, aut nimis craſſum, vel viſcidum, vel tenue, crudum eſt, nondum naturam quicquam concoxiſſe explicans. Maligna vero ſunt, ſincera flava, rufa, viridia, livida, nigra, verſicolora, impenſe fœtida, dolorem augeſcentia atque tuſſim, cum difficillima reſpiratione. Atque hæc

Inſipida unde ſalſa.

Acria & amara dolorem levantia.

Dolorem non allevantia.

Optima.

Mala.

Sputa bona in pleuriticis.

In ſuppuratis.

Maligna quanam.

de

de diverſorum ſputorum cauſis : nunc ad ſputa ſalutaria, quæ ſpeciatim ſalutem denotant, deſcendimus.

CAP. XVII.

De ſputis bonis, ſalutem prædicentibus.

DE bonis ſputis, ſalutem denotantibus, agentes, primo hæc qualia in & abſque febre, tuſſi, reſpiratione difficili, aut dolore vexatis, ſpectari debeant, dicemus : ſecundo in pleuriticis, & peripneumonicis : atque tertio in ſuppuratis. Itaque in affectibus thoracis, abſque inflammatione & febre, optima ſunt ſputa alba, levia, æqualia, modice craſſa, parum viſcida, æqualia, nullo colore pravo infecta, quippe flavo, aut pallido, aut rufo, aut viridi, aut livido, aut nigro. Quemadmodum colore tincta, & præſertim flavo, Galen. *in lib. 4. de loc. affect. cap.* 8. maxime damnavit, de quibus in ſequenti capite nos accuratius. Bona itidem ſunt, quæ facile excernuntur, abſque multa tuſſi, & quæ & ipſam, & difficilem reſpirationem ſedant. In pleuriticis vero, & peripneumonicis ſputa ſalutaria exiſtunt, quæ recte valentium non diſſimilia apparent, teſte Galeno *in primo libro de Criſibus cap.* 7. neque enim fieri poteſt, ut pectoris pulmonumque partibus maxime læſis, ſputa recte valentium ſimilia excernantur, ſed quinimmo ipſa diſſimilia fieri, eſt neceſſarium. At quæ ſimilia ſunt recte valentium ſputis, nonniſi in ſtatu morbi exſcreantur, quo tempore morbus perfecte eſt concoctus. Hinc *Galen. in* 1. *Aphor.* 12. dixit, ſputa concocta eſſe alba, levia, æqualia, non admodum vel tenuia, vel craſſa, quæque promte facileque excernuntur. Et idem *in lib. 6. Epidem. text.* 44. dixit, in pleuriticis, & in Peripneumonicis, in principio ægrotos, ſi ſalutari morbo laborent, aliquid exſpuere, atque hoc coctionis principium propterea indicare, quod ſi tenue exſpuant, mediocrem concoctionem, & craſſum, perfectam ; & *in* 1. *Aphoriſm.* ait : in iis affectibus ægrotos nihil exſpuere, morbum ſignificare crudiſſimum ; coctionis principium, aliquid exſpuere, tenue tamen ; quod ubi craſſius evaſerit, majorem coctionem ; & ubi craſſum, ut dictum eſt, album, leve, æquale, facile exſcreatur, perfectam coctionem præmonſtrare, Quare optimum erit ſputum album, uti dictum eſt, leve, æquale, facile eductu. Cujuſmodi in *Anaxione* Hippocrat. *lib.* 3. *Epid. Ægrot.* 8. *pag.* 1104. vidit die vigeſima ſeptima. Quod forte non videtur omnino verum, ſi Hippocrat. *in* 7. *libro Prognoſt. pag.* 41. *lin.* 15. verum ſcripſit, dicens : *Permiſta appareat flava bilis admodum ſcreationi oportet* : & paullo poſt: *ibid. lin.* 29. *Screatio flava non multo permiſta ſanguine, in pulmonis morbo, ſi in initio excernatur, ſalutaris admodum eſt.* Qua etiam ratione auctor *Coacor. præſagior. text.* 386. ſcripſit, *in doloribus pleuriticorum utile eſſe, ſputum colorari*, & *text.* 390. *in omni pleuritide & peripneumonia optimum eſſe, ſputum facile citoque excerni, miſtum flavo ſputo* : ex quo non modo ſputa alba, bona erunt, ſed flava, cruenta, pallidaque exſcreationi permiſta. Hoc quidem veriſſimum eſt, attamen non in ſtatu, ſed in princi-

Sputa quænam bona.

In Pleuriticis & Peripneumonicis.

pio

pio vel in augmento ; quod nulla alia ratione fit, quam quod hæc ſputa inflammationem ex bile flava, ac ſanguine fieri præmonſtrent, quæ ceteris aliis, ex aliis humoribus concitatis, minus periculoſa, ut Galen. oſtendit, exſiſtit, atque etiam, quoniam humoris, inflammationem facientis, aliquid evacuari denotent. Hæc itaque ſputa in principio, & in augmento morbi educta, haud erunt inutilia. Quæ ſi tardius, ut ait Hippocrat. *Coac. præſag. text.* 385. & 390. talia excernantur, minus tuta exſiſtunt ; quia & morbum tardius coquendum denotant, & longitudinem morbi, numquam periculo vacantem, præſagiunt. Non ſunt tamen letalia, ſed longum modo morbum præmonſtrantia, non inutilia, uti dictum eſt, quod aliquid humoris, facientis inflammationem, purgari ſignificent, atque etiam inflammationem non eſſe malignam, ſed faciliorem, ac ſecuriorem, quam quæ ex aliis fiunt humoribus. Quo fit, ut neque viridia, neque nigra, neque verſicolora, bona ſint : ſiquidem a pravioribus ſuccis inflammationem eſſe concitatam notent, ac proinde flavis & cruentis viridia, & nigra ſputa ſint praviora. Bona itidem ſunt ſputa, ſi, præter nuper dictas notas, hoc etiam habuerint, ut facile promteque educantur. Quod Hippocr. *in 2. Prognoſticorum pag.* 41. *lin.* 13. ita meminit : *Screatio in omnibus doloribus, qui ſunt circa pulmonem & coſtas, cito promteque ſcreetur, neceſſe eſt* ; cito vero exſpuitur, ſi intra tertium diem aut quartum appareat, quod ſi bonum ſit, morbum quum brevem tum ſalutarem oſtendit, teſte Galen. *libro Aphoriſmorum* : tum *in* 1. *lib. de Criſibus comment.* 3. *text.* 18. tum *in* 6. *Epidemiorum comm.* 3. *text.* 79. Multum vero & concoctum in die decretorio, optimum eſt, atque unum ex judicatoriis judicantibus dicitur, quod ſi dolorem tollat, tuſſim, atque febrem, alio opus non habebit ſigno, ut optimum ac criticum ſputum judicetur. De *Anaxione Epidemiorum, lib.* 3. *ægr.* 8. *pag.* 1104. *text.* 95. ait: *Decimo ſeptimo cœpit pauca concocta excernere, levatus eſt. Vigeſimo ſeptimo rediit febris, tuſſiit, multa excrevit concocta, in urina multa ſubſidebant alba, deſiit ſitire, dormivit.* Addamus optima itidem eſſe, una cum alia bona vacatione conſpecta. In ſuppuratis eodem modo ex Hippocr. *in libro ſecundo Prognoſticorum, pag.* 42. *lin.* 49. *ſputum optimum eſt, album, leve, concolor, vacans pituita, abſque labore & valida tuſſi eductum.* Sed addimus copioſum, quod febrem, ſitim, tuſſim, atque malam reſpirationem tollat : ſed de his paullo poſt accuratius agemus. Nunc tranſeamus ad ſputa exitialia.

In ſuppuratis.

CAP. XVIII.

De malis ſputis, exitium prædicentibus.

Sputa pituitoſa mala.

NUNC ſputa mala, exitium præſagientia in iis, qui nullo morbo laborant, recenſeamus, a pituitoſis exordientes. Quorum quæ diu ex capite in pulmonem deſtillant, ſubſtantia admodum tenui, vel craſſa. viſcida, copioſa, figura rotunda, ſapore ſalſo aut acri, maxime ſuſpecta

eſſe

eſse ſolent. Admodum tenuia tuſſim moleſtiſſimam concitant, & craſsa obſtruendo vias reſpirationis, ſuffocationis periculum inducunt, idem & viſcida, diu pulmonis brachiis adhærendo. Quæ, ſi ſalſa aut acria ſint, arterias exedendo ad cruentum ſputum viam parant, & ab eo ad pus, atque tandem ad phthiſin. Rotunda ſputa, quæ a tenaci craſsaque pituita, & a multo calore fieri oſtendimus, perpetuo homines ad phthiſin maxime ſuſpectos reddunt. Galen. *in 6. Epidemior.* ſcribit, hæc in febre etiam vacantibus vidiſse, qui etſi per valde longum temporis iutervallum quicquam mali pati non videbantur, tamen iſtos omnes phthiſicos contabuiſſe; & *in quarto libro de locis affectis cap.* 8. quædam ſputa grandinis granis ſimilia ſe vidiſse ſcripſit, qui, quin phthiſicus fieret, effugere non potuit. Bilioſa quoque ſputa maxime in ſuſpectis ad phthiſin a Galeno damnantur. Hæc vero colore aut flavo, aut pallido, aut rufo, & ſapore, aut acri, aut amaro, nobis innoteſcunt. Coloribus iis hæc manifeſte deprehendimus, quod hi colores, præſertimque flavus, & pallidus bilem amaram, teſte Galeno *in lib. 2. de locis affectis cap.* 10. denotent. Saporibus non ita certe: ſiquidem ob permiſtam pituitam ſapores iis hebeſcant, & obſcurentur. Unde Medici, alioquin eruditiſſimi, aliquando decipiuntur, quod bilioſum humorem intus in pulmone deliteſcentem non agnoſcant, quod ſputa, etſi flava, vel pallida, vel rufa appareant, minime acria vel amara obſervent. In quibus tamen exeſis pulmonibus cruenta ſputa, vel purulenta, poſtea redduntur, atque inde tabes. De his Galen. *in lib. 4. de locis affect.* ita habet: *Quidam humorem repente exſpuit liquidæ bili in colore terquam ſimilem, medium videlicet inter flavum ac pallidum, at nulla acredine infectum, atque ita quotidie majorem ejus quantitatem exſpuit, deinde levi ſuborta febricula tabeſcere incepit adeo, ut purulenta ſcrearet, poſtea tractu temporis, quatuor videlicet menſium, exiguum cum pure cruorem rejecit, atque ſic aucta febre magis conſumebatur, ac iterum atque iterum pus exſpuebat, adeo, ut magnam ſputi quantitatem redderet, quocirca magis increſcente febre, ac reſolutis viribus, eorum, qui tabe marceſcunt, exemplo, mortem obiit. Deinde alium vidi eodem fere modo ſex menſibus, ac alium quoque diutius laborantem; igitur, qui primus nobis occurrit, initio quidem nihil mali habere, ſed tandem peſſime affici viſus eſt, alterum vero quum conſpiceremus, ei ſtatim ab initio cognito malo, præſenti medicamento ſuccurrere tentavimus, ac multo magis etiam tertio. At quamvis multo negotio utrumque liberare conaremur, nihilominus neque horum ullus, neque alius poſt eos, ſervari potuit. Quum enim morti jam proximi eſſent, pulmonis ipſius putres quaſdam partes exſpuebant.* Ceterum mirum eſt, quamobrem, quum hæc ipſa ſputa nullam acredinem habeant, vel amarorem, poſſint pulmones inficere. Sed adhuc magis mirum videtur, cur fit, quod apparentibus ſputis pituitoſis, omni ſapore acri, amaro & ſalſo omnino vacantibus, pulmones inficiantur. Hoc vero fit, aut quod omnis bilioſus humor acris intus deliteſcat in pulmones, ipſorumque branchiis adhæreſcens, ipſos exedat, aut quod ipſa pituita putreſcendo acrimoniam acquirat, qua exedit, ac putrefacit pulmones. Qua ratione

Bilioſa.

Pulmones inficientia, & unde.

for-

fortaſse & aer phthiſico contagio infectus, quippe ſumme acris redditus, pulmones eorum, qui in eo habitant, inficit. Cur vero fit, quod ſputis flavis aut pallidis apparentibus, acri, amaro ac ſalſo ſapore vacantibus, homines ad tabem ducantur? Hoc vero fit, quod pituitoſi humoris miſtione in ipſis ſapor facilius, quam color occultetur, & acerrimus ſummeque putridus humor, in pulmones deſtillatus, eos exedat; vel dicetur, iiſdem ſputis flavis aut pallidis conſpectis, vobis ſignificari intus in pulmones collectum eſſe multum humorem bilioſum, quo pulmones putrefiunt, exe-

Nigra & melancholica.

duntur, atque homines ad tabem provehuntur. Nigra quoque ac melancholica ſputa, peſſima eſſe, vel ex eo cognoſcitur, quod Galen. *in lib. de Conſtitut. Art. Med. cap.* 16. ſcripſerit, pernicioſiſſimum eſſe melancholicum humorem præpollentem; tum quod & præditus ipſe ſit moribus peſſimis, & maxime erodat, concoquaturque ægre, nec facile expurgetur; tum quod plurimæ ſit caliditatis index, a qua aſſatus & genitus eſt. Ab iis ſputis non raro cruenta ſuccedunt, plus in recte valentibus, quam in pleuriticis timenda. Quod Hippocrat. intelligens *in* 4. *Aphor.* 25. dixit: *Sanguis quidem ſupra qualiſcumque, malum*. In iis ſanguis tuſſi rejectus perpetuo timendus, etſi non perpetuo ipſum exitium ſequatur; quum præſertim ex capite deſtillat, in fauceſque irruens, tuſſi excernatur: quomodo ego poſt quartanam febrem ſanguinem copioſiſſimum tuſſi rejeci, quæ excretio fuit criſis, me ab ea febre liberans. Ceterum, ubicumque non ex capite deſtillans, ſed e pectore & pulmonibus promanat, phthoes periculum inducit, etſi Galen. *in lib.* 5. *Meth. Med.* ſcripſerit: *Matronam Romanam, & Juvenem a ſputo ſanguinis, atque alios omnes, qui primo ſe die ei curandos permiſerunt, ſanitati reſtituiſſe, &c. verum quotquot poſt aliquot dies tandem, vel dum phlegmone eos ſic occupavit, ut urinam febricitantis inſtar jam haberent, horum nullum in totum fuiſſe perſanatum*. Quare merito dixit Hippocr. *in* 7. *Aphor.* 15. *A ſanguinis ſputo puris ſputum, malum*; & Galen. *Aphor.* 7. ait, non omne ſanguinis ſputum eſſe malignum, ſed illud, quod pus ſubſecutum eſt. Hoc enim phthoes accerſitur. Quod merito Hippocr. expreſſit *lib.* 7. *Aphor.* 16. dicens: *A puris ſputo phthiſis*. Quare cruenta ſputa e pectore ac pulmonibus educta, a quibus pus ſubſequatur, exitialia eſſe, nobis liquido conſtabit. Addimus, perpetuo inutilia eſſe, ac malum portendere, qualiacumque copioſius excreta quicquam ægrotos non juvant, nec dolorem, nec tuſſim, nec reſpirationem difficilem allevantia: atque hæc in iis ſputa exitialia erunt. In pleuriticis autem & peripneumonicis, admodum tenuia poſt principium, aut admodum craſſa, aut viſcida, aut ſpumoſa, aut rotunda, multa, non juvantia, pauca, & nihil exſpuere, & ſputa evaneſcere ac ſupprimi, & frequentia, alba, flava, pallida, rufa, viridia, æruginoſa, porracea, fulva, livida, nigra, varia, fœtida, ſincera, ægerrime educta, cum ſtertore quippe in gutture ferventia, tuſſim, dolorem, malam reſpirationem non ſedantia; atque omnium exitialiſſima, prava, quæ tuſſim, dolorem & malam reſpirationem, & febrem concitant, atque augent. Admodum tenuia, craſſa & viſcida, quod ſatis crudum

Quæ non juvant.

Quænam in pleuriticis & peripneumonicis mala.

mor-

morbum notent, ſi principio fiant, haud inutilia cenſentur, quod tractu temporis concoqui poſſint; ſed poſtea, quippe poſt multos dies, apparentia, & ſi nihil coquant, peſſima exſiſtunt; admodum vero ſpumantia eodem modo damnantur, potiſſimumque ſincera, bilioſa, rufa, viridia, livida atque nigra. Hæc enim fieri a calore immodico, aut urente, aut colliquante, alias oſtendimus. Albicantia vero non ita periculoſa ſunt, & a flatu pituita agitata ſpumeſcentia. Qua ratione e pulmonibus educta pituita ex plurimo aere ſpumeſcit. Plerumque in peripneumonicis ſanguis ſpumoſus exſpuitur. Auctor *Coacor. præſagiorum text.* 415. ait: *ſpumoſum ſanguinem in dolore dextri hypochondrii ab hepate manantem exſpui, letalem eſſe.* Rotunda itidem ſputa maxime damnantur, quod intus magnum calorem, quo humor ſiccatur, adeſſe denotent; quo fortaſſe caput replente, delirium plane ſignificaſſe, Hippocrat. *in 6. Epidem. ſect. 3. text. 27. & ſect. 6. text. 21.* voluit. Hæc in lateris morbo Auctor *Coac. præſag. text.* 319. perniciem ſignificare voluit. Hippocrat. rectius *in Prognoſtic. pag.* 41. *lin.* 20. dixit: *Sputa rotunda, candida, in pleuriticis eſſe inutilia.* Multa quoque ſputa mala multum periculi minantur, ſi præſertim in die judicatorio appareant, nihilque ægros juvent. Sunt enim ex judicatoriis non judicantibus. Pauca itidem non minus damnantur, quod non ſufficiant ad purgandum humorem, facientem phlegmonem, omniumque maxime, quæ & cruda ſunt, & magno labore excernuntur. De his Hippocrat. in 1. *Epidem. ſect.* 1. *pag.* 940. *ſub lit. G. Tuſſiebant, ac pauca cocta coacta paullatim vix exſcreabant. Quos vero violentiſſime urgebant, his minime concocta erant, ſed perpetuo cruda ſpuebant.* In pleuriticis nihil minus mali portendit nihil exſpuere; diximus enim crudiſſimum morbum ſignificare: nam, ut ſcribit Galen. *in ſecuudo de Criſibus cap.* 10. quum paſſio exquiſite anguſta fuerit, ac veluti alligans in ſeipſa univerſum fluxum cohibuerit, tunc facit morbos letales, qui ἄπεπτοι, ideſt, ſine ſputo nominantur; & *in lib. de Conſtit. Artis Medend.* ait, nihil omnino exſpuere pernicioſiſſimum eſſe, partim quod ſignificet, fluxionem in phlegmone quaſi devinctam retineri, partim vero, quia ea univerſa, interius contenta, corrumpatur. Huncque morbum concoctu difficilem, & diuturnam fore eam inflammationem, præmonſtrare, Galen. *in* 1. *in Aphoriſ.* 10. oſtendit. Qua ratione Auctor *Coacorum præſagiorum text.* 381. dixit, ſiccas pleuriticides, in quibus nih il exſpuitur, eſſe periculoſiſſimas. In iiſdem vero bilioſum ſputum, quod inceperat, evaneſcere abſque ratione, delirium portendere, Auctor *Prorrheticorum lib.* 1. *text.* 97. expreſſit; & ſupprimi, proximum exitium denotare, Galen. *in lib. de conſtitut. art. med. cap.* 16. memoriæ mandavit. At phthiſicos, ait Hippocrat. *lib.* 7. *Aphor.* 16. eo uſque vivere, quoad exſpuant, atque ubi ſputum retinetur, mori. Frequens ſputum, at non tuſſi excretum, cum alio ſigno phrenitico, phrenitim notare *in* 1. *Prorrhet. text.* 6. notatum eſt; & paullo poſt *text.* 12. hic Auctor in phreniticis frequentem ſcreatum maxime damnavit; & merito ſane, quod, ut Galen. expreſſit, cerebri male affecti, ideſt repleti, ſit indicium: & poſtea *text.* 31. hunc ipſum frequentem

Admodū tenuia, craſſa, & viſcida.

Albicantia.

Multa.

Pauca.

Bilioſa.

Frequentia.

tem ſcreatum cum refrigeratione, nigram vomitionem (quod eſt ſignum pernicioſiſſimum) prænuntiare. Alba quoque, pituitoſa, inutilia in morbis bilioſis ſunt, quod Hippocrat. *in* 2. *Prognoſt. pag.* 41. *lin.* 20. ita expreſſit : *Candida vero, glutinoſa ac rotunda, inutilia* : & merito ſane, quum nihil humoris inflammationem facientis purgari, ſit indicium. Quod ſane in bilioſis inflammationibus ſatis eſt pernicioſum. Ab hinc plures annos *Baſſani* & *Maroſticæ*, pleuritides peſtilentes, quæ quatuor & ad plus 7. diebus homines jugulabant, graſſatæ ſunt, in quibus, quæ per ſputum excernebantur, erant pituitoſa, alba. Quibus ſane ſputis quidam Medicus, parum tamen in Galeni doctrina verſatus; perpetuo bene de iis ſperabat. Qui facile decipiebatur, ignarus hæc ſputa alba pituitoſa indicio nobis fuiſſe; nihil humoris facientis inflammationem purgari, propterea & morbum crudiſſimum, & ſumme pernicioſum præmonſtrari. Quod Hippocrat. *in uxore Euxenii lib.* 7. *Epidem. pag.* 1224. *text.* 58. pleuritica, quæ eo morbo obiit, obſervavit; ea enim per ſputum pauca, candida, tenuiaque exſpuit. Flava & pallida, nec non & cruenta, non admodum ſputo permiſta, poſt principium ſi excerni incipiant, morbum concoctu difficilem, longum, atque hac de cauſa periculo minime vacantem, ſignificant. Contra, quæ in principio apparent : morbum enim, ſolutu facilem, præmonſtrare ſuperius oſtendimus. De his Hippocrat. *in* 2. *Prognoſtic. pag.* 41. *lin.* 16. ita habet : *Si enim multo poſt ab initio doloris ſcreatio flava, aut rufa, deterior*. Quam paullo poſt *ibid. lin.* 32. expreſſit, *Septimo die tardiuſve apparentem, minus tutum morbum præmonſtrare*. Idem præſagiunt, pallida, rufa, viridia, fulva, livida atque nigra. Viridia, æruginoſa, magnum caloris incendium, copiamque æruginoſæ bilis, præmonſtrant. Hippocrat. *in Prognoſtic. ibid. lin.* 21. exſcreationem vehementer viridem maxime damnavit; & Galen. *in lib. de tot. morbi temporibus*, ſputum vehementer fulvum, ſumme pernicioſum facit. Periculoſius eſt lividum, quod aut a modica atra bile, aut a caloris exſtinctione fiat. Quod merito Auctor *Coacorum præſagiorum text.* 390. initio morbi conſpectum maxime damnandum credidit. Nigrum omnium eſt pernicioſiſſimum, cujus cauſſam diximus eſſe ex Galen. 1. *de Criſibus*, aut vehementem peraſſationem, aut refrigerationem, quippe exſtincto calore nativo. Merito itaque dixit Galen. magnum morbum ſignificare; & *in* 1. *de Criſibus* mortem ſignificare; & Auctor *Coac. præſagiorum text.* 390. & 407. dixit, *eos, qui nigra rejiciunt, pernicioſe ſe habere*. Hippocrat. *in libr. de morbis, lib.* 3. *lin.* 35. & *ſeq. pag.* 492. ait, eos, qui cum ſaliva grumos nigros ſanguinis tuſſi rejiciunt, ſeptimo die mori. Non minus mala eſſe videntur colore varia, quod multiplices affectus ſubeſſe denotent. Quare Hippocrat. hæc ſputa ſimul cum dolore acuto exitialia eſſe voluit. Sincera vero perpetuo damnantur; nam bona, ait, ſputa permiſta eſſe; contra mala, omnium maxime meraca, quod fiant omni humido ſeroſo a calore conſumto : flava itaque, ſincera, rufa, æruginoſa, fulvida, livida, atque omnium maxime nigra, meraca, prava exſiſtunt; ut Hippocrat. *in* 2. *Prognoſtic. pag.* 41. *lin.* 15. & *ſeq.* nobis tradidit. Hæc enim deſperatæ ſalutis morbum præmonſtrant. Fœtida etiam perpetuo in

Alba pituitoſa.

Flava & pallida.

Pallida, rufa, viridia, fulva, livida atque nigra.

Nigra.

Colore varia.

Sincera.

Fœtida.

acu-

acutis morbis damnantur ; quod præexcellentis putredinis nobis sint argumentum. Graveolentiam in sputis distinctim tabidos a non tabidis notare, Hippocr. *in Aphorism. lib.* 5. *Aphor.* 11. meminit, atque in ipsis istud esse letale. Mala quoque diximus esse, quæ difficillime exscreantur. Quod Hippocr. *in* 2. *Epid. sect.* 1. *pag.* 940. *sub lit. G.* in multis vidit, de quibus dixit : *Tussiebant, & pauca cocta paullatim vix excreabant*. Quæ itidem fervent in gutture, cerchnonque & stertorem inducunt, non minus prava exsistunt. De his Hippocr. *in* 2. *Prognost. pag.* 41. *lin.* 24. *Mala etiam exscreatio, quæ non expurgatur, nec projicit ipsam pulmo, sed ob nimiam plenitudinem fervet in gutture*. Non minus mala sunt, quæ nedum tussim tollunt, sed quinimmo ipsam concitant, & augent, ut docet Hippoc. *in* 2. *Prognost. ibid. lin.* 18. Qui non minus ibidem *lin.* 33. damnavit sputa, quæ dolorem non sedant. Non tamen hæc sufficient nobis ad prædictionem, nisi alia, ut docet Galen. accuratius spectemus. Eodem itidem modo mala sunt, quæ neque malam respirationem, neque tussim, neque febrem, etsi multa sint, tollunt ; quæque vero in aliquo decretoriorum dierum erumpunt, ac ab ipsis ægroti in deterius abeunt, cum signo aliquo pravo, letalia profecto exsistunt. Atque hæc sunt sputa in pleuriticis ac peripneumonicis damnanda. Nunc eadem in suppuratis considerabimus.

Qua difficulter exscreantur.

Qua non juvant.

CAP. XIX.

De prædictione in suppuratis.

QUICUMQUE pus obtinent, ait Galen. *in* 2. *Prognost. in text.* 60. intus in corpore universo, sive contentum habeant in parte inflammatione affecta, sive etiam post eruptionem, nominare tales *empyos*, id est, purulentos seu suppuratos, licebit. Sed Medici assolent potissimum illos, qui in thorace ac pulmone talem habent affectionem, *empyos*, id est, purulentos nominare. Id vero pus post eruptionem inter thoracem pulmonemque continetur, & nisi cito exscreetur, tabidi intereunt, febricitantes tenuiter quidem, at calore jugiter quodammodo in nocte crescente. Veteres in qualibet parte corporis puris collectionem *empyema* dicebant, suppurantiaque ob id medicamenta, alii *empyemata*, alii *diapyemata* : alii, quum in viscere pus collectum est : atque demum alii, ut dictum est, eos solos *empyos* esse volunt, quibus inter thoracem & pulmonem pus aggregatum est, nimirum in loco phlegmone obsesso, & ab eo pure, intra thoracem effuso, hujusmodi affectus nascitur. Fit vero hujusmodi pus, ubi materia phlegmonis non repurgatur ; intus enim contenta a calore in pus vertitur. Quod Hippoc. *in* 7. *lib. Aphor.* 38. ita expressit : *Destillationes in ventrem superiorem ad suppurationem veniunt intra dies* 20. & clarius *in lib.* 5. *Aphor.* 8. de pleuriticis : *Quicumque morbo laterali laborantes in* 14. *dieb. non repurgantur, ii ad suppurationem vertuntur*. Ubi enim pleuriticorum dolores neque purgatione per supra,

Empyi quinam vocantur.

Empyema quid.

Unde.

neque alvi dejectione, neque ſanguinis vacuatione, neque victus ratione, neque aliis medicamentis ſiniuntur, ſuppurationem excitant, aut mortem ſuffocatione. Quod probe Galen. *in Prognoſt.* ita expreſſit: *Quicumque dolores circa thoracis ad pulmonis ſedes non deſinunt, adhibitis ſubſidiis, idque malum tantummodo habent, nec uſum aliud exitioſum indicium adeſt, eos ſuppuraturos exſpectabis.* Suppuratis itaque inflammationibus, ipſarumque humoribus in pus converſis, niſi per ſputa repurgentur, rupta vomica pus in cavitatem thoracis & pulmonis effunditur, atque tunc vere ii *empyi* exſiſtunt. Quo pure aut ſuffocantur, aut liberantur, ſi probe ſpatio dierum quadraginta per tuſſim purgentur, quod hiſce verbis Hippocr. *in* 5. *Aphoriſm.* 15. docuit: *Quicumque ex morbo laterali fiunt empyi, ideſt, ſuppurati, ſi quadraginta diebus purgantur, a die qua fit ruptio, liberantur*: & Galen. *in comment.* ait: *niſi iis diebus per ſputa pus totum expurgetur, putreſcit, pulmoneſque putrefactum exedit, atque ad tabem conducit*, quæ eſt totius corporis extenuatio propter inſanabilia illa pulmonis ulcera, & macies cum debili febre conjuncta, quem affectum peculiariter Græci, maximeque Athenienſes, ut Galen. meminit, *phthoen* appellabant, atque Hippocr. *phthiſin*. His ad extrema redactis & deploratis accidit capillorum defluvium propter ſiccitatem, & alvi profluvium propter virtutis imbecillitatem, teſte Galeno, atque ſputa retinentur. Tamdiu enim extenuati vivunt, quamdiu extuſſire & per ſputa pulmonem expurgare poſſunt; ubi vero intus ipſa remanent, reſpirationis obſtruuntur viæ, atque ægri ſoffocantur. Sed ad ſuppuratos ſeu *empyos* redeamus, quorum prognoſis ut illuſtretur, primo an pleuritici, vel peripneumonici, vel anginoſi ad ſuppurationem inclinent, videndum erit; & poſtea quibus ſignis nobis innoteſcant; tertio, quando ruptio fiat; atque demum de iis, qui ſervantur, & quibus ſignis nos id deprehendimus, atque de iis, qui moriuntur, agemus. Quibus vero futuros purulentos ſperamus, Hippocr. in hunc modum docuit: *Prognoſt. pag.* 41. *lin.* 35. *& ſeq. Quicumque dolor in his affligit ſedibus, non deſinens neque ſcreationis purgatione, neque ventris ſubductione; neque venæ inciſione ac medicamento, & victus ratione, in ſuppurationem verti, ſciendum eſt.* Sed quia circa puris generationem, ut Hippocr. *in* 2. *Aphoriſm.* 47. docuit, dolores ac febres contingunt magis, quam ubi jam eſt genitum, neceſſe eſt, in ſuppurandis dolores ac febres augeri. Proinde de his ita habet, *ibid. pag.* 42. *lin.* 12. *& ſeq. Conſiderare autem oportet ſuppurationis initium fore, colligentes a die, quo primum homo febricitavit, aut quo rigor eum prehendit, & ſi dixerit pro dolore ſibi ineſſe pondus in loco, quo dolore afficiebatur. Hæc enim fiunt inter initia ſuppurationum. Ex hoc igit r tempore ſuppurationum fore eruptionem ad prædicta tempora oportet.* Galen. vero in commento dixit, indicia ſuppurationis eſſe pro dolore gravitatem ſeu pondus, rigorem ſeu horrorem, atque febrem, quæ multo quam ante vehementius affligat. Addit ultra gravitatis ſenſum, calorem in lateribus, aut in altero tantum, ubi ſuppuratio tantum in altero latere fuerit. Quod ita docet Hippoc. *ibid. lin.* 19. *& ſeq. Si vero ſuppuratio in altero latere tantum-*

Empyicorum prognoſis.

Purulenti unde futuri dignoſcuntur.

Empyematis in dicia.

tummodo fuerit, vertere ac ediſcere convenit in his, utrum in altero habeat latere dolorem, & utrum calidius, quam alterum ſit, atque eo in incolume latus cubante inquirere oportet, num aliquod deſuper onus illi pendere videatur, ſi enim id fuerit, ſuppuratio in altero latere eſt, utrovis onus exſiſtat. Quare his ſignis ſuppuratos deprehendemus, quippe rigore vel horrore, qui fit, teſte Galeno, a puris acrimonia, partes inflammatione affectas infeſtante, febre, anteriori quæ vehementius affligat, atque pondere in lateribus, aut in altero tantum, ubi in uno tantum pus collectum eſt; addo calorem perceptum in utroque latere, aut in altero, ubi in uno tantum, ut dictum eſt, pus collectum eſt. Quod ſane pus ſi auctum multitudine, atque a natura concoctum erumpens, per tuſſim purgetur, ita *Empyi*, ideſt, ſuppurati ſervantur. Quod ſi nullo pacto rejiciatur, quod debilibus accidit, ſuffocati, aut tabidi moriuntur. Hinc Hippocr. *in 2. Prognoſt. pag. 43. lin. 30.* ait: *Seniores potius interire quam juvenes*: quoniam, ut ait Galen. *imbecilles vires habent, & uti hi liberentur, magna vis requiritur, quæ per tuſſim ac ſputa expurgat; quum hi, qui ſervari debent, plurimum puris tuſſi purgare debeant.* Galen. *in 5. lib. de loc. affect. cap. 3.* quoſdam empyos meminit ſanatos, qui puris quantitatem quindecim uſque heminarum exſpuerunt. Quare, qui plurimum exſpuunt, liberantur: & hoc eſt, quod ait Hippoc. *in 5. lib. Aphor. 15. Quicumque ex morbo laterali fiunt empyi, ideſt, ſuppurati, ſi quadraginta diebus purgantur, a die, qua fit ruptio, liberantur.* Ubi vero non exſpuunt, aut ſuffocantur, quod accidit propter puris lentorem, & craſſitudinem, & membranæ pulmonem continentis denſitatem, atque ob facultatis debilitatem, quæ dignoſcuntur reſpiratione, in qua totus thorax attollitur, nullaque purgatione per ſputa apparente. Galen. *in lib. 4. de loc. affect. cap. 7.* ait: *Quibus ex ſuppuratis, ob puris copiam inter thoracem & pulmonem collectam, totus thorax in reſpiratione attollitur, fieri ob virium imbecillitatem, nequeuntibus ſuppuratis pus purgare.* Ubi vero non ſuffocantur, tabidi intereunt, ut ait Gal. febricitantes tenuiter quidem, ac calore jugiter quodammodo in nocte creſcente, quo non purgatum pus intus putreſcat, pulmones exedat, & ulceret. Quæ ulcera ſequi totius corporis extenuationem, & maciem, cum debili febre conjunctam, nuper ex Galen. oſtendimus, quem affectum Hippocr. phthiſin, & Græci olim. Athenienſes *phthoen* appellarunt. Quibus vero notis iſti empyi, tabidi facti, dignoſcantur, Hippocr. *Prognoſtic. pag. 42. lin. 25. & ſeq.* hiſce verbis expreſſit: *Omnes autem purulentos agnoſci his indiciis convenit: Principio ſi febris non dimittit, ſed interdiu tenuior, noctu vehementior eſt; Si ſudores multi ſuperveniunt, ac tuſſiendi cupiditas eſt, nec quicquam tamen dignum commendatione exſpuunt, ſi oculi cavi redduntur, maxillæ vero ruborem trahunt, & ungues manuum curvantur, digiti vero potiſſimum ſummi caleſcunt, atque in pedibus tumores fiunt, neque cibum appetunt, ac puſtulæ circa corpus erumpunt.* Galen. *in comment.* ait, febres non dimittere, quod partes ipſæ corporis ſolidiores incaleſcunt: ex quo calor manet aſſiduæ febri ſubſimilis, perinde ut calx, debilis contingentibus; qui calor, quod hecticorum ſignum

Empyi quomodo tabidi facti dignoſcuntur.

proprium creditur, quoties ægri ſitant ac bibunt, perinde ac in calce aqua perfuſa ſit, calidior evadit. Quo fit, ut tangentes exterius ægrum multo calidiorem perſentiant. Sudores item continuo elici propter virium debilitatem, & quod diductum alimentum dejiciatur. Quin etiam tuſſiendi cupiditas, id-eſt, voluntas prehendit, nec quicquam dignum commendatione exſpuunt, ob puris lentorem, & craſſitudinem, & continentis pulmonem membranæ denſitatem, tum etiam debilitatem in ægro facultatis. Oculi cavi propter exſiccationem redduntur, quod omnibus longis febribus eſt commune, rubent propter calorem in pulmone, & item tuſſedinem, quæ vultum calefaciunt. Ungues curvantur, quia caro eos firmans conſumitur, & digitorum interiores ſummæ partes, quippe carnulentiores, calidiores apparent, quod calor hecticus ſolidiores occupet partes, & in iis plus apparet, ubi humor largior ineſt. Pedes intumeſcunt, inde caloris incipiente exſtinctione, quippe quod partes eæ ab origine longiſſime abſunt. Cibum non appetunt, appetendi facultate exſtincta, puſtulæque erumpunt in cute, derodente ſanie ex intimis ſedibus ad cutim effuſa. Atque hiſce ſignis *empyi* tabidi dignoſcuntur, quorum caſus ſunt exitiales, qui, quoad exſpuere, puſque contentum excernere poſſunt, Hippocrat. Auctore, *lib. 7. Aph. 16.* vivunt. Unum eſt, ad ſputa ipſorum attinens, ſcitu dignum, quod in ipſis quippe tabidis deſperatis, nihil concoctum obſervari, Gal. *in 3. Epid.* affirmavit; ſputum ceſſat, ac ſupprimitur; alvus humida; pedes intumeſcunt, & reliqua fiunt, quæ deſperatam ipſis ſalutem præmonſtrant. Primò itaque humor, faciens pleuritim aut pulmoniam, non purgatus, putreſcit, & in pus vertitur, mox erumpit, & tuſſi purgatur. Quod ſane determinato temporis intervallo multum collectum, & inter thoracem & pulmonem effuſum, foras erumpit, plerumque viginti diebus, & aliquando citius, & aliquando tardius. Quam rem & ſigna, quibus id agnoſcimus, Hipp. *in 2. Progn. pag. 42. lin. 38. & ſeq.* ita expreſſit: *Quæ vero citius ac tardius rumpuntur, talibus cognoſcantur ſignis oportet, ſi dolor inter initia exſtitit, & item difficultas ſpirandi, nec non tuſſis, atque etiam ſcreatio perſeveret, vigeſimo die exſpectari, aut etiam ante, eruptionem oportet; ſi vero continentior fuerit dolor, & alia omnia in his fuerint ex ratione, poſtea exſpectari oportet eruptionem, ſed præire neceſſe eſt et dolorem et ſpirandi difficultatem, et ſcreationem, antequam pus excernatur.* Quibus Gal. colligit ſigna futuræ vomicæ eruptionis eſſe hæc; quippe dolorem, ſpirandi difficultatem, tuſſedinem, & ſcreationem, quæ ſi continenter & vehementer affligant, celerem eruptionem exſpectari oportebit, & ſi nec continentes, nec vehementes infeſtent, tardiorem. Ceterum neceſſe eſt, eroſo obvolvente pus corpore, ab acrimonia ejus, dolorem fieri, tuſſedinem, & exſcreationem, quia ſanies quædam tenuior obductum penetret corpus; ſpirent quoque difficulter neceſſe eſt, & propter univerſam corporis conditionem, ſed præcipue ob accedentem dolorem. Ratio vero hujuſce eruptionis in naturam moventem, atque in multitudinem puris, vel ejus pravam qualitatem, expultricem ad exſcreationem irritantem, refertur. Hæc eruptio fit ante tempus, quippe ante concoctionem puris, aut propter bilem ſinceram, ſputo non permiſtam, nec ad mediocritatem, naturæ convenientem, deductam, tunicam, pus continentem, eroden-

Vomicæ ruptio intra quodnam temporis interval-lum fit.

Unde fit.

Quando ante tempus fit.

dentem; unde dolor, tuſſis, reſpiratio difficilis & exſcreatio eruptionem antecedunt: aut propter puris copiam, vel infeſtam putredinem, vel utrumque ſimul, expultricem movens. Quæ eruptio ſymptomatica eſt & non bona: & illa, quippe pure concocto, a natura fit critice, & bona, in qua pus album, purum, æquale & læve ſpectatur; in ea vero, quæ ante tempus fit, & ſymptomatica eſt, pus crudum, verſicolor, fœtidum, aut flavum, bile permiſtum, apparet. De hac eruptione auctor Coac. præſag. *in* 5. *Coac. præſag. text.* 392. ita habet: *Quibus vero cum bilioſo purulentum ſputum expurgatur, ſive pus ſeorſum exeat, ſive permiſtum bilioſo, ut plurimum mors accidit decimo quarto.* Sed his præmiſſis occaſio poſtulat, nos modo in ſuppuratis prædictionem aggredi: proinde in primo, de ſuppuratis, qui facta eruptione ſervantur, agimus. Hos hiſce ſignis innoteſcere nobis, Hippocrat. *Progn. pag.* 41. *lin.* 47. docuit, quæ ita expreſſit: *Bona vero hæc ſunt, facile morbum ferre, bene ſpirare, dolore vindicatum eſſe, ſputum facile extuſſire, corpus æqualiter calidum videri, ac molle, ſiti non detineri, urinas, dejectiones, ſomnos, ſudores, ſingula intelligere bona, uti præſcriptum eſt, ſuccedere. Ita enim omnibus his evenientibus, homo haud ſane morietur*: & paullo poſt, *ibid. pagin.* 42. *lin.* 45. *Hi vero potiſſimum ſuperſunt, quos febris eodem die poſt eruptionem dimiſerit, ac cibum citius appetunt, & ſiti liberati ſunt, & venter exigua ac conſiſtentia dejicit, & pus album, læve, concolorque eſt, ac vacans pituita, & abſque labore ac valida tuſſi expurgatur. Itaque optime quidem ſic ac celerrime vindicantur; ſin minus, qui ad hæc proxime accedunt.* Quantum vero ad illos, qui ſuppurati intereunt, hæc potiſſimum ſigna, *Hippocr. in Progn. pag.* 41. *lin.* 53. exhibuit, dicens: *Contra vero, morbum ægre ferre, ſpirationem magnam & denſam eſſe, dolorem non ſedari, ſputum difficulter extuſſire, valde ſitire, corpus a febre inæqualiter detineri, ventrem & latera vehementer calere, frontem vero, manus & pedes frigidos eſſe, urinas vero & dejectiones, & ſomnos, & ſudores, ſingula, uti ſcriptum eſt, mala eſſe cognoſcere. Si quid enim ex his ſputo ſupervenerit, morietur æger, antequam ad* 14. *dies perveniat, aut* 9. *aut* 11. *die.* Et paullo poſt *pagin.* 42. *lin.* 53. *Moriuntur vero*, ſcil. ſuppurati poſt ruptionem, *quos febris non dimiſerit, aut ipſos dimiſiſſe viſa, ſi ſtatim iterum accenditur, & ſiti quidem vexantur, cibos vero non appetunt, & alvus humida eſt, & pus clorum, ſive ex viridi pallidum, & lividum, aut pituitoſam, & ſpumoſum exſpuunt. Si hæc omnia contigerint, moriuntur, &c.* Quod ſputum auctorem quoque *Coac. præſag. Text.* 390. maxime damnaſſe nuper meminimus. *Uxor Meandri Caci*, ut ſcribit Hippocr. in *Epidem. lib.* 4. *pag.* 1121. *text.* 4. *ſtatim chlorum & purulentum* exſpuit. *Filius Amphiphradis lib.* 7. *Epidem. pag.* 1215. *text.* 14. primo *purulentum & pallidum*, & mox *viride*. *Ermoptolemuſque ibid. text.* 16. *pallidum*: & Hippoc. *in Aphor. libr.* 7. *Aphor.* 44. ait: *Si empyis, quum uruntur aut ſecantur, purum & album pus effluat, evadunt: ſi vero ſubcruentum faculentumque & fœtidum, pereunt*: & hæc ſufficiant in prædictione purulentorum, de quibus præſentem tractationem non inutiliter Medicinæ ſtudioſi legent.

Vomicæ eruptionis ſympto-matica ſi-gna. Critica.

Empyi quinam ſervantur.

Quinam pereunt.

CAP. XX.

Quid in morbis acutis Cerchon, vulgo ranticum, ſignificet.

Cerchon quid. SOLET ſæpius in multis acutis morbis, & in omnibus quidem moribundis, quidam fervor, ſeu ebullitio in gutture obſervari, quod Græci κέρχων vel κέρχνον appellarunt, Latini fervorem ſeu ebullitionem in gutture, alii aſperitatem rancidam circa aſperam arteriam & fauces, vocant, & vulgus Medicorum *ranticum*, a rancido fortaſſe, nomine corrupto. Sed mea ſententia hæc omnia non ſunt ſynonyma, ſiquidem aliud eſt rancidum, ſeu aſperitas rancida, a gutturis fervore ſeu ebullitione, quam ranticum dicunt. Hanc enim Galen. *in lib. 3. Comm. de articulis* vocat κερχώδην, non κε χνώδην, a κέρχειν verbo, quod ſonum notat, qui vel auguſtia loci, quo ſpiritus redditur, vel humoris multitudine accidit, & plerumque utroque concurrente, quem ſpiritum nonnulli δάσεα, ideſt, aſperum appellant: illud rancidum, ſeu aſperitatem rancidam, κερχνώδην vocat, qui affectus, *in 2. lib. de cauſ. ſympt.* eſt exiguus ad tuſſiendum impetus, quem tamen non perpetuo tuſſis ſequitur. Nam ea, quæ fauces exaſperando tuſſim movent, Galen. *in 3. Comment. de articulis* nuperrime citato κερχώδην vocat. Ceterum utcumque ſit, hi duo affectus maxime ſimiles exſiſtunt, quippe κέρχων & κέρχνων, ideſt, gutturis fervor, ſeu ebullitio in gutture, a ſono ebullientis ac ferventis aquæ dicta, & aſperitas rancida: apparet vero inter ipſos differentia aliqua, quippe quod fervore, ſeu ebullitione, ſonus & ſtrepitus manifeſtius appareat; & in rancida aſperitate, obſcurius. His proximus eſt ſtertor, qui itidem eſt ſonus ſimilis, ſed ambobus major, & manifeſtior. Plures hos affectus confundunt, differreque tantum loci varietate atque magnitudine putant, *ſtertorem* ſtrepitum illum vocantes, qui in via ſubauditur & fit, quæ eſt inter palatum & nares, qualis eſt dormientium; in larynge, ſive in capite, ſeu oſtio aſperæ arteriæ, gutture dicto, fervor & ebullitio κέρχων dicta; & in arteria ipſa κέρχνος, ideſt, aſperitas rancida ſecundum aliquos, & ſecundum alios, ſtridula ejuſdem arteriæ aſperitas. In moribundis hic affectus Græcis etiam ῥέγχος dicitur, & vulgo Medicorum *ranticum*, quaſi rancidum ſpiritum ſive ſonum dixerint, qui affectus eſt veluti concertatio humoris & ſpiritus in aſperis arteriis. Fiunt vero hi affectus, vel propter naturæ infirmitatem, utpote quum pulmo undique pure, vel humore plenus, quod Hippocrat. *in 2. Prognoſt. pagin. 41. lin. 23* expreſſit, dicens: *Mala etiam ſcreatio, quæ non expurgatur, nec projicit ipſam pulmo, ſed ob nimiam plenitudinem fervet in gutture*. Non expurgatur, nec ſputum projicit, aut ob humoris excernendi lentorem, quo aſperæ arteriæ adhæreſcens a ſpiritu agitatus fervorem ſeu ſtertorem facit, vel branchiorum obſtructionem, aut ob arteriæ & gutturis compreſſionem interceptione meatus, in quo refractus & agitatus humor aliquis in gutture fervet. Hinc pectore anguſtos *ſtertoroſos*, *in libr. 3. de diſſec. reſp.* Galen. vocavit. Qui duas tantum cauſſas huic affectui aſſignavit, quippe loci, quo

Gutturis fervor ſeu ebullitio.

Quid & unde.

Stertor.

Unde.

cī, quo ſpiritus redditur, anguſtiam, vel humoris multitudinem, vel utrumque ſimul: ſed neceſſe eſt, ut virtutis impotentiam addamus, ob quam ῥῆγχος fit in moribundis, quippe natura quicquam purgare non valente. Quibus colligamus non perpetuo hoc ſymptoma, quippe fervorem ſeu ebullitionem eſſe letalem, ſed ubi, multitudine humoris natura oppreſſa, non poſſit pulmo exſcreare ſputum, aut ſpiritus via, arteria ſcilicet, graviter oppreſſa, qua ratione hiantes moribundi multi ſtertunt. Cujuſmodi fuit obſervatum in *Menone*, de quo ait Hippocrat. *in* 7. *Epidemior. pagin.* 1220. *text.* 47. *Arteria ſubſibilabat, cum ſtertore:* & de *uxore Theodori*, *Ibidem pag.* 1216. *text.* 27. *Arteriæ & pectoris ſtridula quædam aſperitas, ſtrepitus & fluctuatio puris*: & *ibid. pagin.* 1211. *text.* 9. de *uxore Polycratis*: *Intus circa arteriam & fauces ſibilus erat & Cerchnon*, ideſt, aſperitas, ut Valeſius vertit, rancida. *Ermoptolemus ibid. pag.* 1215. *text.* 16. peripneumonicus *decimo quarto pallidum exſcreabat & ſtertebat*: & *Anginoſa ibid. text.* 20. itidem cum ſtertore, convulſa obiit: & in *filio Amphiphradis ibid. text.* 14. pleuritico, in faucibus plerumque rancida eſperitas ſubſibilabat. In quibus omnibus illud ſymptoma partim ad naturæ impotentiam, partim ad multitudinem & lentorem puris ſeu humoris, fuerat referendum: eſt vero perpetuo malum, & non parum timendum, ſumme vero pernicioſum poſt morbi principium, prælanguidis viribus redditis; quod id præmonſtret, præ imbecillitate naturam quicquam non poſſe excernere & ſuffocari; cumque hoc ſymptomate aliquod aliud neceſſario una aderit exitiale ſignum. In principio vero ſæpius fit, ut præ copia nimia in gutture ferveat humor, vel præ lentore nimio materia arteriæ adhæreſcat, quo humore poſtea concocto, & per ſputum purgato, ceſſat Cerchos ſeu ebullitio. Cognoſcitur vero, quo una adſint alia ſigna bona, & nullum pernicioſum illuxerit, cujuſmodi fuit in *Piſiſtrato* viſum. De quo Hippocr. *libr.* 7. *Epidem. pagin.* 1223. *text.* 56. ait: *Stertoroſum in faucibus, bene autem ferebat morbum, mente conſtabat, calor remiſit, ſimulque excretio, & ſtertor; evaſit*. Atque hæc de prædictione ex ſputis.

Quando gutturis fervor ſeu ebullitio letalis.

Quando non exitialis.

CAP. XXI.

De prædictione ab abſceſſibus.

DIXIMUS in ſexto libro, quid ſit abſceſſus, differentiaſque ac ſigna, quibus Medici futuros abſceſſus in morbis prænoſcunt. Nunc ab ipſis abſceſſibus, quomodo in acutis morbis quum ſalus tum exitium prænoſcatur, perſcrutemur, ſuppoſito illos nobis affuturos: quam rem prænoſci a morbo, qui non ſolvatur, & ab urina tenui & cruda, quam ægroti, ut docet Hippocrat. *in* 2. *Prognoſt. pag.* 40. *lin* 49. longo tempore mingunt, atque a ſignis ſalutaribus, Galen. *in lib.* 2. *de Criſib.* ſtatuit. At a quibus ſane abſceſſibus noſtrum prædicendi inſtitutum proſequemur? Siquidem ibidem dixerimus, nomine abſceſſus, multos affectus ex Hippocr. doctrina intelligi. Primo per abſceſſum intelligimus omnem humorum translationem ab una parte

Abſceſſus unde futuri dignoſcuntur.

corporis in aliam, in qua translatione humores aut effluunt, aut decumbunt. Unde excretio & humoris decubitus dicitur abſceſſus. Hoc ipſo etiam nomine *abſceſſus* mutationem morbi accepimus, ut quando angina in peripneumoniam mutatur, ſuppurationem, & quicquid in cutem erumpit a cauſſa interna. Aut quod magis proprie dicitur, per abſceſſum intelligimus humoris decubitum, qui tumorem facit. Nos vero hic per abſceſſus omnia intelligemus, quæ in cutem erumpunt, atque humoris decubitum cum tumore aut inflammatione. Sed age de bonis abſceſſibus, ſalutem denotantibus, agamus. Boni itaque dicuntur, qui erumpunt cum ſignis coctionis, in die decretorio, in partibus a viſceribus, & a morbo longinquis, quique ſuapte natura boni ſint, & qui perſeverant, non diminuuntur, ac augentur, & demum qui ſuppurantur, & qui una cum bonis ſignis apparent, atque ægrotos juvant. Dictum eſt a nobis ſuperioribus libris, atque demonſtratum ex Hipp. *in Epidemiis, lib. 1. ſect. 2. pag. 948. lit. F.* concoctiones celeritatem portendere judicii, ſecuritatemque ſalubrem, ac proinde coctionis ſigna numquam male apparere: quo fit, ut nedum abſceſſus omnes, ſed omnes vel etiam excretiones, concocto morbo apparentes, ſint laudandæ. Eo efficacius abſceſſus judicium præſagii confirmabunt, ſi in aliquo dierum decretoriorum eruperint. Quod eo certius præmonſtrabunt ſuapte natura boni, quippe qui laudabili ſubſtantia, figura, loco, colore, magnitudine atque copia erumpunt. Molles bonitate duris ab Hippocr. præferuntur. De iis, qui ſuapte natura commendantur, Hippocr. *in lib. 6. Epidem. ſect. 1. text. 12. pag. 1165.* ita habet: *Tubercula foras extumeſcentia, & acuminata, in turbinemque gracileſcentia, æquabiliter matureſcentia, non circum dura, declivia, & non biſida, meliora. Contraria vero, mala, & ſi quam plurimum contraria, peſſima:* & in Prognoſticis, *pag. 39. lin. 6. & ſeq. Quæcumque exterius vergent, optima ſunt, parva, quam maxime extrorſum ſpectantia, & in aciem turbinata: peſſima ſunt, quæ magna, lata, & minime in aciem turbinata: at quæ introrſum rumpuntur, optima quæ externas partes minime attingunt.* Acuta itidem latis bonitate prætulit. Ex loco itidem, qui ad exteriora feruntur, ab Hippocrat. laudantur; de his *in 6. Aphoriſm. 25.* ait: *Eryſipelas ab interioribus ad exteriora verti, bonum.* Qua ratione in angina tumorem in collo optimum eſſe ſtatuit, *Prognoſt. pag. 45. lin. 20.* Optimi itidem ſunt, qui in partibus remotis & ignobilibus concitantur. Qua ratione Hippocr. *ibid. pag. 43. lin. 18. 37.* dixit, omnes abſceſſus, qui ad crura fiunt, in pulmoniis vehementibus eſſe utiles; & Galen. ait: *Si quidem vera ſit ſententia* Hippoc. *2. lib. Epid. ſect. 1. pag. 1002. lit. B. præſcripta de bonis abſceſſibus, ut optimi ſint, ſi maxime deorſum, & quam longiſſime ab ægrotatione, abſiſtant, magis vero ſi concoctione pariter fiant.* Colore etiam boni aut rubro, aut flavo, aut albo ſpectantur: magnitudine quidem etiam mediocri, ita ut neque pauciores, quam corpora purgare valeant, neque grandiores, quam ſuſtineri poſſint. Copia etiam copiæ humoris, morbum facientis, reſpondere debent; nam immoderatius apparentes non ſunt ſecuri, quod & aliquam internam partem vel principem,

Abſceſſus boni.

cipem, vel vitæ neceſſariam, obſideant. Qui cito matureſcunt, ac ſuppurantur, laudantur. De his forte Hippocr. *in 2. prognoſtic. pag. 43. lin. 4. Quibuſcumque abſceſſus fiunt ex pulmoniis morbis circa aures & ſuppurantur ad inferiora loca, & ad fiſtulam perveniunt, iſti evadunt*. Boni etiam ſunt, qui perſeverant, quod a facultate robuſta fit, atque augentur, atque, ut diximus ſuppurantur, & qui una cum bonis ſignis apparent, atque ægrotos morbo vel liberant, vel allevant, qui merito ita apparentes ſunt ex judicatoriis judicantibus, quique, natura morbo prævalente, fiunt. Atque iſti ſunt abſceſſus ſalutares. Malos vero eſſe omnes abſceſſus, cum cruditatis ſignis apparentes, in diebus non decretoriis, ſuapte natura malos, in partibus proximis morbo, membriſque principibus, perſeverantes, non ſuppurantes, pauciores, copioſiores, parviores, majores, qui ſtatim exorti recurrunt, ſeu retrahuntur intus, atque evaneſcunt, cum malis ſignis nihil juvantes, atque lædentes. *Abſceſſus mali.* De iis, qui morbo crudo exiſtente apparent, Galen. *in 1. Epidem.* ita habet: *Omnium, quæ tunc inciderent, incommodorum erat caput, cruditas humorum, quod ſi quando natura per vim ad aliquos eorum excernendos aggreſſa eſſet, nihil proficiebat, immo vero ab iis ſuperata, aut in profundum recurrere permiſit, aut propter paucitatem excretionum abſceſſum moliebatur. Alias a nobis demonſtratum eſt, nullam excretionem, vel abſceſſum fidelem eſſe, quæ cum ſignis cruditatis apparet, etiamſi ad probam maturationem perveniat. Concoctiones celere judicium & ſecuritatem promittunt. Sed ne nunc quidem cauſſæ febrium, quæ intra venas continentur, erant concoctæ. At parotides erant tamen maturæ, quod infrequens eſſe, & debere memoria teneri dicebam. Nam poſſe fieri quapiam in parte privatim concoctionem, toto morbo non concocto*. Mali itidem ſunt, qui decumbunt, in diebus non decretoriis; hi nobis quidem indicio ſunt, illum decubitum, ſive excretionem humoris non fieri a natura ſalubriter agente, ſed morbo acta, quippe aut humoris multitudine, aut prava qualitate, ante tempus irritata ad pugnam: quare mirum non, eſt ſi, perturbato ipſius naturali ordine, in diebus non decretoriis expellat. Eoque apertius mali abſceſſus dignoſcentur, ſi ſuapte quoque natura mali exiſtant, cujuſmodi ſunt, ex Hippocrat. *in 1. Prognoſtic. pag. 38. ſub finem Tubercula circum dura, bifida, inæqualia*: & *in lib. 6. Epidemiorum ſect. 1. text. 12. pag. 1165. foras non extumeſcentia, non acuminata, neque in turbinem gracileſcentia, non æqualiter matureſcentia, circumdura, non declivia, atque bifida*. Qui vero ex abſceſſibus malignitatem habent, cum febre continua omnes exitiales ſunt. Cujuſmodi fuerunt in ea peſtilentia, quam Hippocrat. *in libro tertio Epidemiorum pag. 1083. Commentar. 1. text. 13* recenſuit; ſcripſit enim ignes malignos multos interemiſſe, tubercula, carbunculos, fluxiones ad pudenda, Herpetes multos malignos in ea peſtilenti conſtitutione graſſatos fuiſſe, pluresque iis fuiſſe interemtos. Pauciores etiam abſceſſus, & majores damnantur, de quibus Hippocrates *in primo Epidemiorum ſectio. ſecunda pagin. 946. littera G. Commentario tertio* ait: *His ſuccedebant abſceſſus, aut majores, quam ut ferri poſſent, aut minores, quam ut prodeſſent*

quic-

quicquam: & paullo poſt *ibid. lit. H. Papulæ parvæ, quæ non eſſent excernendis morbis:* & poſtea de *Sileno lib.* 1. *Epid. Ægr.* 2. *pag.* 969. *Papulæ cum ſudore rubentes, rotundæ parvæ, varis ſimiles permanebant, nec abſceſſum efficiebant.* Copioſiores etiam tutæ non ſunt, niſi ad purulentos abſceſſus deveniant; nam nimis copioſum humorem denotant, ex quo timor eſt, ut ne tantum cutis, ſed quin etiam pars aliqua interna, aut ex principibus, aut ex neceſſariis obſideatur. Qua ratione Auctor *Coac. præſagiorum text.* 114. merito dixit: *Quibus in febre continua puſtulæ toto corpore excitantur, letale, niſi ſuperveniat purulentus abſceſſus.* In his enim, quorum corpora acuta febre vexata, undequaque abſceſſibus, aut parvis aut magnis ſcatent, periculum eſt, ne retrocedant, principemque vel vitæ neceſſariam aliquam partem, ut diximus, occupent, quod eſt exitioſum. Hujuſmodi caſum Hipp. *in Tymonactis puero* vidit, de quo *in* 7. *Epid. pag.* 1238. *text.* 114. ita habet: *Tymonactis puero, quaſi duorum menſium, exanthemata in cruribus, & in coxis, & lumbis, Hypogaſtrio, & tumores valde rubicundi. Sedatis autem his convulſiones & epileptica fiebant ſine febre multis diebus, & mortuus eſt.* Non minoris periculi ſunt, tumores admodum rubentes, ac omnium maxime liventes, & nigricantes, quem pravum colorem in exanthematibus nec vel etiam mulierculæ ignorant; iis etenim valde rubentibus, liventibus, ac maxime nigris, merito de ægrotorum ſalute plurimum dubitandum putant. Hipp. *in* 1. *Epid. ſect.* 2. *p.* 946. *ſub finem:* (*conſer autem notas Foeſii, qui non legit* Μελανόμενα, *nigricantia, ſed μὴ λυόμενα, autem μολυνόμενα.*) in ea peſtilenti conſtitutione ait graſſatos fuiſſe *tumores ſecundum aures nigricantes, qui nihil denuntiarent:* & in *Critone lib.* 1. *Epidem. Ægr.* 9. *pag.* 985. moribundo puſtulæ nigræ eruperunt: & papulæ, quæ *Sileno, ibid. Ægr.* 2. *pag.* 969. ante mortem apparuerunt, fuere rotundæ, parvæ, varis ſimiles, valde rubentes. Abſceſſibus vero ſine ratione ſublatis nedum fidere non debebimus, ſed quinimmo ab ipſis plurimum timere. Sine ratione dico, qui nulla prægreſſa aut vacuatione, aut purgatione, vel a natura, vel ab arte, intus retrahuntur, atque evaneſcunt. Hujuſmodi abſceſſus periculum delirii & mortis inferre, Hippocr. *in* 2. *Prognoſt. pag* 43. *lin.* 27. notavit. De his *in* 6. *Epidem. ſect.* 4. *text.* 1. *pag.* 1179. *Quum in morbo aliquo judicationis tempore tumores ſecundum aurem exorti, prius quam ſuppurentur, inaniuntur, ideſt, retrahuntur, & evaneſcunt, exſpectare oportet ita affectis recidivam.* Gal. vero *in* 1. *Prorrh. Comm.* 1. ait: *Talium autem ſignorum genus deterrimum eſſe conſtat, nempe, quæ vel tubercula, vel puſtulæ ex imo ad cutem enata, recurrerunt, graviſſima omnium exſiſtunt, omniumque maxime, ubi abſceſſus neque ob humoris fluxi tenuitatem, aut partis laxitatem, aut aeris caliditatem, aut adhibiti medicamenti diſcutiendi poteſtatem habentis, ſed ob virium lapſum intus recurrerunt.* De his Hipp. *in* 1. *Epid. ſect.* 2. *pag.* 946. *ſub finem: Quibuſdam in articulos, præſertim in coxendicem decumbebant, paucis decretorie ceſſabant, ſtatimque ſuperati ad priorem ſtatum redierunt;* quod in *Anaxenore ſplenitico*, & *mali coloris* Hippocr. *lib.* 7. *Epid. pag.* 1239. *text.* 124. animadvertit, qui tumorem habuit in coxendice, quo evaneſcente, ipſe mortuus eſt. Ceterum utile erit,

Tumores periculoſi.

di-

distinguere abscessus longo tempore perseverantes, & postea intus recurrentes, ab his, qui statim oborti recurrunt; hi enim longe majus periculum quam ii minantur, quod Galen. in 1. *Prorrhet. Comm.* 1. confirmavit, quum dixerit, tales abscessus esse deterrimos, atque etiam ait, sudores quoque, qui cœperunt quidem, sed protinus cessaverunt, pravi sunt, quod naturam maxime prælanguidam, excretionem quidem aggredientem, sed præ imbecillitate non absolventem, præmonstrent, Hippocr. in 1. *Epid. sect.* 2. *pag.* 946. *sub finem.* papulas parvas, quod statim evanescerent, pessimas observavit; & paullo ante de malis abscessibus dixit, *ibid. lit. G. Sed statim redierunt & deterius evaserunt*. In *Euphranonis filio*, *lib.* 5. *Epidem. pag.* 1161. *text.* 92. qui mortuus est, exanthemata oborta parum durarunt, & absque ratione evanuerunt. Et hæc de abscessibus intro recurrentibus. Ex loco itidem mali abscessus Medicis innotescunt: pessimi enim sunt, qui prope viscera in cute erumpunt. Quo fit, ut abscessus post aures, perpetuo sint suspecti; nam forte superveniunt fractis inde viribus, & videntur novas causas morbi attexere. Fessus æger magnos abscessus, qui tempore ac virium robore opus habent, ad concoctionem & suppurationem faciendam, ferre nequit: parvi vero non solvunt. Sunt vero magis, ut dictum est, suspecti loci ratione, quippe, quod cerebro sint proximi: non secus & tumores sub alis loci ratione damnantur, & bubones ipsi in inguinibus, qui tumores solent grassari tempore pestilenti, quo tempore interna viscera maxime patiuntur. Cum malis signis nulli abscessus boni esse possunt: sunt enim ex judicatoriis non judicantibus. Non minus etiam ii, qua nedum febrem non tollunt, ægrotosque quicquam allevant, sed quinimmo ipsos non parum lædunt. Atque hæc in universum dicta sint de malis abscessibus, mortem prædicentibus. Nunc pauca, ut rem hanc exemplis quibusdam illustremus, de his abscessibus, qui secundum aures fiunt, quos parotidas Medici appellant, subjungamus. Hos abscessus hisce signis prænoscendos Hipp. *in Prognost. pag.* 43. *lin.* 7. docet: *In hunt modum ista consiaeranda sunt. Si febris detinet, neque dolor conquiescit, neque sputum ex ratione procedit, neque biliosæ sunt alvi dejectiones, nec bene solutæ ac sinceræ, nec urina admodum multa, multum habens sedimentum, suffragantur vero ad salutem reliqua omnia salutaria signa, in his ejusmodi abscessus orituros sperare convenit. Ac hi oriuntur quidem in locis infernis, quibus circa hypochondria inflammationis quid subest: illi autem in supernis, quibus hypochondrium molle & doloris expers permanet, & cum spirandi difficultate aliquandiu laboraverit, quæ citra aliam evidentem occasionem conquiescat.* Propria ergo Parotidum futurarum signa sunt, ubi morbus non fuerit valde diuturnus, si subita difficultas anhelitus laboranti superveniens, mox quiescat, quumque gravitas capitis & dolor subsequatur, & gravis somnus aut surditas, huic in glandibus post aures necesse est abscessus fieri. Galen. *in* 1. *Prorrh. comm.* 75. *text.* 76. & 77. somnum gravem, cum dolore capitis & surditatem statim advenientem signa esse parotidum statuit: & Auctor *Prorrh. lib.* 1. *text.* 168. dixit, ex capitis dolore, comate, surditateque prænosci parotidas. Ex iis abscessibus boni sunt, qui magnitudine moderati, sine dolore,

Parotides unde futuræ prævidentur.

Quænam bonæ.

lore, integris viribus, in aliquo die critico, & antegreſſis coctionis ſignis erumpunt. Cujuſmodi fuerunt, quas Hippocr. *in Epidemiis* meminit, de quibus *in lib. 1. ſect. 1. pag. 938. lit. E. & 939 lit. D.* dixit: *Tubercula vero multis ſecundum alterutram aurem, plurimis ſecundum utramque exſiterunt, febre carebant, erant recti: nonnullis parum accendebantur, ſed exſtincta omnibus ſunt citra incommodum. Erat eorum hæc natura, laxa erant, magna, diffuſa citra phlegmonem atque citra dolorem, obſcure omnibus evaneſcebant.* Hæc fiunt a caliginoſa materia, quæ facile citra incommodum tolluntur, aut a pituita quæ œdematoſa, aut a ſanguine phlegmonoſa, aut a flava bile eryſipelatoſa vocata, aut a materia craſſa, & viſcida: illa facillime diſcutiuntur, atque hæc ægerrime; quo fit, ut in multis ſublata febre etiam perſeverent, neque, reſidentia, neque ſuppurantia appareant: de his Hippocr. *in 1. Epidem. ſect. 2. pag. 956. ſub lit: F. Tubercula ſecundum aures, quæ in febribus cum dolore extuberant, nonnullis, quum febris decretorie ſedatur, non reſident, neque ſuppurant, his biliosum alvi profluvium, aut dyſenteria, aut ſedimentum urinarum craſſarum, ea ſolvit, uti evenit Hermippo Clazomenio.* Optimæ ſunt, vel ſaltem non pravæ parotides, quæ prægreſſis vacuationibus, vel purgationibus, reſolvuntur, & præſertim cum bonis urinis, cujuſmodi forte fuerunt, quæ in Clazomenio (*Vide ejus hiſtoriam lib. 1. Epidem. Ægr. 10. p. 985.*) exuberarunt. De his forte meminit auctor *Coac. præſagiorum*, ita dicens: *Tuſſiculæ, quæ cum ſputationibus procedunt, emolliunt parotides.* Quæ ſuppurantur itidem cum ſignis coctionis, & pus eſt album, purum, ſalutares exſiſtunt. Contra malæ dicuntur, quæ aut majores quam ferri poſſint, aut parviores quam purgare valeant, obſervantur, cum dolore, & fractis viribus erumpentes, nullis coctionis ſignis antegreſſis, in die non critico cum malis ſignis apparentes, atque febrem non allevantes, ſed quinimmo ægris ab ipſis in deterius mutatis. Præterea quæ intus recurrunt abſque cauſſa. Has recidivam præmonſtrare Hippocr. *in 6. Epidem. ſect. 4. text. 1. pag. 1179.* tradidit, & Galen. deterrimum eſſe ſignum *in primo Prorrh.* ſtatuit; quales *Nicolai Concubina Epid. lib. 7. text. 50. pag. 1221.* habuit, quibus abſceſſibus, magnis, ſine ſigno ſublatis, mors eam eſt ſubſecuta. Auctor *Coac. Præſag. text. 138.* ait: *Si ardenti febre abſceſſus, ad aures facti, non ſuppuraverint, non valde ſervantur*: & *ibidem. text. 207. Tumores circa aures maxime ex acutis in febribus ardentibus fiunt, ſi morbum non ſolvant; neque maturent, aut ex naribus ſanguis fluat, vel urinæ deponant ſedimentum craſſum, moriuntur.* Et itidem Auctor *Coac. Præſagiorum text. 201. Tumores circa aures poſt expurgata plurima graviter olentia, acuta febre, hypochondrio intento, tardius excitati, interficiunt*: & ibidem *text 206.* ſcriptum eſt, in ſuppuratis parotidibus pure non albo effluente, letale eſſe; *ibid. text. 205.* pravaſque dici parotidas, quæ cum urinis parum coctis apparent. Quod Galen. vel etiam de iis, quæ probe ſuppurarunt, intelligi debere, nobis præmonſtraſſe, nuperrime meminimus. Unde vel etiam parotides ſuſpectæ erunt, abſque ſignis conctionis, probe ſuppuratæ. Quales in

Quanam malæ.

Cra-

Cratistonacte, & *ancilla pictoris* ab Hippoc. *lib.* 1. *Epid. sect.* 2. *pag.* 958. *sub lit. B.* (*Foesius tamen loco pictoris legit fullonis.*) fuere obſervatæ, quibus, uti dictum eſt, probe ſuppuratis, ambo tamen interierunt. De exanthematibus, quo nomine papulæ omnes latinis, barbaris variolæ, morbilli, puncticulæ ſeu maculæ nuncupatæ, comphenduntur; deque puſtulis, carbunculis, bubonibus, tumoribus hypocondriorum, nihil ſupereſt ad ipſorum prognoſin illuſtrandam dicendum; quum omnia ad prædicendi rationem pertinentia, quum in hoc ipſo capite, quod abſolvimus, tum in aliis libris ſatis accurate expenderimus.

FINIS.

INDEX RERUM OMNIUM,

Quæ in toto opere continentur.

A.

Abolitionis periculum ex aurium dolore acuto cum febre continua ac vehementi. 220

Abſceſſus boni & mali. 241

Abſceſſus boni quando fiunt in morbis. 242

Abſceſſus ex colore, magnitudine, copia, coctione, utilitate ſalutares judicantur. 376.

Abſceſſus futurus quando in morbis acutis exſpectandus. 278 279

Abſceſſus in viſceribus doloris partium internarum cauſſa. 133

Abſceſſus mali in corpore erumpentes, naturalis facultatis impotentiam denotant. 21

Abſceſſus nullus fidelis qui cum ſignis cruditatis apparet. 377

Abſceſſus omnes ante coctionem erumpentes in peſte magis utiles quam inutiles. 245

Abſceſſus per effluxionem quales, & quinam vocantur. 277

Abſceſſus poſt aures perpetuo ſunt ſuſpecti. 379

Abſceſſus quales & quando in morbis acutis perniciales. 36

Abſceſſus qui ad crura fiunt in Pulmoniis vehementibus ac periculoſis, omnes utiles ſunt. 5 31 95 235 376

Abſceſſus quid ad præſagium. 300 375

Abſceſſus quomodo noſcuntur futuri in partibus ſupernis aut infernis. 279 280

Abſceſſus retrocurrentes peſſimum in deliriis ſignum. 70

Abſceſſus variæ ſignificationes. 277

Acria nimis, dolorem acutum producunt. 132

Acria ſi videntur oblata in morbis quid notant. 78

Acrimonia quomodo ſingultum producit. 140

Actiones omnes perinde ac in optima valetudine obire, optimum eſt. 186

Actiones naturæ debiles, quibus cognoſcuntur. 12 19

Actionis vitalis primum inſtrumentum eſt ſpiritus vitalis. 158

Actio vitalis unde. 159

Adenarum dolor unde gravis obſervatur. 92

Æger ſi non videat, vel non audiat, jam debili exiſtente corpore, quidquid horum evenerit, mors proxima eſt. 12

Ægri de ipſorum futura ſalute Prognoſticum audientes, facilius ac propenſius Medicorum propenſis obediunt. 1

Ægrum velle reſidere in ipſo conſiſtendi vigore, exitialiſſimum eſt. 117

Ægrorum ſalus aut interitus unde prænoſcitur. 4 5

Aer a ſuo conſueto temperamento ad calidum maxime mutatus, & diu durantem, maximos morbos adfert. 34

Aer minus morboſus eſt, minuſque graves morbos excitat; ad frigidum quam ad calidum mutatus. 29

Aeris nulla vel magna mutatio multum ad morbos concitandos facit. 29

Aeris ambientis temperamentorum omnium peſſimum eſt id quod humidum eſt & calidum. 35

Aeris caliditati humiditas ſi conjungatur nihil corporibus morboſius & magis peſtiferum. 35

Aeris ſiccitas acutiſſimos parit morbos, ſed ſalubriores quam humiditas. 35

Aeris varii ſtatus ad morborum cognitionem ſcitu neceſſarii. 29

Æſtus doloroſus & rigor ſuperveniens, malum. 83

Æſtus & ardores circa ſpinam quid notant, 287

Æſtus fortes quare convulſiones pernicioſas producunt. 133

Æſtus laterum cum dolore atque rigore, mali. 83

Æſtus magni effectus. 126

Æſtus multus cum delirio quando per modum judicii apparet. 63
Ætates corporum pulſuum cauſas mutare poſſunt. 163
Ætates non parum faciunt ad morbos natura potentiores cognoſcendos. 37
Alexandriæ in Ægypto unde quotannis febres peſtilentes exitialiſſimæ oriuntur. 36
Alimenti crudi abundantia quomodo convulſiones in pueris producunt. 128 129
Alimenti inopia quomodo tremor producitur. 122
Alimenti plurimi copia calorem nativum quomodo ſuffocat. 86
Alvi colliquationes malæ. 272 333
Alvi dejectio alba Ictericis mala. 335
Alvi dejectio aquoſa mala eſt. 332
Alvi dejectio cruenta naturalis facultatis debilitatis effectus. 21
Alvi dejectio futura non cognoſcitur per ſigna propria, ſed ex quibus. 292
Alvi dejectiones albæ unde, & quid notant. 334
Alvi dejectiones bilioſæ omnes non critice factæ, malæ. 335 336
Alvi dejectiones bonæ bifariam ſalutem indicare poſſunt. 329
Alvi dejectiones bonæ ex copia cognoſcendæ, 331
Alvi dejectiones colliquativæ ex febribus acutis pernicioſiſſimæ. 337
Alvi dejectiones criticæ facultatis expultricis robur, naturamque morbo prævalere indicant. 10
Alvi dejectiones eo ſunt exitialiores, quo colores magis pravos pluresque habuerint. 337
Alvi dejectiones exitiales ex modo quo dejiciuntur, & ex tempore quo durant. 337
Alvi dejectiones ex quantitate tum immoderata, tum pauca damnantur. 333
Alvi dejectiones in acutis bilioſis albicantes, ſpumoſæ, & pericholæ, malæ. 335
Alvi dejectiones in acutis ſpumantes valde vitioſæ, malæ. 333
Alvi dejectiones in ventris affectibus obſervandæ. 255
Alvi dejectiones liquidæ unde. 332
Alvi dejectiones malæ, quæ exitium prænuntiant, unde cognoſcendæ. 332
Alvi dejectiones nigræ aliquando utiliter conſpiciuntur. 336
Alvi dejectiones nigræ a ſanguine melancholico. 336
Alvi dejectiones nigræ in acutis morbis, malæ & unde. 336
Alvi dejectiones nigræ, ſponte venientes ſive cum febre ſive ſine febre, peſſimæ. 336
Alvi dejectiones optimæ febres, & ſymptomata ſolvunt aut allevant. 332
Alvi dejectiones quæ cerebro inflammato albæ egeruntur omnium peſſimæ. 335
Alvi dejectiones, quæ inſciis ægrotis excernuntur, letales ſunt. 338
Alvi dejectiones quæ ſalutem prænuntiant. 329
Alvi dejectiones quænam inſaniæ timorem inferunt. 334
Alvi dejectiones rubræ & cruentæ in febribus acutis, malæ. 336
Alvi dejectiones ſpumoſæ quare malæ & quænam peſſimæ. 333
Alvi dejectiones verſicolores omnes malæ. 336
Alvi dejectiones virides, porraceæ, peſſimæ quænam ſunt. 336
Alvi dejectionum natura unde innoteſcit. 329 332
Alvi dejectionum variæ denominationes. 330
Alvi excrementa concocta in ventris affectibus optimæ criſis certiſſimum ſunt indicium. 266
Alvi excretione bilioſa quinam morbi judicantur. 267
Alvi fluxus colliquativi, qui in peſtilentibus febribus obſervantur, letales. 79
Alvus perturbata ſurditatem aliquando tollit. 95
Alvi profluvium quibuſnam ſupervenit. 148 149
Amauroſis quid, & quando exitioſa. 213
Amentia quid. 59
Amphimerinæ febres quales. 86
Anechtermeton quid Græcis. 142
Angina ex aphonia, letaliſſimum. 156
Angina tonſillarum inflammationi ſuccedens, malum. 40
Anginæ exitialiſſimæ, & celerrimæ interimentes quænam. 86
Anginæ inſidioſe occidentis ſigna. 151
Anginæ letali ſi tumor colli & pectoris apparens ſuperveniat, magis ſalutaris evadit morbus. 32
Anginæ ſuffocantes a ſanguinis copia. 31
Anginoſis quinam rubor & tumor ſalutaris & quinam non. 200
Angores quid in morbis acutis ſæpe indicant,

cant. 89
Anhelitus difficultas in tabe. 150
Anhelitus crebri ſenes ad mortem comitantur. 37
Anima quid efficit in corpus. 113
Animales actiones quomodo forte vel debiles cognoſcuntur, & quantum ad Prognoſticum in morbis harum cognitio, 53
Animalium corpora unde conſtant. 113
Animi curæ extenuationis cauſa. 196
Animi defectiones quid in morbis acutis ſæpe indicant. 89
Animi defectus ex fluxu muliebri, malus. 133
Animi paſſiones vehementes magnos morbos concitare valent. 37
Annonam ſæpe ſecuta fuit Peſtis. 36
Annus totus ſi calidus humidusque fuerit, neceſſe eſt, magna peſtilentia ſuccedat. 35
Annorum tempora prænoſcenda, ut morbi cognoſcantur. 29
Annorum variarum conſtitutionum effecta, & diviſio. 35
Anxietas a dolore pedis atque coxendicis. 99
Anxietas a virium imbecillitate unde noſcitur. 118
Anxietas a viſcerum alicujus magna phlegmone unde noſcitur. 118
Anxietas ab humoris bilioſi corruptione. 118
Anxietas ab humoribus ad excretionem turgentibus. 118
Anxietas cum delirio Criſin aliquando præcedit. 63
Anxietas decubitus eſt ſpecies. 117
Anxietas ex ſtomacho affecto unde noſcitur. 118
Anxietas in febribus quid notat. 49
Anxietas qui per vigilias repente capiuntur, ſanguinem profundunt e naribus. 122
Anxietas unde in febribus malignis. 119
Anxietates diu perſeverantes, illucente evacuatione, peſſimæ. 50
Anxietates quæ cum refrigeratione incidunt, peſſimæ. 50
Anxietatis prorſus letalis deſcriptio. 120 121
Anxii quinam dicuntur. 117
Apepſia quid notat. 20
Aphonia a ventriculo ab aliquo humore læſo. 154
Aphonia aliquando tollitur vomitu. 155
Aphonia ex capitis dolore quid notat in febribus. 155 156
Aphonia quid in morbis portendit. 154
Aphonia quid præſagit in morbis. 152
Aphonia ſignum ſumme exitioſum in deliriis. 70
Aphoniæ comatoſis ſuccedentes, malæ. 111
Aphoniæ cum ſingultu peſſimæ. 141 156
Aphoniæ & catochæ cum exſolutione perniciosæ. 110
Ἄφωνοι evadunt ægri in ſerino delirio. 66
Aphoniæ ex vulneribus non ſunt perpetuo perniciales. 155
Aphoniæ quæ principii morborum fiunt, quid notant. 154
Aphoniæ quæ una convulſis partibus ex copia humorum fiunt, perpetuo letales non ſunt. 156
Aphoniæ quænam exitium in foribus prænuntiant. 156
Aphoniæ quibus ex capitis dolore, moriuntur. 157
Aphoni ſi fiant anginoſi, letaliſſimum. 156
Aphoniæ unde. 154
Aphthæ oriuntur anni conſtitutione Auſtrina calida & humida. 35
Apoplexia a ſupino nimis diuturno decubitu. 115
Apoplexiæ ex ſomno diuturno & immoderato. 36
Apoplexia quando in morbis timenda. 80
Apoplexia ſæpe producit febrem continuam aut intermittentem, paralyſin aut Paraplegiam. 32
Apoplexiæ ſi Paralyſi, & epileſiæ ſuccedat, malum. 40
Apoplexia unde ſæpe prævidetur. 78
Apoplexiam ſortem ſolvere impoſſibile, debilem vero non facile. 14
Apoplexiæ ab humoribus pituitoſis & crudis. 39
Apolexiam quando torpores in ſanis portendunt. 150
Apoplectici maxime fiunt a quadrageſimo anno ad ſexageſimum. 37
Appetentia bona in ægrotis erit illa, quæ benevalentium maxime eſt ſimilis, 186
Appetentia bona non confundenda cum vitiata & exitiali. 186
Appetentia ciborum & potus juſto major unde. 185
Appetentia ciborum ſublata quid notat & unde. 187
Appetentia integra in ægrotis, bonum eſt, omniumque maxime in morbis diuturnis. 186

Appetentia innaturalis quænam dicitur & unde. 184
Appetentia ſublata in morbis longis letalis. 187
Appetentia ſymptomata quid ad prædicendi rationem. 185
Appetentia vitiata in qualitate ciborum & potuum unde. 185 186
Appetentia una eſt naturalis, altera non naturalis. 184
Appetentia unde oritur in animalibus. 184
Aqua caninæ appetentiæ cauſa. 186
Aqua intercutem unde in purulentis Phthiſicisque oritur. 91
Aqua intercutem omnis, quare ſi ex acuto morbo exſiſtit, ſemper mala. 91 198
Aquarum corruptarum ſeu fœtidarum uſus pravi effectus. 36
Aquarum paluſtrium uſus mali effectus. 36
Aquilonia quotidianæ conſtitutiones corpora denſant, & robuſta, & bene mobilia, coloratiora, & meliùs audientia faciunt. 29
Ardores qui in hypochondrio, febre refrigerata relinquuntur, tum alias, tum cum ſudoribus, mali ſunt. 23 51 83
Ariditas totius vel alicujus partis corporis, quare ſæpe infelicem morbi præſagit eventum. 91
Arteriarum pulſatio actio facultatis vitalis. 9
Arteriarum pulſatio reſpirationi addita eſt, caloris in toto corpore effuſi refrigerationis, atque purificationis gratia. 9
Arteriarum pulſationes maxime ad prædicendam ſalutem valent. 63
Arteriarum pulſationes vehementes omnium maxime vitalem robuſtam facultatem ſignificant. 17
Arteriarum pulſus magni, vehementes, æquales atque ordinati in morbis acutis, facultatis vitalis integritatis indicium. 9.
Ἀσαφὴς quid. 60.
Aſaphodes deſipientiæ, quænam exitioſiſſimæ. 65.
Aſaphodis ſeu obſcura deſipientia, vel hectica, numquam in morbi principio, ſed morbi progreſſu, poſt vehementem inſaniam, fit. 60.
Aſpectus audax & ferox eſt phreniticus. 56.
Aſperitas corporis quid ad prædictionem. 81.
Aſpera arteriæ uſus. 158.
Aſthmata quo vitæ tempore fiunt & quamdiu durant. 38.
Aſthmata ſenes numquam derelinquunt. 41.
Aſthmatici unde ſæpe ſtertunt. 181.
Atrabilis naturæ humanæ maxime inimica, difficillimaque, & tardiſſima ut concoquatur. 39.
Atrabilis omnium humorum morbos maxime exitiales parit. 39.
Atra bilis unde. 336.
Atrophia corpora ſiccantur, & contabeſcunt. 19.
Atrophia in quibus exitialis. 195.
Atrophia qualis affectus & unde. 195.
Auditus actiones mutatæ magni in morbis momenti ad prodeundum ægrotantium prognoſticum. 74.
Aures lividæ & nigræ, unde in acutis morbis ſpectantur. 220.
Aures obſurdeſcere in febre acuta furioſum eſt. 16. 149.
Aures quibus per febres obſurduerunt, quomodo hi liberantur a morbo. 75.
Aures quid ad præſagium faciunt in acutis morbis. 219.
Aurium ſonitus, quando ſanguinis eruptionem delirium, &c. indicat. 57. 78. quid in morbis acutis. 77. 221. Tinnitus, quid & unde. 77. 281. ſignum ſæpe futuræ Hæmorrhagiæ. 283.
Auſtrina conſtitutio humida, varios & calidos morbos producit. 35. 37. 77.
Autumnus morbos acutiſſimos & exitiales magna ex parte producit. 36. Tabidis malus eſt. *ibid.*

B

Balnea quomodo horrores concitant 148.
Bilis acuta producit morbos punctorios. 92. æruginoſa, atra, uſta, morbos graviſſimos concitat. 51. flava, porracea, crocea, nigra, omnium periculoſiſſimos facit morbos. 61. plurimum tuſſi rejecta, malum. 39. ſi pituitæ prævalet, ægros maxime reddit phreniticos. 61.
Bombus in acutis, letalis. 77.
Bubones quare ſuſpecti. 379.
Bumbi quid & unde. 77.

C

Caliditas ad Prognoſin faciens qualis. 81. quæ bona. 25. quæ mala. 81. in facie, hypochondriis, thora-

ce cur peſſima. 15 quid in morbis acutis, 49 Hecticorum qualis, 82 parva in externis quando maligna. 49 50 intenſa in ventre & Thorace cur mala, 82 immoderata peſtem producit aliquando. 34

Calor blandus ſæpe fallens in morbis malignis. 81 febrilis quinam optimus. *ibid.* ſingultum producit. 208 in morbis quomodo diſtinguendus. 49 intenſus poſt rigorem criſis ſæpe indicium. 82 83 nativus quomodo reſolvitur. 85

Caloris æſtus circa ſpinam quid indicat. 292 & Frigoris celeres mutationes, in morbis acutis quare malæ. 90 retractionem quæ cauſſant. 89

Capitis gravitas & dolor, quid & unde. 284

Cardialgia, fluxurorum menſium ſignum. 281

Cardiogmos Cordis unde vomituris. 288

Carus, qualis ſomnus. 105

Catalepſis, frigiditatis & ſiccitatis cerebri ſignum. 107 qualis ſomnus. 105

Cataphora qualis ſomnus. *ibid.*

Cerchnon quid. 181 in acutis. 374

Cerebrum exſiccatum vigilias excitat. 103 quomodo læditur per conſenſum ex ore ventriculi læſo. 130

Cerebri frigiditas duplex eſt. 80 pernicioſa inflammatio ſingultus cauſa in febribus. 140 141 refrigerationis effectus. 71

Cerebro poſt inflammationem refrigerato, in veternum delabi, letaliſſimum eſt. 66

Cholera cui ætati magis familiaris. 37

Cibus quando ægrotis eſt offerendus. 82

Cibi faſtidium in morbo diuturno, malum. 20 multi vel corrupti quomodo ſingultum producunt. 139 140

Cibum vel potum abhorrere in deliriis letale. 68

Ciborum appetentia maxime ad prædicendam ſalutem valet. 64 appetentia, ſi cum aliis pravis ſignis appareat, ſumme pernicioſa. 188 & potus deperdita appetentia quando peſſima. 74 vapores quomodo ſomnum excitant. 106

Clamor cum delirio criſin aliquando portendit. 63

Coctio exquiſita quo morbi tempore fit. 266 optimarum excretionum præcipua nota eſt. 242 perfecta, ſi ſimul obſervatur cum ſignis decretoriis quando criſis exſpectanda. 296

Coctio quid. 238

Coctionis ſigna obſervare optimum eſt in omnibus morbis. 46 quo tempore morborum conſpiciuntur. 240 ſalutem perpetuo ſignificant. 46 ſignum aliquod manifeſtum, ubi primo die apparuit, in primo quaternario morbi ſolutio ſubſequitur. 296 urinarum, aliorumque excrementorum præludiis quando non fidendum. 274

Coctiones celeritatem portendunt judicii, ſecuritatemque ſalubrem. 46 239 264 excrementorum numquam malæ, ſed perpetuo bonæ. 239 240 quid præſagiunt. 278 ſi criſin præceſſerint, numquam moritur æger. 10

Colli tenſio quid & unde. 281

Color faciei viridis minus malus quam niger. 200 flavus bonus, ſi criticus ut in Ictericis. 200

Color Ictericus quid notat in febribus. 202 203 lividus & niger unde, & quid in morbis notant. 201 lividus in labro, palpebra, vel naſo, vel genis, vel extremis, quid notat. 201 pallidus unde in acutis morbis, & mortuis ſolet eſſe familiaris. 201 ſæpe varians cum calore, quare utilis. 91 ruber ſanguinis abundantiam ſignificat. 199

Coloris corporis mutatio citra rationem, peſſima. 199 in pueris quid. 131 quid ad prædictionem 81

Coma a collecto pituitoſo humore in cerebro. 72 a longa vigilia, ex calidiſſima ſicciſſimaque cauſa, letale ſignum. 110 cum laſſitudine quando malum. 101 cum malis ſtipatum ſymptomatibus, malum. 110 cum oculorum perverſione malum. *ibid.* & ſurditas in capitis dolore abſceſſum aliquem poſt aures eructant. 75 109 in acutis morbis poſt longas vigilias, exitiale. 15 in quibusnam ſemper pernicioſum eſt. 110 quantum inſervit ad Prognoſin. 110 quid. 57 106 vigil unde. 108 vigilias ſecutum, niſi criticum ſit, perniciem oſtendit. 110

Comatis pernicioſi exemplum. 109 quatuor ſunt cauſſæ. 107

Comata aliquando non letalia accedunt vigiliis. 105 letalia aliquando ſubſequuntur vigilias aſſiduas. *ibid.* cum aphonia pernicioſa in febribus. 155 156

Comatoſi affectus phreniticis ſupervenientes, letales. 25 quinam dicuntur. 106

Commotio quando fit in toto corpore. 118

Concoctiones biliosorum humorum & putridorum quando fiunt. 239
Congelatio quid. 109
Convulsio a distentione a quibusdam distinguitur. 127 ab Ileo malum. 14 a phlegmone unde. 128 ab æstibus fortibus aut distentio, malum. 133 ab inedia & ebrietate. 36 critica labii. 221 ex angina letalis. 138 cum extremorum refrigeratione in acutis morbis signum maxime pernicioſum. 87 88 dentium exitialis est. 221 ex quibus in pueris prævidetur. 104 fit vel ex repletione, vel ex inanitione. 128 imminente morte in phrenitide accidere solet. 66 in febre, letalis, minime vero pueris. 135 in febribus sæpe ab exusta bile. 61 in phrenitide pessimum symptoma. 33 musculorum mandibularum Cryſmos Græcis dicta. 127 Paralysi superveniens affectum non solvit neque contra. 79
Convulsione mortuorum ex vulnere plura exempla. 136 137
Convulsiones a doloribus & assiduis vigiliis, pernicioſæ sunt. 110 a siccatis partibus nervosis, exitioſæ. 183 ab Ilei inflammatione, pernicioſæ. 136 comatosis succedentes, malæ. 111 ex quibus signis futuræ possunt præcognosci. 131 ex tremoribus, letalissimæ. 84 febribus ardentibus supervenientes letales. 104 in semina ex semine retento. 130 131 in febribus ex ore ventriculi non sunt timendæ, vomitu tolluntur. 134 in Phreniticis insanabiles. 136 in vulneratis plerumque letales. 136 138 letales a capitis vehementi dolore. 97 pernicioſæ numquam solæ, sed cum aliis signis perniciem indicantibus apparere solent. 138 quæ certum exitium excitant. 138 quænam curari possunt. 133 quid præsagiunt. 131 pervenientibus febribus sæpe solvuntur. 67
Convulsionum causſæ. 124 ad 128 cum chordis tensis comparatio. 128 futurarum signa in pueris. 131 tres differentiæ. 128
Cor ab humore acri vel maligno affectum quid producit. 89 quibus excrementis fuliginosis exsuperet, unde noscitur. 159 unde sæpe palpitat. 125
Cordis caliditas quomodo refrigeratut. 158 calor respirando recreatur, sitque purior. 8
Corpus a morbis defenditur tribus ipsi insitis facultatibus. 7 inflari ac tumescere in morbis, numquam bonum. 197 extenuatum ac maxime contabescens videri in principio morborum acutorum, pessimum. 195
Corpora calida & sicca quibus morbis obnoxia. 38 humida succique plena, si veneri temperate operam dent, raro morbis corripiuntur. 30 cito incalescere, & frigefieri, malum. 84 præ gravitate deorsum delabi, quid significat. 113 quænam minus periclitantur a morbis. 97 tumida in morbis fieri quid significet. ubi a sputo sanguinis contabescunt, exitiale est. 195
Corporis gestus mutatio in acutis morbis delirii indicium. 56 partes, quarum observatio facit ad prædicendi rationem. 193 turbationes quæ crisin indicant. 265
Crimnodes hypostases quænam dicuntur. 346 & quid notant. 356
Coxendicis dolor senes ad mortem usque comitatur. 39
Crisis bona vel mala unde prænoscitur. 261. 262. 263. 264 hora cognosci potest ex accessionis temporum accurata observatione. 297. 298 in proximo die decretorio erit, si in die indicante signum coctionis conspectum fuerit. 298 letalis imperfectæ historiæ. 272. 276. 277. modus ex naturæ inclinatione noscitur. 277 278 nulla bona apparet, cruditatis signis conspectis. 199 optimæ certissima signa in plurimis morbis quænam. 265. 269 perfecta in morbo salutari nonnisi in vigore morbi exspectanda. 297 perfecta si futura sit, necesse erit, augmentum morbi prius absolvi. 297 quando in altero quaternario futura significatur. 265. 296 quando in primo futuro die decretorio fit. *ibid.* terminus majori ex parte erit septem dierum ab ea die, in qua ceperunt decretoria signa apparere. 295 unde sæpius judicio non respondet. 298
Crises ante statum non sunt omnino bonæ neque certæ. 270 atque judicia raro prima & secunda die fieri possunt. 251 bonæ, malæ, & imperfectæ quænam. 258 compositæ, quibus morbi judicantur. 293 exitiales quo morbi tempore fiunt. 297 in principio morborum, cum exitiali signo, malæ. 270 incertæ quomodo bonæ, vel malæ noscuntur. 272 optimæ salutares, securissimæ ac per-

fectæ in ſtatu naturæ appaſent. 266 per dejectiones quando fiunt. 280 per ſudores prævidendæ. 289 pernicioſæ quomodo cognoſcuntur. 272. 277 quomodo ſæpe fallunt artis Medicæ ignaros. 266 quæ fiunt in augmentis morborum neque certæ neque fideles ſunt. 270 quænam fiunt per excretiones, & quomodo noſcuntur. 280 per hæmorrhagiam. 281 287 quando & in quibus certo & cito prædici poſſunt. 260. 261 quando fiunt per menſes. 280 quomodo per urinas prævidentur. 289 tria tantum prænuntiare poſſunt. 265 veræ quatuor tantum ſunt. 258

Criſium ſpecies unde cognoſcuntur. 280 tempus ex natura morborum quomodo cognoſcitur. 296. 298

Cruda excrementa quænam dicuntur. 241

Cruditas quid. 238 ſemper mala in morbis & pejor ſi cum malis ſignis. 241

Cruditates & coctiones in excrementis ſunt ſigna morborum temporum. 41

Cruditates humorum quando fiunt. 239

Crura cur ſæpius ſtupeſcunt in renum dolore ex inflammatione orto. 79. 92 ſupini cubantis admodum reducta, & diſtracta, in acutis morbis delirii indicium. 56

Cura tremoris cauſſæ. 122

Cutis dolor quare gravis obſervatur. 91 frigore obduratur. 129 puſtulæ, atque efflorescentiæ præter rationem evaneſcentes in delirio ſumme pernicioſum ſignum. 70

D

Dactilorum immaturorum eſus rigorem produxit. 142

Decubitus actio unde pendet. 113 gravi morbo qualis. 113 malus ex oris ventriculi vitio, vel propter virium imbecillitatem. 117 qui ſalutem præſagit futuram in morbis. 113 ſupinus quænam mala producere poteſt. 115

Decubitum ferre non poſſe in morbis quid notat. 49

Dejectio alba in phreniticis mala. 68

Dejectiones aquoſæ candidæ, aut admodum croceæ aut ſpumantes pravæ. 21 biliosæ ſupervenientes quibus ſurditas, illam tollunt. 11. 75 colliquativæ quando in acutis morbis peſſimæ. 34 nigræ, lividæ, optimæ, fœtidæ exitiales. 21 paucæ, glutinoſæ, pingues, candidæ, ſubcroceæ, læves, colliquationis indicia. *ibid.* quales & quando in acutis morbis peſſimæ. 34 in deliriis.

Delaſſati, caliginoſi, pervigiles, in ſomnum inclinati, deſudantes, recaleſcentes, malum. 102

Delirantes quinam dicuntur. 55

Delirantium prognoſis quomodo recte aſſequitur. 58

Deliri homines ſi hianti ore dormiant, pernicioſum eſt. 69 ſi evadant ægri ab evacuationibus, letaliter ſe habent. 76

Delirium cui jam fractis viribus contingit, peſſimum. 69 aliquando larga ſanguinis eruptione judicatur. 62. 63

Delirium cum notabili oblivione, ignavia, & ſtupiditate apparens exitii eſt indicium. 69 ex Hypochondrii pulſatione quando prævidetur. 234 in pleuriticis unde ſæpe prævidetur. 33 in quibus morbis derepente fit, profluvium ſanguinis ſignificat vel Urinæ. 63 nullum ſecurum reputatur. 62 peſſimum, poſt quod mala ſequetur evacuatio. 63 phreniticum quomodo ex ſputatione frequenti prævidetur. 289 quando ab aurium ſonitu prævidetur. 78 quid. 58 ſolvitur aliquando per ſudorem, ſomnum. 63

Delirii certum ſignum ex urina quodnam. 346

Deliria criſin portendentia quomodo apparent. 62. 63 exitialia, quomodo a non exitialibus dignoſcuntur. 62 omnia unde concitantur. 60 quæ cum febre fiunt, Phrenitides vocantur, ſed ſæpius improprie. 60 quæ mortem prænuntiant, quomodo dignoſcuntur. 65 quæ ſalutem in morbis præſagiunt. 62 quæ ſine febre maniæ, ſeu inſaniæ vocantur. 60 quænam ſalutarem criſin antecedunt. 62 ſi cum coctionis ſignis appareant in morbo criſin denuntiant. 29 ſolvuntur urina multam ſubſidentiam habente. 63 vehementia ſeu ferina convulſionum futurarum ſigna. 131

Deliriorum futurorum ſigna quædam. 123

Dentes quid ad præſagium faciunt in acutis morbis. 218. 219

Dentium invita concuſſio quid. 127 ſtridor inſolitus in deliriis ſignum ſumme exitioſum. 69

Dentibus ſtridere & delirare, mortem jam prope eſſe notant. 221

Deſipientia & convulſio in vigilia, malum.

104 & rigor ex multa potatione malum. 15 ferox & furioſa unde. 61
Deſipientiæ feroces quæ in brevi deſinunt, ferinam convulſionem prænuntiant. 32 hecticæ quando non amplius ſolvuntur. 66 quæ fiunt cum febre continua, naturam viribus morbo longe infirmiorem ſignificant. 13
Deſipientiarum vehementiſſimarum propria credita ſymptomata. 66
Deſipientes ſi non videant, ſumme pernicioſum. 71
Deſtillatio quæ ex naribus cum ſurditate & ignavitate parva eſt, difficile quippiam habet. 76
Diabetes quid ſignificat. 21 quoſnam pravos effectus producit. 37
Diapyemata quid. 369
Diaſtole quid, ejuſque uſus. 159
Dies critici coincidunt cum acceſſionum motibus. 254 decretorii complures ac fere innumeri obſervantur. 251 decretorii, judicatorii, atque critici quinam vocantur. 251. 252 decretorii quid ad prædictionem in morbis. 255 indices fiunt aliquando decretorii, & decretorii indices. 253 intercalares, atque intercidentes vel provocatorii quinam & quare ita dicti. *ibid.* judicatorii quomodo dignoſcendi. 252 omnes ad vigeſimum uſque decretorios aliqui fecerunt. 251 vigeſimus eſt terminus morborum acutorum. 279
Dierum decretoriorum cognitio neceſſaria. 250. 251
Diſpepſia naturalis facultatis debilitatis ſymptoma. 14
Diſtentio quid. 127
Dolor acutus quinam & unde. 92 aurium acutus cum febre continua ac vehementi difficilis eſt, & quid inde. 220 quinam periculoſus. 97
Dolor capitis acutiſſimus in Phrenitide peſſimus. 33 & ſtomachi cum Hypochondrio contento, malignum. 98 in turbulentis, vigilibuſque mentis aberrationem indicat. 57 quando futuri vomitus ſignum. 73 quando in phrenitide letalis. 97 vehemens & aſſiduus & præſertim in auribus in acutis febribus delirium portendit. 57
Dolor cervicis in hæmorrhagia futura. 282 283
Dolor circa ventris ſedes ſignificatur a decubitu in ventrem in acutis morbis. 55
Dolor colli ſanguinis e naribus eruptui ſignum in febribus. 94
Dolor faucium quinam in acutis morbis delirium præſagit. 58
Dolor Hypochondrii citra judicium ex Angina quid. 151 non raro delirii nuntius. 58
Dolor lateris ex ſputis biliioſis, ſi abſque ratione evanuerit, in furorem aguntur. 100 in Pleuriticis, ſi abſque ratione evanuerit, portendit delirium. 58
Dolor lumborum & gravitas quid indicat. 287
Dolor manuum & pedum, in febre & convulſio maligna ſunt. 99
Dolor oris ventriculi in febribus malum. 97
Dolor pectoris quinam malus. 97
Dolor quinam in ſuppurationem vertitur. 370
Dolor ſi vigeſimum diem tranſeat, & febris detineat, quid exſpectandum. 94
Dolor ſtomachi cum Hypochondrio contento, dolorque capitis, malignum. 98
Dolor ſtrangulans cum Orthopnœa ſine apparente in faucibus, vel collo, tumore, ſumme exitioſum. 97
Dolor vehemens in pleuriticis, morbi fortiſſimi eſt indicium. 33
Dolor ventriculi oris quid indicat. 287
Dolor ventris laborioſus quinam letalis. 97
Dolor veſicæ quinam exitialis. 97
Doloris impetus e femore malignus. 99 mutatio quænam mala in acutis morbis. 90
Doloris pedis atque coxendicis peſſimi exempla. 99
Dolore coxæ occultato, ſi quippiam in urina ſublime petierit, delirium portendit. 58. 100
Dolore femoris dextri occultato ſtatim delirium accidit. 58
Dolores aurium cum febre continua ac acuta cur pernicioſi. 220
Dolores boni quinam dicendi. 96 capitis quinam maxime timendi. 97 capitis vehementes convulſionum futurarum notæ. 200 circa thoracis & pulmonis ſedes quinam ſuppurationem indicant. 98 cordis vomitus biliioſi & pituitoſi futuri ſignum 94
Dolores criſin ſæpe præſagiunt. 44
Dolores critici in aliqua partium ignobilium & remotarum a viſceribus, excitati boni. 48.

Dolores crurum incepti, continuo deſinentes poſt viſus læſi ſymptomata, malum. 74
Dolores cum pulſu nonnumquam obſervantur in abſceſſibus ad ſuppurationem tendentibus. 91
Dolores exitium prædicentes. 96
Dolores fortes circa viſcera, & convulſiones in acutis febribus, malum. 14 Hypochondrii quando non mali ſunt. 230
Dolores in ignobili parte exorti, qui occultantur fere continuo, ſæpe delirium præſagiunt. 58. 70 in ventre inferiori concitato quomodo ſæpe judicantur. 95 lumborum quinam mali. 100. 101 magni in omnibus morbis quando malum prænuntiant. 48 palpitantes circum umbilicum, quid. 125 partium nobilium & ignobilium quinam boni, quinam mali & peſſimi. 98. 99 quandoque in acutis morbis, etſi ſuapte natura ſemper mali, bonum prædicant. 93 qui a ſuperioribus partibus ad inferiores deſcendunt, optimi. 96 qui ab ægrotis non ſentiuntur quare pernicioſi. 100 qui circa umbilicum continuant in morbo acuto, non raro delirii nuntii. 58 qui cum ratione abeunt, optimam ſalutis ſpem pollicentur. 94 qui morbo progreſſo oſtenduntur, quinam optimi. *ibi.* qui progreſſo morbo manifeſtantur, quinam pernicioſiſſimi. 97 quinam delirium indicant. 56 quid præſagiunt in morbis acutis. 91 ſi convulſionum cauſæ, pernicioſum. 136 ſine voce quinam pernicioſi. 156 ſuræ abſque ratione derepente occultati, deſipientiam pariunt. 99 vehementes, aſſidue morbi fortiſſimi ſunt ſymptomata. 48 viſcerum fortes comatoſis ſuccedentes, pernicioſi. 111 viſcerum fortes quando in acutis morbis peſſimi. 34 quomodo judicantur. 98
Dolorum cauſſa eſt continuitatis partium ſolutio. 93
Dorſum quid ad præſagium in morbis. 227
Dyſenteria in morbis acutis quandoque bona. 12
Dyſenteriæ conſtitutione anni boreali oriuntur. 35 quanam ætate accidere ſolent. 37
Dyſenterici unde dolorem acutum patiuntur. 92

E

Ebrius quiſpiam repente ſi obmutuerit, convulſus moritur, niſi febre corripiatur: 36. 80. 106. 108. 132. 154
Ebriis ſomnus aliquando letalis. 108
Elleborus albus quomodo convulſionem producit. 130
Emproſthotonos tentio ad anteriora. 127
Empyema pleuritidi ſuccedens, malum. 40 intra quodnam temporis ſpatium expurgatur. 372 quid. 369 Hujus indicia. 370
Ephemera peſtilens morbus acutiſſimus paucis horis interimens. 296
Epicoptici quinam vocantur. 133
Epilepſia a ſupino nimis diuturno decubitu. 103. 115 unde prævidetur & quid. 78. 125. 126
Epileptici juvenis exemplum. 130 pueri quando maxime curantur. 133
Eriſipelas ab exterioribus verti ad interiora, non eſt bonum. 40 doloris partium internarum cauſa. 93
Evacuatio immodica calorem nativum reſolvit. 85 optima qualis quæ rigori optimo ſuccedit. 145
Evacuationes immodicæ quomodo anxietatem producunt. 118 quæ non juvant exitii, aut ſaltem difficilis ſunt judicii indicia. 51
Exanthemata aliquando apparent in febribus putridis. 170 cum exitialibus ſignis perpetuo mala. 228 in peſte erumpentia ante coctionem magis utilia quam inutilia. 228. 245 parva intus recurrentia, & evaneſcentia, pejora. 228 præter rationem evaneſcentia in deliriis ſignum ſumme exitioſum. 70 qualia & quando in acutis morbis peſſima. 34
Excrementa cruda & prava obſervantur in morbis mali moris. 26 diſcoloratiora ſpectari, & ægros non ſitire, in quibus morbis ſumme exitioſum. 187. 189 ex corpore exeuntia maxime oſtendunt naturalis facultatis debilitatem. 21 fœtida in morbis ſemper exitioſa. 79
Excrementorum coctio atque cruditas quid ad præſagium in morbis. 238 coctio atque excretio facultatis naturalis robur vel debilitatem in acutis notant. 10 in ægrotis corporibus cauſa ad naturalem facultatem maxime attinet. 184 mutationes in profluviis alvi juvant, niſi mala

mu-

mutatio fiat. 330. maturationes omnes undique tempeſtivæ, bonæ. 239.

Excretio humorum bilioſorum febrium ardentium propria. 264. in morbis, quæ fit ex partibus corporis propria excrementa in ipſis genita excernentibus, iſtarum partium ſanitatem indicat. 10. nulla fidelis eſt, quæ cum ſignis cruditatis apparet. 377. poſt coctionem apparens in morbis, duobus modis fit. 10. quæ poſt concoctionem apparet, ſemper facultatis naturalis robur indicat, certamque ſalutem prænuntiat. *ib.* quænam facultatis expultricis robur: & naturam morbo prævalere oſtendit. 10.

Excretionis criticæ optima ſigna. 268.

Excretiones febrium ardentium criticæ propriæ. 264. 265. humorum particularium quid ad prædictionem. 300. in peſte, vel in peſtiferis febribus nonnumquam repellendæ. 245. in principiis morborum & ante coctiones dantur bonæ atque utiles. 245. malæ & pernicioſæ ſunt, quæ cum ſignis cruditatis apparent & quid præſagiunt. 243. malæ, non allevantes, in die decretorio in morbis acutis, quando peſſimæ. 34. non raro ſpectantur prima & ſecunda die, ſed hæ omnes pravæ exiſtunt. 251. omnes in principio, & crudo adhuc exiſtente morbo, letales. 204. omnes malæ ſunt, quæ non ſedant dolorem. 51. optimæ qua ratione fiunt. 241. 242. quæ in peſtiferis febribus apparent, licet utiles, tamen per ſe non bonæ ſunt. 247. 248. quantum morborum præſagiis inſerviunt. 241. ſpontaneæ in morborum principiis quare fovendæ. 245. ſymptomaticæ quænam. 244.

Excretionum falſo ſymptomaticarum creditarum quædam exempla. 249. 250. multarum ante coctionem conſpectarum, quæ judicatoriæ & bonæ fuerunt, exempla 246. pituitoſarum ſigna in quartanis febribus criſin oſtendunt. 264.

Exſcreatio bilioſa in ſuppuratis exitialis eſt. 22.

Exſpuitio crebra in phreniticis vomitum præmonſtrat. 324.

Exſudantes, vigiles, recaleſcentes, malum. 83. 104.

Extenuatio corporis vel partium per ſe ſolam non dat certum præſagium in morbis. 198. cum ratione quænam dicitur. 196. in acutis morbis, & per initia in corporibus obſervata, quantum ad præſagium. *ibidem*. in febribus quando mala, & quid ſignificat, *ibidem*. in hecticis Phtiſicisque qualis. 197. ſubita quando peſſima. 196.

Extrema admodum algere ex malis vacuationibus, eſt pernicioſum. 89. frigida difficulter recaleſcentia, livida, quando in acutis morbis mala. 33. frigida, & livida in acutis morbis unde exitialia. 201.

Extremorum caliditas in acutis morbis numquam mala. 236. frigiditas nonniſi fortem dolorem ſequi ſolet. 97. frigiditas perpetuo mala, & peſſima ubi interiora calent, & magna ſitis adeſt. 236. refrigeratio unde ſæpe ante criſin producitur. 89. refrigerationes recaleſcentes malæ. 273.

F

Facies bene valentium prorſus ſimilis bona in febribus. 206. mala quænam. *ibidem*. 207. 208. coloratior quandoque bona in febribus, & quid ſignificat. 206. cum ſudore flammans in acutis morbis mala. 23. 146. 316. flammea quando ſignum eſt malignitatis & letale. 208. prærubra ſanguinis erupturi ſignum. 199. 285. quid facit ad prædictionem. 206. rubra futuras aliquando Parotides ſignificat. 207. 208. cum mæſtitia, mala. 199. quid in febribus præſagit, 206. 207. 208. tumida in quibus morbis obſervatur, & quando. 207.

Faciei color bonus, & mæſtitia multa, malum, & quid notat. 83. mutatio non ſemper aliquid certi præſagit in febribus. 206. extenuatio in acutis morbis per initia obſervata quando exitialis. 197.

Facultas animalis & vitalis a naturali videntur procedere. 184. animalis quomodo reſoluta noſcitur. 14.

Facultatis animalis functiones unde robuſtæ & rectæ valentes cognoſcuntur. 9. naturalis functiones & effectus. 8. naturalis robur quomodo cognoſcitur. 10. vitalis functiones. 8. 9.

Facultatum actiones robuſtæ quomodo cognoſcuntur. 9.

Fames convulſionis ſiccæ cauſa. 130. quid 184. unde tremoris cauſa. 122.

Familiares non agnoſcere in acutis morbis delirium indicat. 56.

Faſtidium unde vomituris. 94. 287.
Faſtidia quid in morbis acutis ſæpe indicant. 89.
Fauces dolentes abſque tumore cum implaciditate ſtrangulanteſque ſupra modum, pernicioſæ. 97. in gutturis inflammationibus ſolent non raro magni momenti eſſe ad præſagium. 227. tumidæ & inflammatæ quando bonum. 227
Fatuitas cujuſnam facultatis læſio. 70. cum ſomno profundo ſignum frigiditatis & humiditatis. 107. quid. 59.
Febris acuta quando convulſionibus remedio eſt. 135. acutæ quædam ſigna exitialia. 68. apoplecticis utilis. 158. ardens a dolore ventris laborioſo, letale. 97. rigore ſolvitur. 144 aridior, æqualior, ſine magnis mutationibus uniformis delirium præſagit. 57. aſſidua quæ noctu augetur in tabe. 150. continua aut intermittens ſupervenit ſæpe ab Apoplexia. 32. continuæ mutatio in intermittentem quomodo ex frigiditate cognoſcitur. 86. critice ſublata quomodo noſcitur. 84. ebrietati ſuperveniens quæ utiliſſima. 36. 106. hectica quomodo dignoſcitur. 82. malignæ indicia. 83. quando convulſione ſolvitur. 135. quando dolorem circa hypochondria ſolvit. 230. quartana, quare omnium ſecuriſſima. 32. quartanæ per largam ſanguinis excretionem curatæ exemplum. 304. ſigna letalia. 49. tertiana ſeptenis circuitibus terminatur. 26. tertianæ quarta acceſſio eſt index ſeptimæ. 253. vehemens, aſſidua, calorem corporis reſolvere poteſt. 89.
Febres acutæ & letales ex timore & metu magno. 37. acutæ ſi convulſionum cauſa, pernicioſum. 135. ardentes diebus imparibus accedere ſolent. 254. ardentes, quomodo ut plurimum judicantur. 264. ardentes, ſemitertianæ, erraticæ, malignæ oriuntur anni conſtitutione boreali. 35. ardentes, unde convulſiones pernicioſas producunt. 129. 133. debiles & parvæ quandoque valde malignæ ſunt. 260. Ephemeræ quænam vocantur. 170. epidemicæ, ſemitertianæ ardentes, peſtilentes cum morbillis malignis letales. 36. fumantes quænam dicuntur. 49. hecticæ maraſmodes ſi febribus ardentibus ſuccedant, malum. 40. lygodes quænam dicuntur. 140. maraſmodes quando exitiales. 195. putridæ quænam vocantur. 170. quibus diebus ſolvuntur. 251. 252. ſi imparibus diebus bona ſigna habuerint, certum præſagium faciunt, & e contra ſi paribus. 256. ſimplices ſi in compoſitas mutentur, & phlegmone adjungatur, malum. 40. ſimpliciſſimæ, ac ſignis firmatæ ſecuriſſimis quarto die citius deſinunt. 27. 298. teterrimæ ac ſignis affligentes difficillimis quarto die aut citius interimunt. 298. variæ primo die reſolvuntur. 251. unde horrores continent. 148.
Febrium ardentium letalium ſigna. 146. ardentium malignarum proprium eſt, ut ſummas partes non calefaciant. 82. continuarum in malignas mutatio mala. 40. tertianarum & quartanarum vacuationes criticæ propriæ. 264.
Febribus ardentibus hecticæ maraſmodes ſi ſuccedant, malum. 40.
Febricitantes plurimi ſine ulla mentis vacillatione moriuntur. 54.
Febriles recurſiones cum horrore quænam letales. 149. 155.
Felle ſuffundi ægrotos quid in acutis præſagit. 202.
Feſtucarum collectio in acutis morbis delirii indicium. 55. 56. 57.
Fæces albæ in deliriis ſignum ſumme exitioſum. 68. retentæ & exſiccatæ ileon ſæpe producunt. 37.
Fœtores in morbis quid notant. 78. 79.
Frigiditas corporis quid ad prædictionem. 81. 84. 85 extremarum partium in dolore forti ventris, malum. 86. 97. extremorum ſignum in deliriis ſumme exitioſum. 69. die critico cum ſignis decretoriis criſin prænuntiat. 86. in prælanguidis perpetuo letalis. 84. per totum corpus in acutis febribus mala. 85. plerumque in continuis febribus eſt exitialis, vel longitudinem morbi prænonſtrat. 84.
Frigus comatis cauſa. 107. partium extremarum, atque ad calorem ſi non amplius redeant peſſimum in acutis. 12. partium extremarum, quum internæ uruntur, quid præſagit. 16. quando bonum in febribus ardentibus. 148. ſingultum quomodo producit. 140.
Frigoris immoderati effectus in corpus. 129.
Frigora ea inſanabilia cenſentur, quæ ca-

calidis & ſiccis morbis contingunt. 66. 105. 109.
Frigidum ſi naribus & ore exſpiretur in acutis morbis, exitiale jam eſt admodum. 17. per os & nares exſpirare, malum. 179. 206.
Fulgoris motus oculis apparentes quid notant. 211
Fumus calidus antea non ſolitus in ſudore futuro critico. 294

G

Galenus in prædicendi in morbis arte, poſt unum Hippocratem, maxime claruit. 2.
Graveolentia omnia putredinis ſunt indicium. 79. graveolentiæ gradus prænoſcendi ſunt ad præſagium. 79.
Gravitas capitis hæmorrhagiam præſagit. 410. in naribus quid in morbis. 78. *temporum* hæmorrhagiam ſolet præcedere. 282. 283. totius corporis vel manuum vel pedum ſumme exitioſum in deliriis. 69.
Gaudium immoderatum quomodo tremorem producere poteſt. 122. ingens mortem aliquando producit. 37.
Gena quid ad præſagium faciunt in acutis morbis. 219. rubræ pleuriticorum & peripneumonicorum ſignum eſt proprium. 219
Glandularum tumores quando boni, & quando mali. 236.
Gula graviter læſa homines continuo pereunt. 45.
Gutturis fervor in multis moribundis, auditur, & quid indicat. 180. quando letalis. 375. quando vero non pernicioſus. *ibid.* ſeu ebullitio & unde. 374.

H

Hæmorrhagia critica quænam mala ſolvit. 293. 306. larga aliquando febris quartana fuit judicata. 283. non ſolet ſuccedere ſine capitis dolore vel gravitate. 282. 283. futuræ ſigna. 276. 280. 287.
Hæmorrhoides in viris quænam præſagiunt. 292. delirium ſecutæ, ſalutem prænuntiant. 64. ſuppreſſæ, vel nimis fluentes morbos graviſſimos producere poſſunt. 37.
Hectica febris quomodo dignoſcitur. 82.
Hecticus corporis habitus unde & quid præſagit. 91.
Hectici quomodo dignoſcuntur. 82.
Hecticorum caliditas qualis & unde. 82. 83. habitus deſcriptio. 196. 371.
Hepar poteſt inflammari, abſque apparente tumore Hypochondrii. 231. quibuſcumque circum dolet, his febris ſuperveniens ſolvit dolorem. 93. refrigeratum corporis tumorem producit. 198.
Hepatis dolor proprius gravis eſt & quare. 92. inflammatio, quomodo Hipochondriorum tenſionem producit. 129. inflammatione laborantes plurimi ſine ulla mentis vacillatione moriuntur. 54. tumori hydrops ſuccedens, malum. 40.
Hepate inflammato, ſi ſanguis exeat e nare ſiniſtra, malum. 272. percuſſo, oculi ſtatim cavi evadunt. 215.
Hippocratis & Galeni & aliorum de morbi vigore ſententia. 43. quomodo concilianda. 44.
Hirudinum appoſitio quibus & quomodo conducit. 306.
Horror quando in febribus ardentibus, bonus. 148. ſignum in deliriis ſumme exitioſum. 69. quo vexantur omnes mali ſucci pleni, quum vehementer calefiunt. 148.
Horrores a febribus, Phlegmone, vel quovis modo motis humoribus. 148. crebri, ſeu frequentes quique etiam celeriter permutantur ſunt difficiles. 149. a quibus continuæ febres intermittere cœperunt, boni. 148. crebri non ſufficiunt ad ſuppurationem, & tabem exinde denotandam. 149. decretorii mali, qui cum ſignis letalibus perpetuo exitium portendunt. *ibid.* generatrim criticam perturbationem notant. 49. in acutis morbis quid. 14. totales quinam. 149. qui febre non tolluntur, ſed cum peſſimis apparent vacuationibus, mali. *ibid.* qui purulentos & validos explicant, mali. 149. qui vomitus malos & exitioſos ſequuntur, ſunt judicatorii mali. 149. quid præſagiunt in morbis. 148. quinam ſuppurationem indicant. 150.
Horroribus frequentibus e dorſo, levibuſque qui deſudant, difficili morbo laborant. 149.
Humiditas corporis quid ad prædictionem. 81.

Humor acris ſingultum producere poteſt . 140 ad caput aſcendens facit tum deſipientiam, tum aurium ſonitum . 77 æruginoſus epilepſiæ cauſa . 130 frigidus pituitoſus , quomodo fatuitatem & oblivionem producit . 71 paucus ſed valde virulentus morbos valde exitiales excitat . 51

Humoris quælibet turgentia ſemper verenda . 91 vitioſi excretio quando bona . 11

Humores ab intro foras verſi morbum ſalutarem faciunt . 31 bilioſi, multi tum tenuiſſimi, ac acutiſſimi ab aeris calore nimio in corpore abundant . 35 calidi deſipientiæ phreniticæ cauſæ . 61 quum tantum tranſmittuntur de parte ad partem , fiunt criſes per abſceſſus . 277 frigidi & pituitoſi putreſcentes in cerebro delirium concitare poſſunt . 61 in morbis a viſceribus ad exteriora converti optimum ,& e contra . 40. noxios omnes corporis partes , quoad poſſunt , a ſe propellunt . 8 omnes præter ſanguinem, quare egent præparatione , ut evacuentur . 303. particulares morbos magnos & graves producere poſſunt , 39. pituitoſi & crudi faciunt morbos difficillimos . 39 putridi quare continuo purgandi . *ibid.* putridi quomodo anxietatem producunt 119. qualitate & quantitate viſcera gravantes pulſuum cauſas mutare poſſunt . 163 ſimplices etiam benigniores morbos concitant quam miſti , qui graviores & plures ſimul producunt . 31 ſuapte natura , aut ob inſignem putredinem tenuiſſimi , atque mobiles redditi quando letales morbos faciunt . 35 ſumme putridi ac virulenti morbos graviſſimos concitant . 51 turgentes graves & periculoſos morbos concitare poſſunt . 51

Humorum bilioſorum & pituitoſorum excretionis per alvum ſigna . 392. calidorum copia quid præſagit . 39 calidorum & pituitoſorum in cerebro effectus . 107 proprium eſt , ut facillimi ſint ad excretionem . 265 copia gravans muſculos , tremoris ſæpe cauſa . 122. 123. ſeu multitudo graves morbos parit . 38 cruditas a vigiliis aſſiduis 50. 103. crudorum inſignis copia, aliquando anxietatem producit. 119 crudorum multitudine calorem corporis quomodo ſuffocari noſcitur . 89. maligna putredo pernicioſos morbos facit . 39 omnis multitudo difficilem reddit morbum 123 particularium excretiones quid ad præſagium 300. ſpontaneæ excretiones non omnes bonæ . 301. tenuitas extenuationis cauſa . 196.

Hydrops e longa dyſenteria . 492. ab hæmorrhoidibus ſuppreſſis vel nimis fluentibus . 37 ex nimio ſanguinis fluxu . 309.

Hydropi in primis obnoxii ſunt ſenes . 38

Hydropes quomodo producuntur ab uſu aquarum paluſtrium . 36

Hypochondrium cum dolore tenſum , & cum ipſo Icterius color in corpore in acutis morbis ante diem ſeptimum malum . 34 quid dicitur , 228 hujus contentio cum comate taſtidioſo , & capitis dolore Parotidas effluere faciunt . 108 contentio ſine dolore quid notat . 284 pulſationes quid præſagiunt . 234 ſiniſtri dolor atque tumor non inutilis in acuto morbo . 96 tenſiones quid notant. 229 tumores aliquando optimi . *ibid.* tumores quid ſæpe præſagiunt in acutis morbis . *ibid.* tumores quinam in ſuppurationem vertuntur . 232 233.

Hypochondria craſſitudinem habentia , bona. 229 cum duritie & dolore tenduntur ab inflammatis partibus . 231 in acutis morbis tenſa , dura , dolentia & inæqualia , mala . 230 in acutis morbis vitiata quando mala . 197 244. mollia , æqualia , dextra , ſiniſtraque parte eſſe , & ſine dolore , optimum in acutis morbis . 229 qualia eſſe debent in Ictericia critica . 203 quid in morbis præſagiunt. 228 ſi extenuantur , vel contabeſcunt malum . 230. variæ tenduntur in acutis morbis 230 231 232 vel etiam tenſa aliquando optima . 230

Hypochondriorum dolores cum tenſione , & malis ſignis , letales . 233 pulſus cum frequenti oculorum obtuitu in acutis morbis delirii indicium . 56 ſuppurationes quænam malæ . 233 234. tenſio ſine dolore ſignum hæmorrhagiæ futuræ . 284.

Hypogaſtrium quando ſenſum gravitatis vel doloris ſentit . 291

Hyſterica mulieres unde non raro convulſionibus tentantur . 130

Hyſterici affectus quomodo aphoniam producunt . 154

I

Ichi quid. 77
Ictericia ante ſeptimum diem quando mala vel bona in febribus. 203. 204. 205 cum hypochondriis tenſis & duris mala. 205 quænam bona in febribus. 203 quando exitialis in febribus. 205
Icterus fit aliquando critice. 202 in morbis quare non omnis bonus vel malus. 203 quid & unde. 202 vel ſalutem vel mortem quandoque præſagit & quando. 203
Ignavia quid in deliriis. 69
Ignes ſacri undique cito depaſcentes, anni conſtitutione auſtrina humida & calida oriuntur. 35
Ignorantia cum delirio criſin aliquando portendit. 63 cum rigore mala, mala quoque & oblivio 71 cum rigore quando malum. 13. 146
Ileon a fæcibus retentis & exſiccatis. 37 ſi vomitum, ſingultum, deſipientiam, vel convulſionem producat, malum. 14
Ilii dolor quomodo ſolvitur. 94
Imaginatio admodum læſa in acutis morbis, quando cerebri virtutem maxime debilem oſtendit. 13
Innappetentia cibi in morbis longis nihil eſt deterius. 20. 187. 188. quæ ex delirio non confundenda cum ea, quæ ex facultate extincta vel diminuta. 185 unde in ægris. 185
Inedia aliquando convulſionem producit. 36 quomodo noſcitur faciei extenuationis cauſa. 197
Infantibus quare vigiliæ aſſiduæ tam noxiæ. 103
Inflammatio capitis, in primis in phreniticis, unde timenda. 199 cerebri a ſanguine per nares non evacuato. 78 doloris partium internarum ſæpe cauſa. 93 quæpiam interna caloris retractionis ſæpe cauſa. 89 viſcerum unde noſcitur. 231
Inflammationis vigor ſeu ſtatus quando dicitur. 43 viſcerum pernicioſiſſimæ ac letaliſſimæ ſigna. 233 inflammationes maxime fiunt ex ſanguinis copia. 39
Inflammationibus in partibus externis, multi ſæpe morbi tum acuti tum longi judicantur. 5
Inhorreſcentes anxii, laſſitudine preſſi, lumbis dolentes in profluvium alvi incidunt. 148. 292
Innutritio ſeu atrophia quid & unde. 195
Inquietatio cum ſudore eſt mala in acutis morbis. 23. 51 omnis mala eſt, critica exeepta. 118 quid in acutis morbis ſignificat. 116 quid & quantum ad præſagium facit. 117 ſæpe tollitur oborto vomitu. 119
Inquietationes in diebus criticis apparentes certius habent judicium. 120 febribus intermittentibus & aliis cum nauſea, & faſtidio, haud ſunt malignæ. 119 peſſimæ illæ quæ criticis diebus fiunt nulla optima ſubſecuta evacuatione. 120
Inquietudo ab æſtuoſa febre ſtabili & peſtilenti, peſſima. 50 ab humoribus virulentis æſtu turgentibus & circa præcordia ferveſcentibus, peſſima. 50 ab inſigni viſceris inflammatione, peſſima. 50 cum extremorum refrigeratione in acutis morbis ſignum maxime pernicioſum. 87 in deliriis ſignum ſumme exitioſum. 69 in febribus quid notat. 49 quæ propter languorem virium, ſumme pernicioſos morbos notat. 50
Inquietudines bonæ non raro apparent ante criſin futuram & optimam. 119 criſia ſæpe præſagiunt. 44 in acutis morbis quando peſſimæ. 33 quæ bonas criſes præcedunt, optimæ. 103 quæ cum ſudore malo die decretorio apparent, exitiales. 120 quænam prorſus perniciales. 120
Inſania quomodo ex vomitibus prævidetur. 327
Inſania a cerebri læſione oriuntur. 60 leviter feroces ferinæ ſunt & convulſionem ſignificant. 131 vehementes in febribus, ſilente ægro, ſed non etiam privato voce, letale. 65 vocantur deſipientiæ, quæ ſine febre fiunt. 58
Inſanientibus in Melancholia ſi varices aut hæmorrhoides ſupervenerint, inſaniæ fit ſolutio. 64. 306
Inſomnia conſpicua, non turbulenta, ſed quieta, bona in Phrenitide. 64. 65 conſpicua quare in Phreniticis obſervantur. 77 turbulenta ſemper mala, & Phrenitidem portendunt. 65
Inſpirandi difficultas quid & unde. 281. 284. 288
Inteſtinorum difficultas vel aqua inter cutem a furore, bonum. 63 tormina & morſus quid ſignificant.

Inuſtiones unde convulſiones pernicioſas producunt. 133
Ira acutiſſimas febres ſæpe producit. 37 numquam ſubito mortem produxiſſe refertur. *ibid.*
Jactatio aſſidua in morbis quid notat. 49 membrorum malis dejectionibus ſuperveniens. 120 quid in acutis morbis ſignificat. 117 unde vomituris. 287. 288
Jecur conflictantes morbi graviſſimi ſunt atque difficillimi. 40 durum ac ſcirrhoſum redditur ab uſu aquarum paluſtrium. 36
Jejunium convulſiones ſæpe producit. 36 ſyncopas faſtidioſiſſimas atque hecticas febres producere poteſt. 36
Judicatio quid. 257. 258 quibuſcumque fit, his nox gravis ante acceſſionem eſt. 260
Judicationes quæ fiunt diebus paribus malæ & infideles. 256
Judicatoria non apparent in morborum principiis. 243
Judicium in morbis quando redditur difficile. 51

L

Labores qui in articulis fiunt in longis febribus non inutiles. 95 nimii quid producere poſſunt. 71
Labrum inferius tremulum criſin aliquando per vomitum ſignificat. 222 ſi pervertatur in febre non intermittente, debili jam exiſtente corpore, mors proxima eſt. 136
Labri diſtortio quando peſſima. 74
Labia in tertianis febribus critice ulcerantur. 221 quid ad præſagium faciunt in acutis. 219
Labiorum contractus aliquando alvi biliosam eruptionem ſignificat. 222
Lacryma criticæ unde noſcuntur. 211 in altero oculorum acres appropinquantis delirii præſagium. 57 involuntariæ cum delirio per modum judicii aliquando apparent. 63 involuntariæ in acutis exitioſum. 218 ſpontaneæ effluentes, ubi non criſin, mortem ſignificant. 210 ſpontaneæ ſanguinem e naribus critice fluxurum aliquando notant. *ibid.*
Laſſitudinis ſenſus quid indicat. 100. 287
Laſſitudines aliquando abſceſſus præcedunt. 101 optimæ exiſtunt, quæ aliqua evacuatione evaneſcunt. 101 quænam bonæ obſervantur ad prædicendam ſalutem. 101
Lethargus a collecto pituitoſo humore in cerebro. 72 qualis ſomnus. 105. 107
Lethargici affectus phreniticis ſuperveniens, letales. 125
Leucophlegmatia laboranti fortis Diarrhœa ſuperveniens, morbum ſolvit. 58
Lien durus ac ſcirrhoſus redditur ab uſu aquarum paluſtrium. 36
Lienis inflammatione laborantes plurimi ſine ulla mentis vacillatione moriuntur. 54 tumori hydrops ſi ſuccedat, malum. 40
Lienteria in acutis morbis malum ſymptoma. 20 letalis a longa dyſenteria. 337
Lingua alba, craſſa, cœnoſa, mala in acutis febribus & quare. 223 arida, dura, aduſta, & maxime nigra, ſi cum aliis ſignis malis appareat, exitium præſagit. 225 arida tactui frigida vel calida apparens exitialis eſt. 225 dura & horrida peſſima, phreniticorumque propria. 224 ſi torrefecta, & non vel parum ſitiant phrenitici, pernicioſiſſimum. 68 exuſta & præarida ſine ſiti ſignum in deliriis ſumme exitioſum. 69 exuſti ſi nihil vel parum ſitiant delirii metus. 56 flava, aut crocea, aut nigra, aut admodum rubra, quid in morbis acutis notat. 222 lividi coloris omnium maxime eſt letalis. 223 magna & nigra quare letalis eſt. 224 nigra cum tremore ſeu tremula mala. 223 nigra non abſolute pernicialis. 224 ſolet ardentes peſtilentes febres detegere. 223 qualis videri debet in acutis morbis, & maxime in febribus ardentibus & ſynochis. 222 quid in morbis præſagit. 222 quomodo a febrili calore varie mutatur. 224 rubra ſæpius in anginoſis affectibus & peripneumonicis, peſſima. 224 ſalebroſa delirium præſagit. 57 ſi valde nigreſcit, judicium fit in quatuordecim diebus. 223 variis coloribus varios humores exſuperantes oſtendit. 222
Linguæ color ſubruber in acutis morbis, quid notat. 222 denſæ delirium indicant in acutis morbis. 57 obtremiſcentes unde & quid in morbis notant. 66 præſiccatæ in anginis peſſimæ. 225 unde ſæpe ita mole imminuitur, & quid notat. 224
Lippitudo appropinquantis delirii ſignum. 57

Lippientem alvi profluvio corripi bonum. 331.
Lividitas cum extremorum refrigeratione ſignum maxime letale, 87. totius corporis vel manuum vel pedum ſumme exitioſum eſt in deliriis. 69.
Lumborum gravitas, dolor, atque tenſio menſium futurorum ſigna. 286. 287.

M

Maculæ criticæ, & quæ quum inceperunt, numero atque magnitudine augentur, optimæ. 228. quum lividæ tum nigræ quæ peſſimæ in acutis morbis. 201. rubræ dorſum ac alias partes inficientes in febribus, ſynochis malignis, quando malæ. 200.
Macularum prognoſis unde petenda. 380.
Mador unde & in quibus oritur affectibus. 311. 313.
Mandibularum convulſio unde. 128.
Μανιώδης deſipientia. 65.
Manuum geſticulationes accidunt deſipientiæ exitiali. 68.
Martianus mirabilem Galeni prædicendi in morbis artem miratus, quid ipſum rogavit. 2.
Maxillæ ſi apparent lividæ, vel nigreſcentes, & quidem cum malis ſignis, mortem prænuntiant. 220.
Medici unde ſæpe circa pulſus falluntur. 171. ſi ægrorum exitum antea non prædixerint, ipſorum aut ignorantiæ aut negligentiæ adſcribitur. 2.
Medicamenta quænam ſingultum producunt. 68.
Medullæ ſpinalis inflammatione laborantes, mente conſtare optimum. 54.
Membra nobilia diu graves morbos ferre nequeunt. 235.
Memoria quibus modis læditur. 59.
Mente conſtare, & bene ſe habere ad ea, quæ offeruntur, bonum, contrarium vero malum. 9. 54.
Menſes aliquando per nares vacuantur. 284. in mulieribus unde prævidentur. 292.
Menſium erupturorum ſigna. 286. 293.
Menſtrua ſi plura fiant, accidunt morbi, & ſi non fiant, ex utero morbi contingunt. 37.
Menſtruæ purgationes cum delirio & poſt ipſum conſpectæ judicium portendunt. 64.
Morbus comitialis v. Epilepſia. 130. diuturnus & tardus quando ſolvitur per abſceſſum. 279. qui congruit naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori, minus periculoſus. 30. quilibet ſalutaris quatuor habet tempora. 41. quomodo ſalutaris noſcitur, 46. ſi ab excretionibus reſolvatur, optimæ criſis ſignum. 268. ſi ſummum exercet vigorem, & natura ſit adhuc in principio, peſſimum. 46. ubi celeriori motu, quam natura movetur, malum. *ibid.*
Morbi ab aliis concitati ſæpius in magis ſalutares mutantur. 31. ab humorum crudorum & craſſorum copia debilibus exitiales. 38. accedentes diebus imparibus, iiſdem judicari debent. 256. acuti aliquando judicantur hæmorrhagia ac ſudore copioſo. 293. per hæmorrhoidas cum ſudore judicandi, quomodo cognoſcuntur. 293. frequentiſſime judicantur ſudoribus. 289. plurimi judicantur per urinas. 290. 291. quatuordecim diebus terminantur. 269. quomodo diſtinguuntur. *ibidem*, ubi judicantur & reſolvuntur paribus diebus quicquam boni ac certi non habent. 256.
Morbi acutiſſimi atque exitiales magna ex parte in autumno oriuntur. 36. ſæpe ante quartum diem homines interimunt. 296.
Morbi augmentum quando incipere dicitur. 249. augmenti ſtatuſque tempora differunt in ſanandis & moribundis. 42. complures acutorum judicantur per alvi fluxum. 291. debiles & magis ſalutares ab humorum qualitate & ſimplicitate. 31. ex internis cauſis cognoſcendi. 30. quomodo ex horum idea cognoſcuntur. 27. & Naturæ ſtatus ſi ſimul procedant, ac una moveantur, optimum. 46. exitiales ab humoribus ad vehementer putreſcendum aptis. 40. quo morbi tempore ægros perdunt. 41. 42. futuri ſtatus cognitio neceſſaria ad hujus eventum præſagiendum. 40. infida remiſſio quando. 319. laterales quanam ætate accidere ſolent. 37. letalis præſagium ſan-

ſanguinis exſpuitio . 39. letales ab humorum inſigni putredine , 39. letales habent unum aut duo aut tria tempora . 41. longitudinem quænam indicant . 90. malignitas occulta aliquando anxietatem producit . 118. maligni , quare criſibus ſolent terminari , 260. longitudinem quinam ſudores indicant . 316. 317. morem ſeu modum produnt ſymptomata quæ poſtea ſequuntur . 24. motus celer maxime facit cum critico aliquo ſigno ad prænuntiandam criſin . 263. non raro fiunt exitialiſſimi a ſanguinis plenitudine & copia . 31. omnes & ſymptomata , pulſuum cauſas mutare poſſunt , 163. omnium periculoſiſſimi a bile . 31. omnino ſalutares ſunt , ſi multa aut aliqua ſigna illuxerint . 28. pernicioſi a cibis pravi ſucci ac potus . 36. peſtilentes ab uſu aquarum corruptarum ſeu fœtidarum . 36. principium quodnam dicitur . 297. quando imperfecte judicantur . 290. 297. qui non diebus decretoriis ſolvuntur , reverti ſolent . 271. qui ſenibus accidunt , illos maxima ex parte comitantur ad mortem . 38. quinam per criſim terminantur , quinam vero non . 259. 260. quinam ſenibus letales . 38. ſæpe uſque adeo ſunt graves , ut ſtatim in principio ægrotos interimant . 45. ſtatum abſque ulla coctione obſervare , quare peſſimum . 44. ſumme pernicioſi ab immoderato vini potu . 36. tantum acuti & magni criſibus terminantur . 259. tempora a ſymptomatibus & morbi eſſentia perquirenda . 41. 42. differunt a temporibus naturæ concoquentis . 41. 42. valde exitiales ſæpe a pauco , ſed valde virulento humore excitantur . 51. vigor in morituris qualis obſervatur . 45. victoria quando præſagienda . 41. vigoris tempore ægroti minus quam in augmento conflictantur & turbantur . 43.

Morbo qui vexantur pernicioſo , pauciſſimi aut nulli probe dormiunt . 50.

Morborum acutorum terminus eſt dies vigeſimus . 279. acutiſſimorum aliqui uno tantum die , alii duobus &c. & numquam ultra quatuor dies terminantur . 431. breve principium , breve augmentum , tum ſtatus , tum declinatio proportione ſequitur . 45. curationis inſtituendæ ratio ex ſingulorum morborum temporum , omniumque maxime ſtatus præcognitione pendet . 1. eventus in quibusnam alvi dejectionibus certius dignoſcitur . 330. graſſantium ideæ habendæ , ut morbi cognoſcantur . 29. naturæ Medicæ . 7. omnia tempora inter ſe proportione temporis conveniunt . 45. plurimorum certiſſima optimæ criſis indicia . 266. præſagium certius quomodo habetur . 46. robur & imbecillitas , ex quibus cognoſcatur . 24. 25.

Morbis difficulter reſiſtunt , quibus natura ad hos vergit . 38. ſæviſſimis & ſymptomatibus peſſimis a ſcorpionis ictu vexantur . 51.

Morbos ſalutares & exitiales prænoſcendi empyricus modus . 47.

Morbillis multi ſæpe morbi tum acuti tum longi judicantur . 236.

Morbilli quando in acutis morbis boni . 236.

Morbillorum prognoſis unde petenda . 380.

Mœſti aliquando ſunt ægri , ubi inſtat delirium . 57.

Mollities corporis quid ad prædictionem . 81.

Mores ſi mutantur in acutis morbis laborantibus delirii indicium . 56.

Moroſis quid . 59.

Mors ab ira numquam accidiſſe dicitur , 37. ab ingenti gaudio atque timore . 37. ex quibus ſatis certo præſagiri poteſt . 176. in acutis morbis unde ſequi ſolet . 232. quando proxima prævidetur in febre non intermittente . 136. quando ſine criſi ſubſecutura prævidetur . 259. ſubita quibus accidit in capitis dolore . 78. unde in propinquo eſſe noſcitur . 202.

Mortis inſtantis in ægro ſigna . 74. 76. prognoſticum a ſymptomatibus , quæ præceſſerunt etiam indagatur in acutis morbis . 88.

Mortem in acutis febribus quænam ſigna portendunt . 29.

Motricis facultatis actio diminuta in ſenibus maxime obſervatur . 112. facultatis actio læſa triplex eſt . *ibid.* facultatis cognitio quantum ad prædictionem Medicis conducat . *ibid.* facultatis imbecillitas unde fit . 122. potentiæ vitiatæ actiones in acutis morbis quid notant . 14.

Motus nimius quare plethoricis tam noxius. 37.
Muliebria quibus decurrunt. 94.
Murmur incidens circa Ilia, ſolvit dolorem, qui in Iliis affligit. 94.
Muſcas fruſtra venari exitiale eſt in febre acuta, Phrenitide, Pulmonia, capitis dolore. 98.
Muſculi imbecilli quomodo reddi poſſunt ab intemperie. 122.
Mutationes in morbis, qui doloſi ſunt, juvant. 91. in morbo ſumme maligno quænam letales. 90. quæ in morbis obſervantur ſex ſunt numero. 258. quænam delirium indicant in acutis morbis. 56.
Muti quinam vocantur. 152. unde fiunt ægri in morbis. 153.
Mutitates in febre acuta quænam letales, & quænam diuturnitatem ſignificant. 155. ſubinde rigentibus letales ſunt, iis vero moderatus capitis dolor eſt. 155.

N

Narcotica quomodo coma producunt. 107.
Narium diſtortio quando letalis. 74.
Naſus quid ad præſagium facit in acutis morbis. 219. ſi pervertatur in febre non intermittente, debili jam exiſtente corpore, mors proxima eſt. 136.
Natura juxta Hippocratem & Galenum quid. 6. 7. morbo robuſtior quomodo cognoſcitur. 4. 50. triplici differentia diſtinguitur. 7.
Natura a morbo oppugnatæ cum arce obſeſſa elegans comparatio. 3. 4. vires quomodo cognoſcuntur. 6. robuſtiſſimæ ſigna. 156. tempora, quo magis diſtant a morbi temporibus, eo pejus. 46.
Naturalis facultatis cognitio, quantum ad præſagium in morbis neceſſaria. 184. debilitatis ſigna. 19. 238. tres ſunt actiones præcipuæ. 184.
Nauſeæ quid in morbis acutis ſæpe indicant. 89.
Nephritis ſenes ad mortem comitatur. 38.
Nervorum obſtructio, ſeu incraſſatio, ſeu obſcuratio torporem inducit. 150. principium ſunt cerebrum atque ſpinalis medullæ principium. 154. vel nervoſarum partium inflammatione laborantes, mente conſtare optimum. 54.
Nox quibus gravis in acutis. 260.
Nubecula in urinis nigra, mala. 357. quare. 353. quæ invehitur in urina, quænam bona. 348.
Nutritio omnis quibus actionibus in corpore perficitur. 184. præcipua actio, qua corporis partes omnes conſervantur. 19. quantum morborum præſagiis inſervit, & unde. 193.
Nutritioni quatuor actiones famulantur. 19.

O

Oblivio cum extremorum refrigeratione in acutis morbis maxime pernicioſum ſignum. 88. cum rigore malum. 146. ex delirio quando minus periculi habet. 71. in acutis morbis quando malum. 13. 33. unde ſæpe futura prævidetur. 78.
Obtuſiones in oculis quid notant. 211.
Oculus ſi lividas aut nigras venulas habeat, quando in acutis morbis malum. 33. unus ſi altero major videatur ex morbis acutis quando malum. 33.
Oculi album ſi rubrum ſpectatur, quando exitiale. 217. aliquando boni apparent in febribus, quæ ad exitium inclinant. 209. audacia, delirii ſignum eſt, & dejectio & fractio, malum. 214. cavi quando perniciem denotant. *ibidem*. conniventes unde in moribundis. 107. demiſſi quid in febribus notant. 110. diſtortio quando peſſima. 74. hebetes videri extrinſecus ſpectantibus, malum. 213. impenſe rubri ſanguinis eruptionem indicant in febribus. 94. lucem effugientes in deliriis ſumme exitioſum. 69. optimi & robuſti perpetuo boni ſunt indicii. 209. perverſi, aut alter altero major, aut candidum rubeum habentes, aut pleni ſanguine, ſumme

me exitioſum in deliriis . 69. prominentes ſeu tumidi in acutis morbis letales. 214. robuſti & recte valentes quid notant. 209. rubri initio morbi numquam bonum prænuntiant. 211. involuntarie lacrymantes ſumme exitioſum in deliriis, 69. ſi ſplendorem amittant, peſſimum . 213. ſublimes quid in morbis acutis indicant . 215. tenebricoſi quando vomitus futuri ſignum. 73.

Oculorum caligo ſanguinis e naribus erupturi ſignum in febribus . 94. ſignum futuræ hæmorrhagiæ . 285. convulſio cum delirio criſin aliquando portendit . 63. alucinatio quid in morbis . 78. hebetudines quid notant. 211. motus quid in morbis acutis indicat . 215. quænam ſigna plane ſunt exitialia . 212. 216. rubor & ſingultus a vomitu, malum . 14. ſplendor cum delirio per modum judicii aliquando apparet . 63. venæ ſanguinis plenæ appropinquantis delirii ſignum . 57.

Oculos aſſidue nictare, pernicioſum eſt . 215. lucem ferre non poſſe quid in morbis notat. 72. 73.

Odores omnes graveolentes & putres in excretis ſunt quidem mali, ſed non omnes letales. 79.

Opiſthotonos tentio ad poſteriora. 127.

Oroboides hypoſtaſes quænam dicuntur. 346. & quid notant. 356.

Os ventriculi a mordentibus humoribus vehementer commorſum calorem nativum ſuffocat . 85. ab humore acri vel maligno affectum quid producit . 89.

Oris tortura ſive ſpaſmus cynicus. 127. ulcera anni conſtitutione auſtrina calida & humida producit. 35.

Ore hiante ſi quis dormiat, exitioſum eſt, & quare letale. 116.

Orthopnoici a reſpiratione intercepta moriuntur. 17. unde ſtertunt. 181.

F

Pallor unde fit. 201.

Palpebra ſi pervertatur in febre non intermittente, debili jam exiſtente corpore, mors proxima eſt . 136.

Palpitatio circa umbilicum non raro deliſrii nuntius. 58. in deliriis ſignum ſumme exitioſum. 69.

Palpitationes cor invadentes quænam letales . 125. quæ in ſyncopen deſinunt, maxime timendæ . 125. quædam ſubſequentes vehementes deſipientias letales exſiſtunt . 67. quid in morbis præſagiunt . 124. ventris, ſignum futuræ hæmorrhagiæ . 284. unde producuntur. 124.

Papulæ parvæ quid. 380. 24. parvæ ſtatim evaneſcentes, peſſimæ. 379.

Paralyſis in morbis quandoque utiliter concitatur. 151. morbum quoque ſimplicem magiſque ſalutarem producit . 32. quænam admodum pernicioſa eſt in acutis morbis, quænam minus . 14. quando in morbis timenda . 80. unde fit. 151. 152.

Paralyſi ſi ſuccedat apoplexia, malum . 40.

Paraphreneſis quid. 59. 84.

Paraphrenitides a cerebri læſione oriuntur. 60.

Paraplectici ſi ægroti evadunt ex acutis febribus, perpetuo malum. 151.

Paraplegia ſæpe ab Apoplexia ſupervenit. 32. in acutis & aliis morbis quid ſignificat. 12. 150.

Paraplexia qualis morbus. 151.

Paraplexias poſt apoplexiam concitari minus periculoſum eſt. 151.

Parotis quando futura cognoſcitur. 96.

Parotides in peſte apparentes ante coctionem magis utiles quam inutiles . 245. oriuntur anni conſtitutione Auſtrina humida . 35. pravæ ſunt, quæ cum urinis parum coctis apparent . 380. quando & quænam bonæ & malæ in acutis morbis. 236. 379. 380. quando critice erumpere ſolent . 110. quando ſurdis & comatoſis fiunt . 75. unde fiunt. 379. unde futuræ prævidentur. *ibid.*

Parotidum eruptio quando coma ſequitur. 108. futurarum ſigna. 280.

Partes exteriores ſi in febribus non intermittentibus frigidæ, interiores urantur, & ſitim habeant, letale. 49. 83. quid ad præſagium in morbis . 236. ignobiles quid ad præſagium . 235.

Perforatio producit dolorem acutum. 92.
Perfrictiones quæ diebus criticis fiunt vehementes a ſanguinis profluvio, peſſimæ. 308. quænam malæ exiſtunt. 120.
Peripneumonia pleuritidi ſuccedens, malum. 40.
Peripneumonici plurimi ſine ulla mentis vacillatione moriuntur. 54. quando ſæpe quarto vel quinto die judicantur. 296.
Peripneumonicorum corpora ſi numquam carne repleantur, & reſtituantur, peſſimum. 195.
Peripneumonicos erectos velle ſedere, peſſimum. 116.
Permutationes crebræ in deliriis ſignum ſumme exitioſum. 69.
Peſtilentia gravis ab immoderata aeris caliditate. 34. 35.
Peſtis proprium ſignum quodnam. 200. 201.
Petaloides hypoſtaſes quænam dicuntur. 346. & quid notant. 356.
Phlegmone ſi febribus ſimplicibus adjungitur, malum. 40. producit dolorem tenſivum. 92. hujus ſuppuraturi ſignum eſt rigor. 83.
Phrenitis a continuis vigiliis. 50. aliquando judicatur per ſanguinem e naribus erumpentem. 63. duobus tantum ſymptomatibus innoteſcit. 26. eo pejor, quo plura habet ſymptomata. *ibid.* unde prævidetur. 199. hujus quædam ſigna. 32. exitialia. 68.
Phrenitides a bile exuſta letales creduntur. 39. producuntur anni conſtitutione boreali. 35. item Auſtrina calida & humida. *ibid.* quo vitæ tempore magis accidunt. 37. vere omnes plerumque letales ſunt. 13.
Phrenitidum peſſimarum proprium, & ſi lingua arefacta ſit, ægros vel nihil vel parum ſitire. 68.
Phrenitica deſipientiæ cauſæ. 60. 61.
Phrenitici cerebrum quomodo habent diſpoſitum. 71. qui in principio clementer ſe habent, ſed crebro permutantur, malum eſt. 68. 121. quinam dicuntur. 58. 59.
Phreniticis exitioſis ſanguinis ſtillicidium e naribus ſupervenit. 68. in quibus albæ urinæ, aut fæces apparent, rigores ſunt pernicioſi. 146. quare vomitus virulenti ſive æruginoſi exitiales. 327. ubi varii caſus ſubinde incidunt, pravum, & convulſionem denuntiant. 68. urinæ albæ, lucidæ, malignitatem denotant. 26.
Phtoe quid. 369. unde. 370. 371.
Phthiſis pleuritidi ſuccedens, mala. 40. producitur anni conſtitutione Auſtrina humida. 35.
Phthiſici, ubi ſputum retinetur, moriuntur. 367.
Phthiſicorum corpora ſi numquam carne repleantur & reſtituantur, peſſimum. 195.
Pityroides hypoſtaſes quænam dicuntur? 346. & quid notant. 349. 356.
Pituita dilutior lentoris expers, quid notat. 336. ſi bili prævalet, ægros plus lethargicos vel comatoſos reddit. 61.
Platonis de natura ſententia. 7.
Plenitudo calorem corporis ſuffocari indicabit. 89. laſſitudinis cauſa. 101. 122.
Plethorici ab immoderatis exercitationibus in affectus inſanabiles incurrunt. 37.
Pleura inflammatio, quomodo Hypochondriorum tenſionem producit. 129.
Pleuritidis magnæ & debilis ſigna. 24. 25. 27.
Pleuritides peſtilentes quales viſæ. 368. ſiccæ ſunt periculoſiſſimæ. 367.
Pleuriticorum proprius pulſus eſt ſerratus. 165.
Præcordia ſuſpenſa, murmurantia quid indicant. 292.
Pruritus quando in acutis morbis bonus. 235.
Puerorum corpora citius febribus extenuantur cum ratione. 194. 195. plurimo innato calore valent, hinc ſua naturæ munere perfectiſſime præſtant. 6.
Pueris quando convulſiones accidunt. 131. ſi ſpaſmus fiat, quid agendum. 132. quare hi facile convulſionibus tentantur. 128.
Pulmonia in quanam ætate fiunt. 37. quædam ſigna exitioſa. 68.
Punctcularum prognoſis unde petenda. 380.
Punctio producit dolorem acutum. 92.
Pulſus a ſuo ſtatu naturali mutatus vitalis facultatis læſæ ſymptoma. 17. æqualis & inæqualis horumque diffe-

rentiæ. 160. 161. arteriæ ſpinam perreptantis hæmorrhagiæ futuræ ſignum. 284. alti & magni in hæmorrhagia critica unde. 293. caprizans. 165. creber, rarus, & mediocris. 160. convulſivus quinam. 162. cur in quibuſdam febribus exitioſis appareat aliquando recte valentium ſimiles. 169. deficientes quinam. 162. dicrotus quinam dicitur. 161. differentiæ ex motionis tempore, vel motionis qualitate. 159. 160. & variis cauſis, *ibid.* ex inæqualibus quinam ſunt valde exitioſi. 167. *Eurythmus* & *Arythmus*, eorumque differentiæ. 160. fit debilior atque inordinatior & inæqualis in mortalibus declinationibus. 268. formicans & languidiſſimus unde, & quare omnium exitioſiſſimi. 165. 166. 167. Hecticus quinam. 161. 162.

Pulſus in hypochondriis & aliis partibus delirium portendunt. 58. in malignisſimis morbis, & in peſtiferis febribus ſanorum ſimiles ſæpe obſervantur & unde. 169. 170. intercidentes quinam. 162. intermittentes qui majus & minus periculi portendunt. 168. 169. intermittentes, qui ſubſequentes motus anteriori habent debiliores, apprime ſunt perniciales. 168. 169. intermittentes quinam prorſus letales, alii ad exitioſos proxime accedunt. 168. 169. languidiſſimi, minimi, tardiſſimi, atque rariſſimi exitioſiſſimi & quare. 169. magnus, altus, mollis, fluitans, undoſus quando ſudorem indicat. 290. magnus, parvus, mediocris, longus, brevis, altus, humilis, celer, tardus &c. unde fit. 163. 164. 165. malus ſolus nullum certum judicium dat. 167. myurus ſive decuratus quinam. 161. 162. omnes ad extremitatem deducti, excepto vehementiſſimo, letales ſunt. 167. myuri quibuſdam naturales ſunt. 169. omnes decem generibus comprehenduntur. 159. qui a naturali ſymmetria, multum recedunt non boni ſunt. 18. 167. omnium languidiſſimus & creberrimus eſt formicans. 161. parvi & duri futuri delirii præſagium. 57. prælanguidi, omnium peſſimum ſignum in deliriis. 70. qualis in hæmorrhagia critica. 286. quales ſanguinis excretionis malignitatem arguunt. 308. quando fiunt celeres. 163. qui nullo modo fiunt in acutis morbis, facultatem vitalem exſtinctam prædicant. 18. quibus cautelis, a Medicis explorandi, antequam judicium de illis ferant. 167. 168. ſalutem & exitium indicantes. 166. ſerratus Pleuriticorum proprius. 165. tardi, & intermittentes in acutis morbis. 18. vacui, & pleni quinam. 160. venarum in febricitantibus, ſanguinis eruptionem ut plurimum indicant. 94. 95. 284. vermicularis & vermiculans qualis dicitur. 161. vibratus quinam dictus. 162. vibroſi unde fiunt. 165.

Pulſuum cauſæ neceſſitas. 163.

Purgantia quibus conducunt. 325.

Purgatio epilepſiam aliquando præcavet. 133. optima qualis, quæ rigori optimo ſuccedit. 145. per inferiora quando conducit. 292. per ſuperiora quibus neceſſaria. 288.

Purgationes nimiæ quomodo convulſiones producunt. 129.

Pus per nares effluens ſolvit aliquando capitis dolorem. 94. quodnam bonum, & malum. 373. unde fit. 369. hujus indicia. 150.

Purulentiam quinam horrores indicant. 150.

Purulenti unde aqua intercutem ſæpe ante exitium laborant. 91. unde cognoſcuntur. 150.

Puſtulæ in dorſo apparentes, quænam bonæ. 227. parvæ, nec augeſcentes, & paucæ malæ. 227. quando in morbis acutis ſalutares. 235. quibus in febre continua toto corpore excitantur, quando letale. 364. 365.

Putredo humorum noſtrorum ab uſu aquarum fœtidarum. 36. humorum maligna pernicioſos facit morbos. 39.

Putredines inſignes in corpore oriri poſſunt a multo cibo & potu. 36. quomodo horrores concitare poſſunt. 148.

R

Ratio admodum læſa, in acutis quando cerebri virtutem maxime debilem oſtendit. 12. 59.

Raucedines & gravedines in valde ſenibus concoctionem non admittunt. 38.

Recidivæ in morbis a criſibus imperfectis, 266. 269. 270. 272.
Refrigerata corpora vix recaleſcere, ſumme in morbis acutis pernicioſum eſt. 84. 87.
Refrigeratio a rigore non recaleſcens, malum. 15. 146. corporis in acutis morbis numquam bona & ſæpe ſumme exitioſa. 85. 80. 89.
Renes ſi graviter lædantur, homines continuo pereunt. 45.
Renum inflammatione laborantes, mentes concitare optimum. 54.
Reſolutio ex aphonia, quomodo prævidetur. 154.
Reſolutiones quænam pernicioſæ ſunt in acutis morbis. 14. 33.
Reſpirare per nares in acutis morbis, malum. 17. 273.
Reſpiratio bona & mala quid in morbis. 156. 176. certius dat præſagiam in morbis quam pulſus. 171. denſa magna, parva. 116. quid notat. 174. 177. difficilis atque frigida cum extremorum refrigeratione in acutis morbis peſſima. 88. e frequenti parva facta, omnium peſſima. 179. extendens, urgens, obſcura, peſſima. 182. 183. frequens & parva cum pravis ſignis, letalis eſt. 179. quænam dicitur. 172. 173. frigida omnium exitialiſſima, & tantum in proxime moribundis obſervatur. 180. in morbis acutis, quæ magna eſt atque rara, præſagit delirium. 17. interrupta exitialis eſt. 148. læſa vitalis facultatis læſæ ſymptoma. 17. magna & rara delirium portendit. 57. 58. quænam dicitur. 172. mala, omnium peſſimum ſignum in deliriis. 70. ſola in morbis exitium non exprimit. 176. 183. maxime ad prædicendam ſalutem valet. 63. parva, & frequens, &c. quid notat. 172. 174. 177. 179. 183. quæ ex magna in parvam, ex rara in frequentem mutatur in acutis morbis, mala. 17. quæ pinnis narium & pectore editur quando in acutis morbis mala. 34. quænam convulſionem ſignificat. 183. qualis in tabidis ultimo obſervatur. 179. quid præſagit in morbis. 171. quid. 171. 172. ſtertoroſa in morbis acutis plerumque eſt pernicialis, & quando certo letalis. 181. ſublimis cum ſignis exitialibus perpetuo letalis. 182. ſublimis & apparens, peſſima, & quænam dicitur. 164. 178. 180. mala confunditur cum magna reſpiratione. 181. 182. unde infantibus interrupta apparet tempore quo plorant. 183.
Reſpirationis cauſa triplex. 172. communes quænam. 208. duæ in primis apparent. 171. 172. uſus. 9. 171.
Reſpirationes æquales & ordinatæ, inæquales & inordinatæ, unde, & quid notant. 177. æquales & inæquales quænam dicuntur. 172. compoſitæ quænam. 172. harum cauſæ. 174. cum ſtrepitu thoracis peſſimæ, & quomodo vocantur. 176. frigidæ omnium peſſimæ. *ibid.* graveolentes maxime exitiales. 79. quænam malæ & peſſimæ. 176. rythmæ & arythmæ. 172.
Rigor ab oculorum perverſione cum laſſitudine & febre, malum. 102. convulſionem in poſteriora inferens, interficit. 129. cum ſudore frigido peſſimus. 15. 146. 147. & deſipientia ex multa potatione, malum. 15. 145. & urinæ ſuppreſſio. 285. quid indicat. 290. eſt totius corporis vibratio. 142. febricitanti ſuperveniens, febre non deficiente, malum, & quando peſſimum. 146. in ſanguinis profluvio aliquando eſt bonus. 145. non potens calefieri quomodo Græcis vocatur. 142. pernicioſus in oculorum perverſione cum febre & laſſitudine. 147. quando in febribus ardentibus bonus. 148. quando letalis. 146. quid. 142. quid Celſo. 127. quomodo quum a frigore tum ab horrore diſtinguitur. 142. quibus febribus proprium eſt. 144. ſuperveniens in febre laborioſa poſt oculorum perverſionem, mortem fatetur. 15. 146. vehemens cum delirio quando criſin portendit. 63.
Rigoris materia quomodo ſæpe ſolvitur. 142.
Rigore ſuperveniente á febre ardente habito, fit ſolutio. 144.
Rigores aliquando in comatoſas finiunt convulſiones. 147. continui aut frequentes quare pravi, & quid indicant. 147. in acutis morbis quid. 14. in Phreniticis, in quibus albæ urinæ aut fæces apparent, ſunt pernicioſi. 174. judicatorii quinam vocantur. 144. quando

do morbi longitudinem prænuntiant. 145. qui febrem non tollunt aut non minuunt, deterrimi. 146. quibus in febribus ſexto die fiunt, difficilis ſunt judicii. 271. unde bilioſæ vacuationes ſequi ſolent. 143.

Rubor faciei criticus quomodo dignoſcitur ab eo qui ab aliis cauſis. 285. faciei quando criſin futuram denotat per ſanguinem e naribus vel per Parotidas. 199. 200. faucium ſi quam maxime foras vertatur, quando ſecuriſſimum. 227. malarum & narium proximam hæmorrhagiam prænuntiat. 285. maxillarum aſſiduus in longis lentiſque febribus quid notat. 208. oculorum, aut maxillarum & narium in hæmorrhagia critica. 294. ſi quam maxime foras vertatur, bonum. 82.

Rubores in brachiis ac cruribus eryſipelatodes ſi fiant in acutis morbis, bonum erit. 200.

Ructus quibus accidunt. 292.

Rythmus in pulſibus quid. 160.

S

Sacer ignis ſi non intro recurrat, optimum. 82.

Saliva multa quando futuri vomitus ſignum. 73.

Salus in morbis ex tribus præcipue & certo prædicitur. 63. in morbis quomodo a deliriis prædicitur. 62.

Sandarachoides hypoſtaſes quænam dicuntur. 346. 356.

Sanitas ex quibus ſignis maxime prævidetur in morbis. 70.

Sanguis critice fluens copioſus anxiis bonus. 119. e naribus profluens ſurditatem aliquando tollit. 75. exiens e nare dextra liene affecto, & e ſiniſtra hepate affecto malum. 372. niger vide bilis nigra, per vomitum excretus in febribus damnatur. 308. quibuſcumque mulieribus ad mammas colligitur, furorem ſignificat. 58. ſi e naribus effluat, utero affecto, malum. 272. ſpumoſus in pleuriticis & peripneumonicis quid notat. 359. ubi multum fluxerit, convulſio aut ſingultus ſuperveniens, malum. 14.

Sanguinis copia non eſt ſalutaris. 39. critici e naribus fluxuri ſignum. 210. 199. e naribus ſtillationes, malum ſemper quippiam notant. 22. ex ore aut auribus eruptio ex cerebro læſo. 157. eruptio fidelius ſalutem prenuntiat, ſi cum ſignis coctionis appareat quam cruditatis. 248. in frigidis morbis & pituitoſis perpetuo mala. 307. larga criticis diebus apparens optima. 304. 305. non judicans, vel mortalis, vel judicatu difficilis. 51. quibus accidit. 94. eruptioni e naribus quinam obnoxii. 301. eruptiones bonę ſunt vel perfectę vel imperfectæ. 302. criticę & optimæ, quibus ſignis innoteſcunt. 302. 303. e naribus in adoleſcentibus magis exſpectandæ. 74. immodicæ quando malę. 304. in quibusnam affectibus maxime contingunt. 281. 286. malę exitiales. 307. exſcreatio in Pleuriticis morbum monſtrat ſecuriorem. 31. excretio, licet Ictericis factis in febribus, & aliis profuit. 303. mala, quomodo ex quantitate cognoſcitur. 308. per intervalla quænam perpetuo malum portendit. 309. per nares in febribus acutis & vehementibus præcipua eſt ad prædictionem. 301. quantum ad prædictionem in morbis. 300. excretionis malignitas, quomodo ex pulſu noſcitur. 308. excretionem ſi præceſſerunt ſigna pernicioſa in excrementis peſſimum eſt. 307. excretiones in duas differentias diſtinguuntur. 302. in quibus morbis & ægrotis ſunt aptiſſimæ vacuationes. 305. largæ bonæ quomodo a malis diſtinguuntur. 304. pauciores ſtatim deſinentes quid præſagiunt. 309. fluxus criticus quando fit, & unde prævidetur. 281. fluxuri per uterum ſigna, 286. jamjam fluxuri e naribus ſigna. 285. immodici profluvii mali effectus. 308. 309. largæ eruptiones e naribus poſt delira bonæ. 64. miſſio epilepſiam aliquando præcavet. 133. nigri excretio, & omnium maxime in extenuatis corporibus, malæ. 308. omnes eruptiones cum deſudatione malignæ ſunt. 308. per hæmorrhoidas fluxuri ſigna. 287. 288. profluvium e naribus, & paucus ſudor cum refrigeratione, malum. 308.

pauca excretio cum variis ſignis varia indicat. 309. ſpumoſi excretio quænam letalis. 367. ſputum poſt quartanam febrem criticum. 366. ſputum quodnam maxime timendum. 366. ſtillæ e naribus cum extremorum refrigeratione in acutis morbis peſſimæ. 88. e naribus in febribus acutis ac inflammationibus maxime damnantur. 22. in comatoſis letales. 111. in omnibus morbis acutis peſſimæ. 310. in quibus morbis, diuturnitatem prænuntiant, & in quibus mortem. 310. quæ in aliquo dierum criticorum apparent, abſolutiſſimam perniciem oſtendunt. 310. quid in morbis ſignificant. 310. ſtillatio e naribus cum ſudore frigido, & extremorum refrigeratione, letale. 311. e naribus cum ſurditate, aut ignavia, in Phreniticis ſignum eſt malum. 68. vacuationes largæ, non juvantes quando in acutis morbis malæ. 34.

Sanguinem quicumque evomunt, ſi ſine febre quidem ſalutare, ſi vero cum febre, malum. 302.

Sapientes ægrotos in deliros, & e deliris ſapientes fieri quare malum in acutis morbis. 90. ſi ſtulti videntur in morbis quando admodum pernicioſum. 70.

Scabies quando in acutis morbis bona. 235.

Scabie multi ſæpe morbi tum acuti tum longi judicantur. 45.

Scirrhus torporis cauſa. 150.

Scorpionis ictus ſæviſſimos morbos & ſymptomata concitare ſolet. 51.

Sedimentum nigrum in urinis in acutis morbis peſſimum. 357.

Sedimenta craſſa in urinis quid notant. 346.

Senes potius intereunt ab Empyemate quam juvenes. 371.

Senum corpora caloris innati inopia ac defectu omnium maxime languidiſſimis functionibus utuntur. 6. morbi ut plurimum ſunt letales. 38.

Senſus æſtus & ardoris circa ſpinam dorſi quid indicat. 287.

Senſuum externorum bona vel mala conſtitutio quid notat. 72.

Septum transverſum a quibus cauſis tenditur. 231. poteſt inflammari abſque ullo apparente tumore externo, *ibid.*

Sermonis mutatio in acutis morbis delirium notat. 56.

Sibili quid & unde. 77.

Siccitas corporis ad prædictionem. 81. totius vel alicujus partis corporis quare ſæpe infelicem morbi præſagit eventum. 91. vigiliam facit. 103.

Signa letalia in morbis unde ſæpe prævidentur. 274.

Silentium in garrulo in acutis morbis, delirii indicium. 55. 149. in inſanientibus triplex obſervatur. 65.

Singultus a vomitu plerumque exitialis, & omnium maxime in Ilei affectu. 141. ab humore inopia ſeu defectu. 39. ab Ileo malum. 14. aut convulſio quibus ſanguis plurimus fluxit, ſuperveniens, malum. 39. 141. cum aphonia peſſimus. 156. damnatur in vomitibus ſinceris. 141. & oculorum rubor a vomitu, malum. 14. 140. ex rigore oris ventris. 140. ex ſanguinis fluxu quare malus. 133. 136. exitiales unde noſcuntur. 141. in acutis morbis quid. 14. in Ictericis unde. 141. in morbis acutis quando malus. 33. quando in hepatis inflammatione fit. 140. unde concitantur. 139.

Sitis ex aquæ marinæ uſu. 187. immoderata in acutis morbis quare perpetuo timenda. 189. inexplebilis ex viperæ eſu. 187. intenſa cum aliis pravis ſignis, peſſima. 87. 189. intenſiſſima quare numquam utilis ægrotis. 187. 189. 190. intolerabilis cum deliriis quando per modum judicii apparet. 63. nulla cum aliis exitialibus ſymptomatibus in febribus peſſima. 20. 190. 195. in quibuſdam delirantibus, non letalis. 190. parva quando futuri delirii præſagium. 57. quænam in acutis morbis mala. 90. quænam optima cenſenda. 187. quænam peſſima & exitialis. 189.

Sollicitudo convulſionis ſiccæ cauſa. 130.

Somnus ad ſanitatem præſtat. 30. ab aſſumtis cibis cur ſolet familiarius fieri. 102. comatoſus unde. 107. delirium ſedans, bonum. 105. diuturnus atque immoderatus quales morbos producit. 37. ebriis aliquando letalis. 108. in ægrotis delirantibus perpetuo magni eſt momenti. 64. in morbis acutis ſi non juvat, letale. 15. omnis na-

naturalis bonus & contra. 108. pravus quomodo a bono diſtinguitur. 50. profundus humiditatis ſignum proprium. 107. pueris omnium maxime utilis. 108. quando fit. 106. qui ægrum oblædit, letalis. 104. ſolvit aliquando capitis dolorem. 94.

Somni magni momenti ſunt ad ſalutem prænoſcendam in morbis. 50. lethargici quinam dicuntur. 106. veternoſi differentiarum cauſæ. 107.

Sopor poſt vigilias aſſiduas, quando in deliriis letale. 69.

Soporiferorum affectuum cauſæ. 107. 108.

Spaſmus cynicus quid. 127. ſi pueris fiat, quid agendum. 132.

Splenis dolor quare gravis obſervatur. 92. indiſpoſitiones frigidæ ſenes ad mortem comitantur. 38.

Spirationis facilitas in morbis acutis quid apud Galenum denotat. 10.

Spiritus difficilis, frigidus, ſublimis, brevis cum Aphonia pernicioſus in febribus, & quare. 155. difficultas ſignum in deliriis ſumme exitioſum. 70. flatulentus producit dolorem tenſivum. 92. vitalis eſt primum inſtrumentum actionis vitalis. 158. quare ſæpius ventilandus & quomodo. 159.

Sputatio delirium ſæpe innoteſcere facit. 55. 56.

Sputum concretum quale eſſe debet. 240. in ſuppuratis quodnam optimum. 364. impenſe fœtidum in pleuriticis & peripneumonicis maxime malum. 362. nullum in pleuriticis & pulmonis, ſumme eſt periculoſum. 360. quid proprie dicitur. 358.

Sputa albicantia. 367. in quibus morbis utilia, in quibus vero inutilia. 360. admodum tenuia & craſſa quid præſtant. 364. 367. bona, ſalutem prædicentia. 353. colore varia quare mala. 368. fœtida quare in acutis morbis perpetuo damnantur. 369. flava, ſincera, mala, omnium vero peſſima nigra. 361. in morbis quando bona, & quid denotant. 10. in tabidis & ſuppuratis quænam peſſima. 34 naturæ ſolita ſervandæ ſanitati utilia. 36. pauca quid notant. 360. purulenta a ſanguinis ſputo Phthiſin indicant. 360. quæ dolorem levant, optima. 262. quæ tuſſim ſedant, optima & contra. 362. quænam mortem, quænam ſuppurationem prænonſtrant. 361. quomodo differunt inter ſe. 358. ſincera quare perpetuo mala. 368.

Status futuri ſeu vigoris morbi cognitio ſumme neceſſaria ad præſagiendum. 40. naturæ ſi conjungatur celeritati ac tarditati morborum, judicium magis certum habebitur. 46. quomodo diſtinguitur. 266.

Stertor letalis quomodo diſtinguitur a non letali. 181. quando eſt unum ex letalibus ſignis. 181. qui a principio morbi in dies augetur, quare pernicialis. *ibid.* quid, & quid notat in pectoris morbis laborantibus. 180. & unde 374.

Stomachus inſtrumentorum naturali potentiæ ſervientium præcipuus. 19.

Stomachum conflictantes morbi graviſſimi ſunt atque difficillimi. 40.

Straboſitas cum delirio criſin aliquando portendit. 62.

Strepitus quid. 77.

Stupor quid in morbis notat. 79. quomodo cognoſcitur a cerebro læſo. 80.

Succus veneficus quomodo calorem nativum reſolvit. 85.

Sudor circa frontem & cervicem letalis in acutis morbis. 181. criticus quinam dicitur. 316. exiguus cum extremis refrigeratis malignum atque pravum eſt. 23. in quibusnam febribus proprium eſt ſymptoma. 313. periodicus quinam dicitur. 316. qualis Phrenitidem ſolvit. 63.

Sudores ab omni evacuatione immoderata, mali. 323. boni & ſalutares quinam. 313. boni quando fiunt in morbis. 251. 267. 313. capitis frigidi in delirio peſſimi. 63. frigidi cum acuta febre mortem, cum mitiori longitudinem morbi ſignificant. 38. cum ſingultu, peſſimi. 141. in febribus cum aphonia pernicioſi. 155. in morborum principio apparentes quare mali. 316. multi non juvantes, mali ſunt. 23. optimi critici quinam. 313. 315. ſæpe quarta die apparent. 314. pauci non minus quam multi malum prænuntiant. 318. quid præſagiunt in morbis. 311. quinam peſſimi. 317. ſyncopen inferentes quando in moribundis apparent. 180. unde fiunt. 312.

Supercilium ſi pervertatur in febre non intermittente, debili jam exiſtente corpore, mors proxima eſt. 136.
Suppuratio quomodo ex dolore circa thoracem & pulmones prævidetur. 98. unde. 369.
Suppurationes luctuoſæ qualem reſpirationem producunt. 175. ſequuntur capitis dolores. 98.
Suppurati moriuntur a reſpiratione intercepta. 17.
Suppuratorum bona ſigna. 219.
Surditas aliquando criſis indicium. 74. apparens cum urinis ſuſpenſionem habentibus elatam ac ſublimem delirium præſagit. 57. critica quomodo a ſymptomatica diſtinguitur. 75. cum extremorum refrigeratione in acutis morbis ſignum maxime pernicioſum. 88. delirii prænuntia quomodo judicatur. 76. in acuta febre poſt evacuationem apparens plerumque eſt letalis. 76. in acutis & turbulentis, malum. 16. letalis eſt, quæ fit exſtincta facultate &c. 75. omnium maxime exitialis eſt, quæ fit cum prælanguidis viribus. 76. quid denotat. 74.
Surditatis quædam delirii ſeu phrenitica ſigna exiſtunt. 76.
Surrectio cum delirio quando criſin portendit. 63.
Symptomata ad quæ attendi oportet in morbis. 156. critica bona quænam indicant. 212. gravia criſin præruntiantia. 44. plurima ſtabilia non ſunt, neque multum durare, & permanere conſueverunt. 28. quænam peſſima in ſingultu. 141. quænam morbos debiles præmonſtrant. 28.
Syncipitis tenſio quid & unde. 275.
Syncope oborta ex venenoſo humore ſtatim moriuntur. 45. vitalis facultatis debilis ſymptoma. 17.
Synochi quando ſæpe quarto vel quinto die judicantur. 296.
Syſtole quid ejuſque uſus. 159.

T.

Tabes a pure, ejuſque indicia. 150. ab anno decimo octavo uſque ad trigeſimum quintum ſolent concitari. 37. unde. 365. 370.
Tabe qui laborant, ſi capilli iis a capite defluunt, & alvi profluvium ſupervenit, moriuntur. 21.
Tabidi extenuati tamdiu vivunt, quamdiu per tuſſim pulmonem expurgare poſſunt. 361. ſeu Phthiſici moriuntur, qui a ſanguinis ſputo per tuſſim purulenta reddunt. 39.
Tactus ſenſus deperditus quid in morbis notat. 79.
Τυφοδης deſipientia unde. 61. & quid. 60.
Temperamentum calidum aptiſſimum eſt ad criſes. 265.
Tempora diverſa in ægrotis eodem tempore obſervantur. 43.
Temporum gravitas ſanguinis e naribus erupturi ſignum in febribus. 94.
Teneſmi producuntur conſtitutione anni boreali. 35.
Tenſio quid notat. 287.
Tertianæ ſalutares æſtate maxima ex parte vagantur. 30.
Teſtes & pudenda ſi revelluntur, dolor vehemens vel mors. 135.
Tetanus affectus acutiſſimus, ſæpiuſque cito interficiens. 131. ſi in dies protrahitur, de ſalute ſperandum eſt. 131.
Tinnitus aurium in acutis febribus delirii indicium. 57. 221.
Tonſillarum inflammationi Angina ſuccedens, malum. 40.
Torpor cum ſurditate, in qua ſtillæ ſanguinis e naribus, exitioſus. 151. ex angina citra judicium quid. *ibid.* ex inflammatione interna quando pernicioſus. *ibid.* in febribus continuis perpetuo malus. *ibid.* qualis affectus & quotuplex & unde. 80.
Torpores & perfrictiones apoplecticis pravum indicant. 151.
Tremor a vermibus. 120. cum delirio criſin aliquando portendit. 63. ex virium infirmitate. 122. in deliriis ſignum ſumme exitioſum. 69. in febribus ſæpe ab exuſta bile. 61. in phrenitide peſſimum ſymptoma. 33. pro vigore ab Hippocrate non acceptus fuit. 121. qualis affectus. 121. unde producitur. 122.
Tremoris letalis exemplum. 123.
Tremores a ſiccatis nervis in phreniticis mortales. 124. cum aphonia pernicioſi in febribus. 155. exitiales a vigiliis aſſiduis.

ſiduis. 50. in acutis morbis quid ſignificant. 12. 14. in convulſiones deſinentes letaliſſimi. 136. in phrenitide, quinam in primis letales. 124. non uti convulſiones Phreniticorum proprii, & quibusnam tantum ſuperveniunt. 67. nulli, exceptis decretoriis, boni exiſtunt. *ibid.* quando apoplexiæ ſignum eſſe ſolent. 123. quando in acutis morbis peſſimi. 33. quid ad præſagium. 121. quinam letales. 125.

Tremorum prognoſis. 122.

Trementes & comatoſi quinam pereunt. 155.

Triſmi quid. 77.

Tubercula ſi fiant in longis febribus bona. 95.

Tumor durus ac dolens in utroque Hypochondrio aut in dextro eſt peſſimus. 232. faciei in acutis morbis ortus quomodo ſæpe diſcutitur. 198. partium neque in acutis, neque multo minus in diuturnis morbis, perpetuo malus. 198.

Tumores diu perſiſtentes critici, in partibus ignobilibus oborti ſalutem aliquando demonſtrant. 235. glandularum quinam boni & mali in acutis morbis. juxta aures in morbis longis, pravi. 213. quinam mali. 236. 378.

Turbationes vehementes & agitationes criſin ſæpe prænuntiant. 44

Tuſſis in morbis pectoris & pulmonum ſputi futuri ſignum. 294. magna, ſicca, ſine ſputis morbum crudiſſimum ſignificat. 25.

Tuſſes quando fiunt. 250.

Tuſſibus in primis obnoxii ſenes. 38.

Tuſſiendi cupiditas in tabe. 150.

Typhodes Græcis quænam febres dictæ. 32.

Typhomania fit in principio morbi & perſeverat diu. 60. quid. 60. 107. & unde. 107.

V.

Vacuationes bonæ vel malæ unde dignoſcuntur. 63. in febribus tertianis, quænam criticæ. 264. immodicæ quomodo convulſiones & ſingultum producunt. 129. 139. quæ juvare debebrent, & non juvant, ſed lædunt, letales exiſtunt. 76.

Vacuationum naturalium & conſuetarum interceptarum pravi effectus. 37.

Varices ſupervenientes quibus utiles. 306.

Variolæ in peſte erumpentes ante coctionem magis utiles quam inutiles. 245. harum prognoſis unde petenda. 380.

Venarum agitatio in ſomnis ſuperveniens rigoribus mala. 147. micatio & pulſus, ſignum futuræ hæmorrhagiæ. 284.

Venus immoderata tremoris cauſa. 37. 122. 123.

Ver morbos ſaluberrimos, minime exitioſos parit. 29. 36.

Veſica graviter læſa homines continuo pereunt. 45. quando inflationis ſenſum habet, quid ſignificat. 291.

Veſicæ ulceratio quomodo ex urinis noſcitur. 342.

Veternum a Phrenitide eſt morbus exitioſiſſimus. 110. quid. 107. ſi Phreniticis ſuccedat, malum. 40.

Victus ratio quid ad morbos vel ſanitatem. 30.

Vigiles ſi evadant ægri ab evacuationibus, letaliter ſe habent. 76.

Vigilia cum extremorum refrigeratione maxime pernicioſum ſignum. 88. in acutis morbis cum convulſione peſſima. 83. in morbis acutis cum ſignis coctionis criſin ſignificat. 103. inculpata eſſe non poteſt in morbo letali. 102. quænam bona judicanda. *ibid.* quid in morbis præſagit. *ibid.*

Vigiliæ aſſiduæ in febribus ardentibus quare convulſiones letales accerſunt. 103. quomodo convulſiones producunt. 129. 136. criſin ſæpe prænuntiant. 44. cum deliriis apparentes aliquando futurum judicium prædicant. 63. in febribus ardentibus unde. 103. in rigoribus malæ. 147. perpetuæ in phrenitide peſſimæ. 33. quæ ſalutem præſagiunt. 103. quænam certum exitium denotant. 104.

Vigor ſeu ſtatus in morituris quinam. 44.

Vini immoderatus potus ſumme pernicioſos morbos producere poteſt. 36. potio qualem appetentiam ſolvit. 185.

Vires naturæ Medici quid appellant. 8. robuſtæ & validæ in pernicioſis morbi imperfectas multas, & pernicioſas criſes futuras indicant. 273. 274.

Virium imbecillitas, primum & maximum in morbis mortalibus ſignum, quod mors ſine criſi ſit ſubſecutura. 259. infirmitas coma producit & quomodo noſcitur. 107.

Viſceris alicujus interni magna phlegmone producitur anxietas. 118.

Viſcera natura primum curat, & maxime cor. 5. quomodo afficiuntur ab uſu aquarum corruptarum. 36.

Viſcerum inflammatio unde noſcitur. 231. phlegmonum ſuppuratorum rari ſunt, qui ſanantur. 83.

Viſio impedita in deliriis ſumme pernicioſum. 69. in acutis morbis læſa quid. 17. tenebricoſa quid in morbis notat. 72. 73.

Viſus hebes hæmorrhagiam prænuntiat, 285.

Vita quid eſt. 113. 158.

Vitæ ſtatus, qualis ſit futurus, unde intelligitur. 158.

Vitalis actionis inſtrumenta, quænam. 158. facultas unde infirma redditur. *ibid.* facultatis actiones debiles quomodo cognoſcuntur. 17. facultatis cognitio quantum ad prognoſticum in morbis neceſſaria. 158.

Vomicæ eruptionis ſymptomaticæ & criticæ ſigna. 372. ruptio intra quodnam temporis intervallum fit. 372.

Vomitio livida, ſi graveoleat, ocyſſimam mortem indicat. 328. pituitæ & æruginoſi humoris in renum doloribus bona. 325.

Vomitiones fœtidæ malæ & graveolentes peſſimæ. 328. omnes bonæ, ſi per has humores morborum cauſæ probe expurgentur. 325. quænam exitiales in morbis acutis. 329. ſinceræ atque implacidæ, malæ. 120. virulentæ in vehementibus deſipientiis letales. 67.

Vomitus æruginoſi a malis & exitialibus ſignis letales. 327. ſeu virulenti ſoli vel cum aliis ſignis conſpecti in febre acuta, delirii ſunt indicia. 58. aliquando aphoniam tollit. 155. bilioſus in muliere bilioſa, cui menſes imminuti, bonus. 326. boni & mali quid præſagiunt. 324. exitioſi, mortem præmonſtrantes. 326. futuri quomodo prævidentur. 73. 123. humorum omnium colorum, exitiale admodum eſt. 31. in principio acutorum morborum copioſi, ſymptomaticique vocati, mali ſunt. 23. in Ileo perniciosiſſimi. 329. in morbis quando boni, & quid denotant. 10. omnes morbum allevantes in morbis acutis boni. 326. pauci mali & quando letales. 327. quales convulſiones tollit. 134. qui abſque perfectæ coctionis ſignis fiunt, multas recidivas prædicant. 325. quid in morbis præſagiunt. 324. 328. ſymptomaticus & criticus quinam. 324. virulenti bilioſi quid in morbis acutis ſæpe indicant. 89.

Vomituum exitialium natura unde innoteſcit. 326. 327.

Vox acuta, clangoſa, mala eſt. 153. 154. cum hypochondriis introtractis pernicioſum. 153. & lugubris, & oculorum obſcuratio, convulſiones accerſunt. 153. clangoſa & plorabunda quando peſſima. 152. 153. vel obtremiſcens in acutis morbis delirii indicium. 57. effracta quænam dicitur. 153. quibus in febre intercepta ſine judicatione, cum tremore moriuntur. 155. vitiata quænam dicitur. 152.

Vocis defectio cum horrore mala. 149. imminuta ſymptomata. 152. interceptio a cerebro vulnerato. 157. quid præſagit in morbis. 152.

Vultus pallidus quando exitialis. 201.

Urina aquoſa, alba, & lucida in phreniticis, mala. 68. aquoſa in pueris deterrima. 351. multam ſubſidentiam habens, ſolvit deliria. 63. multum vitrea, & genituræ ſimilis convulſiones juvat. 135. nigra quando periculoſa. 354. nigra, rufa tenui exitioſior. 354. optima quænam. 239. 347. 348. quantum facit ad prædicendi methodum. 63. 64. quid ſit & quomodo fiat. 338. rufa & bilioſa quid notat. 347. ſuppreſſa brevi homines perdit. 37.

Urinæ albæ craſſæ quid notant. 65. 67. albæ, lucidæ delirium ſignificant. 58. æquales & inæquales quænam dicuntur, & quid notant. 345. aquoſæ, albæ, lucidæ, in deliriis ſignum ſumme exitioſum. 70. 341. ſalutem vel mortem prænuntiantes. 347. 350. color ſeu ardor, aut pruritus quando percipitur. 291. claræ, quæ protinus turbantur, utiles exſiſtunt. 349. coctæ perpetuo bonæ in febribus. 242. copioſæ in Aphonia,

nia. 154. craſſæ in morbi principio apparentes quid notant, 341. 351. duobus modis ſalutem & mortem in ęgrotis ſolent indicare. 347. excretio in non admonitis, pernicioſa. 68. 357. hypoſtaſis quid notat. 345. & quænam. 339. 340. materia triplex. 339. nigræ cum larga, aut narium ſanguinis eruptione menſium copia, non ſunt timendæ. 349. cum nigro ſedimento in febribus ardentibus peſſimæ. 26. craſſæ non reſidentes ceteris exitialiores. 352. 353. nigræ in aquoſas verſæ letales ſunt. 354. nigræ maleolentes exitiales ſunt. 354. nigræ unde. 343. nubes, vel nubeculæ quænam vocantur. 340. oleoſæ poſt nigras ſunt peſſimæ. 342. 343. 354. pingues quænam. 342. 343. prævulvæ cum ſublimi delirium teſtantur. 56. purulentæ quales. 273. quæ non reſident, ſi vires adfuerint, longum fore morbum oſtendunt. 22. quæ multum contentum habent, quando malæ exſiſtunt. 355. quęnam coctionis ſigna præ ſe ferunt. 252. quænam delirium indicent. 56. quænam ex coloribus judicantur bonæ. 339. quænam ex coloribus judicantur peſſimæ. 353. quænam in die decretorio apparentes, criſin ſalutarem judicant. 350. quænam optimæ in temperatis corporibus. 348. quales apparent in febribus putridis. 170. quales & quando pernicioſæ in acutis morbis. 34. quales in Ictericia critica. 203. quales in mulieribus. 348. quales in Phreniticis peſſimæ. 34. quid in morbis præſagiunt. 338. rubræ & ſubrubræ unde fiunt & quid indicant. 341. ſalutares unde aliquando apparent in moribundis. 242. ſi mingantur in non recordantibus delirium indicant. 56. ſubjugales quænam & unde. 343. ſuppreſſio cum delirio quando criſin portendit. 63. tenues cum bono colore bonæ exſiſtunt, & quid indicant. 349. tenues in febribus quid notent. 339. 340. turbidæ quales. 339. 344. virides unde. 342. unde non raro in febribus evidentibus prorſus retinentur. 341.

Urinarum colorum cauſæ quænam. *ibid.* concoctio in febribus acutis erit attendenda. 242. differentiæ unde habentur. 339. variorum contentorum cauſæ. 345.

Urinis quinam morbis judicantur. 267. 285. 291. 338.

Uterus a menſtruis ſuppreſſis vel nimis fluentibus quænam mala pati poteſt. 37. læſus quomodo convulſionem concitat. 130.

Uteri inflammatione laborantes, mente conſtare optimum. 54. morbi a menſtruis ſuppreſſis. 37. tumor durus ex ſuppreſſis vel nimis fluentibus menſtruis. *ibid.*

Utero affecto ſi ſanguis e naribus effluat, & non ex utero, malum. 272.

FINIS.

HIERONYMI FRACASTORII

Veronenſis M. D. V. Cl.


DE DIEBUS CRITICIS

LIBELLUS

Additus PROSPERO ALPINO de Præſagienda Vita & Morte Ægrotantium.

Porro judicari in Morbis eſt, quum morbi augeſcunt, aut marceſcunt, aut in alium morbum tranſeunt, aut deſinunt. Hippocr. de Affectionib.

A Generatione ἀπὸ γενέσεως exordiri oportet. *Erotianus ex Hippocr.*



VENETIIS, MDCCXXXV.

SUB SIGNO ALDI

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



HIERONYMI FRACASTORII

DE CAUSIS CRITICORUM DIERUM LIBELLUS.

NATURA Dei optimi munus quum tota, qua aut oculis cernitur, aut concipitur animo, admirationis multæ plena eſt, tum maxime, qua in animalibus viget; nam & animalia ipſa, & quæ ab iis fiunt ſenſus, cognitiones, appetitiones, generationes, & motus reliqui admiranda omnia ſunt; nec vero, & quæ iis accidunt, non multa ſunt, quæ non parvam ſui admirationem præbent: inter quæ illæ in primis ſunt, quæ Criſes appellari conſuevere, quarum vel adeo mira natura eſt, ut neque adhuc ſatis perſpectum ſit, quam omnino cauſam habeant; nam quoſdam eſſe dies conſtat, quos perinde ac fatales natura ante omnes deligit, in quibus de morbis decernat, quoſdam vero ita neglectos eſſe, ut nullas umquam Criſes videant, nullo naturæ munere habeantur digni; quæ admiratio ſapientes & naturæ interpretes viros in diverſas opiniones perduxit; quippe Pythagoreis viſum eſt certis numeris Deos & naturam gaudere, ante omnes ſeptenario, quem ad rationem Criſium nonnihil conferre arbitrati ſunt. Philoſophorum vero nonnulli cauſam omnem dierum in Criſibus caſui adſcribunt. Aſtronomi autem cælo & ſideribus, Lunæ præſertim, quam per ſeptenarios ſuæ converſionis dies rebus, quæ hic ſunt, impetum quemdam ac vim immittere affirmant. Soli medici videntur mihi rerum ſuarum ſuique muneris obliti: ſoli enim ipſi quum viam facultatemque habere poſſent inquirendi inveniendique rationem Criſium, tum fortuna, neſcio qua, ab Aſtrologis ſeducti perſuaſique illorum opinionem

nem ſecuti ſunt: quos quum omnes, tum præcipue Galenum mirari licet, qui alioqui tantus philoſophus, tam accuratus, & medicinæ parens, ac veluti Deus tam facile perſuaderi potuerit, ut facultate propriæ artis neglecta, præſtigiis alienæ involvi paſſus ſit; ſed certe de magnis ingeniis illud dici par eſt, quod & de magnis venatoribus, qui ſæpe, quod multa ſectentur, quædam negligentius inſequuntur: unde nihil mirum videri debet, ſi & Galenum, qui tot invenit, qui tanta ſcripſit, qui ingentem illam medicinæ molem digeſſit, formavit, condidit, quædam tandem effugerint. Poſteriorum vero uti nulli ab eo recedere auſi ſunt, ita qui hac de re ſcripſere, omnes id ſolum curaſſe videntur, ut aut Geleni ſcripta, aut Aſtrologorum placita declararent; operæ pretium igitur exiſtimamus, ſi rurſus hoc ſaxum vertatur, atque inquiſitio tam dignæ, tam neceſſariæ rei habeatur: ſi enim per ea, quæ in nobis ſunt, ratio omnis & cauſa Criticorum dierum oſtendi poſſit, bene erit ab eo labore Lunam, & beata illa corpora liberare, quæ quum alioqui multa penes nos faciant, tum & multa a nobis & a natura fieri ſinunt. Equidem ſcio Galenum ſophiſtas vocare, conviciis maledictiſque proſequi, ſi qui ratione ulla malint hanc rem inquirere, quam minime Aſtrologis credere, præcipue Ægyptiis, qui aſſeveranter hæc a Luna fieri affirment: ſed certe, nedum ſi Ægyptius aliquis Aſtrologus, ſed ſi Ægyptius aliquis Deus, aut Anubis, aut Oſiris hæc mihi dixerit, non facile credam. Sophiſtam autem obſecro, ne quis me prius vocet, quam hæc amice atque æquo animo cuncta perlegerit. Referemus igitur, quæ in hujus rei perveſtigatione, quam diligentiſſime habuimus, nobis tandem comperta ſunt, quæ neque prius credi audirique volumus, quam & re ipſa, ac rerum (ut ajunt) magiſtra experientia fuerint comprobata: ejuſmodi enim ſunt, ut & rationibus credi, & obſervationibus plane ſperari poſſint.

CAP. I.

DE cauſis igitur Criticorum dierum acturi, ea præmittemus in primis, quæ circa morborum dies ſunt obſervata: deinde referemus, quo pacto alii eorum cauſas reddere tentavere, tum demum, quomodo & nos per magis rationabilia, & conſentanea magis naturæ reddendas exiſtimemus. In primis igitur recipiendum eſt nobis dierum, per quos ægritudines pergunt, alios Criticos dici, in quibus, quæ fiunt Criſes, majori ex parte fiunt, alios vero non Criticos vocari, in quibus perraro viſuntur Criſes: quoſdam vero medios eſſe, obſervatum enim eſſe conſtat & majorum noſtrorum experientia, & ea, quæ in dies fit, certis diebus innumeras Criſes videri, certis rariſſimas, aliquibus medio modo ſe habere: item & inter Criticos vocatos, quoſdam eſſe præcipuos, & quaſi principes, quoſdam principatu minores, porro & alios eſſe indicativos & quaſi nuncios ejus Criſis, quæ in die principe futura eſt. Critici ergo ſunt 4. 7. 11. 14. 20. 21. 27. & ſecundum alios 28. & alii, quos recenſere neceſſarium non eſt.

eſt. Præcipuos autem omnium eſſe conſtat 7. 14. 20. & 21. quamquam de 20. & 21. non plane inter antiquos convenit, uter magis Criticus ſit. Archigenes enim magis amare 21. viſus eſt, Hippocrates vero & ejus ſectator Galenus 20. magis: ſequuntur deinde principatu minores 11. & 4. Non Critici vero ſunt 6. 8. 10. 12. 16. 19. 22. & 25. quamquam 6. quandoque Criſes nonnullas videat, verum illæ non proprie Criſes ſunt, quare & ipſe inter Criticos recenſeatur: medio vero modo ſe habent 5. 9. 13. 17. 8. & 24. ſed horum 17. 13. ad Criticos appropinquant magis, 9. vero ad non Criticos. Indicativi vero ſunt 4. quidem ſeptimi, 11. decimi quarti, decimuſeptimus vigeſimi, 24. vigeſimi ſeptimi, omnes quidem quarti a die, in qua perfecta futura eſt Criſis hæc igitur quod ita ſint, recipiendum eſt: cur autem ita ſe habeant, & unde tanta dierum diverſitas enaſcatur in morbis, nunc inquirendum.

CAP. II.

PYthagoricorum autem dogmata aut referre, aut refellere ſupervacaneum quidem videtur, quando jam ſatis manifeſtum eſt neque numeros, neque in univerſum quantitatem ullam principium actionum eſſe poſſe, niſi forte per accidens.

Philoſophorum vero quicumque rationem dierum in Criſibus caſui donant, rationabilius quidem magna ex parte loquuntur: dicunt enim quæcumque agunt & patiuntur, omnia certa inter ſe ratione proportioneque conſiſtere, & certo tempore agere, hæc quidem majori, illa minori, ut accidit: quare & circa Criſes, quod die ſeptima aut quartadecima humores moveantur in nobis, nulla certa alia cauſa eſt, niſi quod talem accidit eſſe proportionem naturæ ad humorem, quem tanto tempore concoquit, concoctum expellit, hunc quidem in ſeptima, illum in quartadecima: quemadmodum & ignis hoc quidem robur una die, illud duabus abſumit: & bilis quæ flava eſt, per tertias, quæ atra, per quartas movetur: ſicut igitur in his non quærimus rationem dierum, ita nec circa Criſes debemus quærere, ſed ſolum cur hoc humoris genus citius, illud tardius moveatur.

Verum enim vero, tametſi verum hi in univerſum dicunt, certam eſſe inter agentia proportionem, & certam menſuram temporis, tam ſimplicem tamen cauſam habere Criticos dies exiſtimandum non eſt, ſed magis credendum quædam etiam ad Criſes concurrere, propter quæ certis diebus multæ, certis paucæ ſpectentur Criſes: ſi enim ſola illa proportio accederet, profecto non magis ſeptimam, quam octavam & nonam diem Criticam videremus, ſiquidem paullulum immutata materia, & in octava & nona ſpectarentur Criſes.

CAP. III.

CUM Aſtrologis vero, & medicis, qui eos ſequuntur, majus mihi negotium parari video, quorum alios Aſtrologiæ, alios Galeni amor permoveat: ſed hi certe ſi non ob aliud nobis infenſi ſint, injuſte quidem nobiſcum agant, quando & nos alioqui Aſtrologiam veneramur, & Galeni nomen ac memoriam uti ſacram ſanctamque colimus: quicquid vero molimur, id omne veritatis & philoſophiæ amore facimus, quæ in nullius verba jurare addicta eſt. Referemus igitur, quæ medici ex Aſtrologorum decretis ſcribunt; certum eſſe inquiunt per ſeptenarios dies Criſes incedere, circaque illas potiſſimum fieri: quum vero & Lunam quoque certum ſit per ſeptenarios dies & cæli quartas rebus, quæ hic ſunt, impetum quemdam & vim ingerere, quidnam aliud cenſendum ſit, quam Lunam, quod ſeptenarias illas commotiones immittat Criſibus? Efficax quidem atque evidentiſſimum ſignum eſt hoc rationem dierum in Lunam referendam eſſe, quum præſertim nihil aliud ſeſe offerat, quod in medium afferri poſſit. Dupliciter autem quum Lunæ converſionem dimetiamur: & per reditum ad Solem, quem menſem civilem vocant, & per reditum ad certum punctum in zodiaco, quem lunarem appellant menſem: in utroque quidem menſe manifeſtum eſſe dicunt Lunam per cæli quartas & ſeptenarios dies commotionem impetumque rebus hic inferre. Civilis enim menſis ex diebus 29. horis circiter 13. conſtat, quod tempus ſi per quartas ſuas partiaris, erit quarta quælibet dies 7. horæ ferme 9. circa cujus temporis extremas 24. horas res maxime a Luna moveri teſtimonium dicunt & illos facere, qui circa maritima verſantur, & illos, qui circa ruſtica. Similiter autem ſe habere ajunt & in Lunari menſe, qui ex diebus 27. horis 8. conficitur, quod Aſtrologi præſertim Ægyptii affirmant, quibus credendum eſſe Galenus præcipit, ac pene minatur: cujus rei & graviſſimum teſtimonium afferunt, dicunt enim ęgrotante aliquo, ſi Luna forte fortuna in eo puncto fuerit, quo ille exortus fuit, tum ei bonam vel malam conditionem allaturam, quum in quarta cæli ad eum punctum exſtiterit: ſi enim oriens ille in eo puncto ſalutares felices ſtellas habuit, tum Lunam ab ea quarta ſalutem elargituram, ſi vero infelices in ortu ſtellas ſortitus eſt, periturum quidem ab ea cæli quarta. Ex quo exiſtimari debet ſeptenarios Lunæ dies hic magnam quamdam facultatem & vim habere. Hæc igitur ſunt, quæ medici partim nautarum, ruſticorumque teſtimonia, partim Ægyptiorum aſtrologorum de Criticorum dierum cauſis referre ſolent. Nos autem Aſtrologorum ac Galeni amicos rogamus, ut contenti ſint placide & ſine ſtomacho nobiſcum hanc rem inquirere: primum enim examinabimus, quæ experientia obſervationibuſque conſiſtere medici dicunt: mox aperte (ut arbitror) oſtendemus, quomodo quaſi faſcinationibus Aſtrologorum luſtrati, & vomere & ſudare in ſeptima & quartadecima ſine Luna poſſimus.

CAP. IV.

IN civili, inquiunt, menſe tum nautæ, tum agricolæ affirmant per cæli quartas commotionem majorem rebus Lunam dare; at certe decebat eos ab iis accipere, quænam ea eſſent in quibus major illa commotio videatur: ſi enim in univerſum ita eſſe circa maria affirment, falſum nimirum aſſerunt: primum enim circa maris crementa & decrementa (quos æſtus vocant) conſtat non majorem commotionem per quadraturas Lunæ fieri: quando per id tempus vel minimos cerni æſtus manifeſtum eſt: at vero majores & ventos, & tempeſtates non circa ſeptimam Lunæ diem, ſed circa quintam exſurgere nautis omnibus notum eſt: quod & Virgilius & Heſiodus quoque notarunt, quum quintam eſſe fugiendam præcepere; quænam igitur ea ſunt circa maria, in quibus major illa agitatio percipiatur? Teſtacea fortaſſe, & cruſtacea, & id genus dicent ſub quadraturis Lunæ excitari magis, & nutriri, & pingueſcere melius, quod certe neque negamus: nam per conjunctiones Lunæ tum & calor, tum & humor exiguus in illis eſt, vegetari autem excitarique uterque incipit tum forte, quum Luna circa quadraturas verſatur, non quidem ea de cauſa, quod Luna in quarta cæli ſit, ſed ob id magis, quod tunc tantum demittitur luminis, quantum ſufficiens eſt ad fovendum eorum animalium calorem, humoremque pro alimento ſuggerendum, cujus ſignum illud eſt, quod non ſolum per quadraturas pingueſcunt ea animalia, ſed etiam poſt, & magis; manifeſtum igitur ex his eſſe poteſt nihil ea exempla ad Criſes facere, quæ e maritimis accepta ſunt. Circa ruſtica vero quædam ab agricolis tum maxime fiunt, quum ſemiplena eſt Luna, non certe alia de cauſa, quam ut extrema effugiant, hoc eſt, conjunctiones, & oppoſitiones, quorum utrumque quibuſdam rebus obeſſe ſolet, hoc quia nimii humoris eſt, illud quia exigui caloris; quæcumque igitur ob humoris abundantiam nata ſunt aut putreſcere, aut in luxuriem abire, iis oppoſitiones Lunæ timent: quæ vero caloris inopia ſterileſcere, illis conjunctiones cavent: qua de cauſa medium tempus eligere ſolent; arbores igitur, quas duraturas volunt, multas per plenilunia non cædunt, multas per Lunæ ſilentia: in altero; enim ob nimiam humiditatem putreſcant, in altero inopia caloris emarceſcant; nihil enim refert ad putredinem efficiendam, ſive humor plus æquo acceſſerit, ſive calor, qui continet miſtionem, defecerit, ſimiliter & ſatorum quæcumque facile luxuriant, ut faba, & aphaca, & cicer, & pæne omnia, quæ ſiliquam gerunt, nec per conjunctiones, nec per oppoſitiones Lunæ ſerunt, magis vero oppoſitiones etiam timent. Idem & circa vindemiam & vina conficienda nonnulli obſervant, per plenilunia enim humidiora, quam par ſit, & aquoſiora vina fiunt, per coitus vero frigidiora & minus potentia; atque hæc fere illa eſſe exiſtimo, quæ ruſtici obſervent, non quidem quod in quartis cæli ulla vis major inſit, ſed quod lumen id mediocre aptiſſimum quibuſdam rebus conficiendis videtur; quod vero in ore vulgi eſt per quartas Lunæ mutari aeris conſtitutiones, & ſerenitates, & pluvias, & id genus, vel ipſi vulgo notum eſt eſſe mendaciſſimum.

At in lunari menſe Aſtrologi Ægyptii affirmant cęli quartas vim habere maximam, exemplo eorum, qui ægrotant Luna eo in puncto exiſtente, in quo enati illi ſunt: ſed profecto (ut ſuas Ægyptiis condonemus obſervationes) mirari tamen Galenum ipſum debemus, qui quum optime alioqui naturam inductionum noſſet, tum uni tamen exemplo tam facile manus dederit. Inductionum enim aliæ neceſſariæ ſunt, aliæ probabiles tantum, & harum aliæ ſimpliciter probabiles, aliæ ſecundum quid & ad hominem. Neceſſariæ ſunt: aut in quibus inductio ad omnia ſingularia fit, aut in quibus omnia ſingularia prorſus ſimilia ſunt, & nullum accidens pati poſſunt, ut mathematica: aut in quibus inductio in paucis quidem fit, ſed ratio ad naturam communem & ad univerſale fit. Quod ſi nec in omnibus inductio fiat, nec ſingularia prorſus ſimilia ſint, nec ratio ad communem naturam ſit facta, tum quæ fit inductio probabilis ſolum eſt, ſimpliciter quidem probabilis, ſi in valde multis ſit habita, aut ratio ad communem naturam quidem fiat, ſed per communia, ſecundum quid autem probabilis, & ad hominem, ſi in paucis inductum ſit: quid igitur dicemus de Ægyptiorum inductione? primum quidem ſi dixerint in omnibus & quartis cæli, & rebus omnibus ita obſervaſſe, rem quidem vulgo impoſſibilem affirmabunt, ſed certe nec ſingularia prorſus ſimilia ſunt, quartæ quidem enim cæli, quatenus quartæ ſunt, & mathematice conſiderantur ſimiles nimirum ſunt omnes, at quatenus agentes, & quatenus in illis Luna operatur, non ſimiles certe ſunt, ſed accidentia multa patiuntur. At vero nec factam fuiſſe ad naturam communem demonſtrationem dicendum eſt, nam quæ quidem communis eſſe ratio poteſt ad naturam quartarum cæli? niſi forte dicant in quadraturis Lunam terræ proximiorem fieri, in oppoſitionibus plus luminis ad nos demittere. Verum hoc erat in civili menſe, non in lunari, de quo nunc quærimus, quartæ autem lunaris menſis ut plurimum extra quadraturas ſunt; ex his igitur eſt videre neceſſitatem nullam habere Ægyptiorum inductiones, ſed nec ſimpliciter probabiles eſſe, quum nec in valde multis obſervationem fecerint, nec probabilem rationem ad univerſale. Cur igitur ſophiſtas Galenus vocat, cur maledictis inceſſit omnes, qui rem iſthanc velint rationibus inveſtigare? ſi enim vix probabile ſecundum quid, & ad hominem eſt, quod Ægyptii dicunt nihil neceſſitatis continens, quid prohibet aliter eſſe poſſe, quod æquum decenſque eſt a Philoſopho homine inquiri?

CAP. V.

SED quid adeo laboramus? dentur omnes Ægyptiorum obſervationes, valent nautarum, agricolarumque teſtimonia, moveat Luna fortius per quartas cæli utriuſque menſis, moveat per quartas Natalicii puncti fortius, quam tamen cauſam illis Criſibus dabimus, quæ extra quartas utriuſque menſis, extra quarta Natalis fiunt? rariſſime enim contingit, ut ſeptenarii morborum dies cum ſeptenariis Lunæ coincidant.

At hic conſurgunt recentiores quidam Aſtronomi ſimul & medici, ac vo-

cem

cem tollunt, clamantque nos Aſtrologorum decreta non intelligere, neque enim ita eſſe, ut in ſolis menſium illorum, & puncti Natalicii quartis Luna res moveat, loco enim exempli hæc ſunt, ſed ita accipi oportere, ut quocumque in puncto quis ęgrotavit, Lunam per quartas cęli ad eum punctum commotionem inferre, ut ſi heri Dion, hodie Callias in morbum incidit, per ſuam ſeptimam Dioni, per ſuam Calliæ Luna impetum dabit, quare & ad omnes Criſes concurrere, ſed per ſeptenarios cuique ſuos.

Nos vero medicos iſtos atque Aſtrologos rogamus, ut paulliſper conſideant, & vocem demittant; volumus enim quædam eos placide percunctari, ac primum illud, numquid, quod dicunt de Luna, in morbis ſolis ſpectetur, an & omnibus aliis quæ nova fiunt: ſi quidem in omnibus ita eſſe dixerint, numquid igitur, ſi Praxiteles Jovem facturus hodie marmor incidere cœpit, die ſeptima felicius aut infelicius ſculpet? & ſi fontem quis hodie derivaverit, numquid largius ille fluet in ſeptimam? ita enim fieri oporteret, quando & in fluxu humorum noſtrorum idem contingit, & ſi colonus agrum ſtercorarit, opimiorem in ſeptima videbit quam in octava? quoniam ita ſe habet & humor, qui in nobis putreſcit; quæ certe omnia quam ridicula ſint, nemo eſt qui non videat. Si vero in ſolis morbis ſeptenarii hi Lunæ motus vim ſuam habent, mirum profecto eſt cæli quartas virtutes has dare Lunæ in ſolis morbis, & non hoc ſolum Galenus dicit affirmari ab agricolis & nautis, ſed multo amplius teſtimonium afferre voluit; ſed quoniam placide quum his Aſtrologis agimus, placet quidem ut in ſolis morbis inquiramus, quale ſit, quod de Lunæ ſeptimis nuper dixere. Primum autem illud ſtatuatur, Criſim eſſe localem motum humorum, ſi igitur Luna hunc motum facit, quærimus, an eam vim facultatemque movendi humorem per ſe, & (ut ajunt) eſſentialiter habeat, an ab alio acquirat, aut loco, aut aſpectu, aut reflexione luminis, aut alio; ſi quidem eſſentialiter id habet Luna, non igitur in ſeptima magis, quam & in octava movebit, & nona, quæ enim per ſe inſunt, ſemper inſunt, & idem ſemper operantur. Si vero ab alio acquirit, quicquid ſit illud, ſi id quidem unum eſt & determinatum, quales ſunt quadraturæ & oppoſitiones, & quartæ natalis puncti, tum ergo ſolum movebit Luna, quum in eo erit, aut loco, aut aſpectu, aut alio, recedens autem non movebit: at vero ſi unum & determinatum non eſt id, a quo virtus Lunæ datur, ſed talia ſunt omnia puncta, in quibus quis ægrotet, ut per ſeptimam cuique ſuam efficacior ſit Luna, primum quidem hoc poni valde mirum eſt, ſed tamen ponatur: ſit ergo ut hodie Dion ægrotet, cras Callias, poſtridie Plato, in aliis alii, omnes quidem eadem ægritudine & ad ſeptimum Criſim factura, per ſuam igitur cæli quartam Luna unicuique Criſim dabit, in ſeptima quidem Dioni, in octava Calliæ, quæ illi ſeptima eſt, in nona Platoni, ipſi ſeptima, & ita in aliis: at certe ſi ita fiat nimirum Luna quotidie eumdem effectum faciet, Criſim videlicet, & localem motum humorum: quod enim in Dione fit in ſeptima, in Callia fit in octava, in Platone in nona, in aliis in decima: idem autem effectus ſi fiat diebus ſingulis, oportet & cauſam continenter eamdem eſſe; diverſa enim ſi ſit, eumdem effectum

non faciet ; ſi igitur a loco acquirit Luna eam vim & facultatem movendi , omnia quidem loca ſucceſſive , & puncta omnia eamdem habebunt vim , quare & quocumque in loco ſit Luna , idem ſemper operabitur : igitur ita in octava movere Dionem poterit , ſicut & in ſeptima ; locus enim in quo eſt in octava , eamdem vim habet per ſe.

Nec certe dici illud poteſt non moveri in octava Dionem , quoniam illi ſeptima non eſt , quod enim punctus aut locus ſeptenarius alteri ſit , reſpectus quidem eſt forinſecus veniens , quem & nos facimus , reſpectus autem nihil ipſi per ſe agunt , niſi in re , & in cauſa mutatio aliqua ſit.

Si ergo locus , qui in octava eſt , eam vim per ſe habet movendi humorem , ſive ſeptimus ſit , ſive octavus , ſemper eodem modo movebit : quam ob rem nihil tandem eſſe manifeſtum eſt , quod dicunt Lunam ægrotanti cuique per ſuas ſeptimas commotionem ad Criſim dare.

Præterea pene riſu dignum eſt dicere primum , verbi gratia , punctum arietis primo cancri & primo libræ ſolum reſpondere , ſecundum ſecundo , tertium tertio , & ita in aliis , ſimplex enim corpus eſt cælum & ejuſdem naturæ , & virtutis per totum orbem : quod ſi diverſæ naturæ primus arietis , & ſecundus cancri eſt , quo ergo modo Luna eumdem effectum facit , & in ſecundo cancri ; nam & in eo humorem in Callia movet ? muſſitant ad hæc paulliſper Aſtrologi quidam , tamen aliud quid comminiſcuntur , ac dicunt eo in puncto , quo quis ægrotat , infundi a Luna neſcio quid , quod nonniſi per ſeptenarias periodos vim ſuam edit : ſed certe & hoc ridiculum eſt , & in idem redit , quod enim hodie Dioni infunditur , cras infundetur Calliæ , poſtridie Platoni , idem ergo quotidie effectus fiet , quare & eamdem oportet continenter cauſam exſiſtere , unde & idem diebus ſingulis efficiet Luna , & in omni ſubjecto , ſi paratum ſit . Eadem dicantur , ſi Luna eam vim ab aſpectu acquirit , aut reflexione , aut alio.

Poſtremo (ut tandem finem faciamus , jam enim moleſti videri poſſumus aperta in re) ad hæc advertere Aſtrologorum amicos rogamus ; ſupponamus autem in primis actionem omnem nonniſi contactu fieri , cælum autem & ſidera , quum huc non pertingant , agere quidem per aliquid huc demiſſum , id vero aliquid ſpirituale eſſe , dico autem ſpirituale qualitatem contrario carentem , quæ & momento diffundi ſolet , quale lumen , & ſi quid aliud ejuſmodi demitti a cælo poteſt ; ſpiritualium autem actiones (ut in iis , quæ de contagione diximus) omnes hæ ſunt , & non aliæ . Primum quidem videntur poſſe qualitates illas producere , quæ primæ vocantur , ut lumen videmus calorem facere , quocumque id modo fiat.

Deinde videntur & vim trahendi ac fugandi quædam habere , quod in Magnete , Adamante , Electro , & aliis quibuſdam eſt manifeſtum ; certa enim attrahunt , quod non aliter poſſe facere , quam per ſpirituale aliquid demonſtratum eſt in aliis : at vero & in Antipariſtaſi multorum palam eſt fugare ſeſe nonnulla

per

per ſpirituales qualitates; poſſunt deinde & hæc eadem ſpiritualia in animalium membra modo triſtitiam & diſplicentiam, modo ſuavitatem & voluptatem ingerere; recepta enim in nobis neceſſe eſt aut ut grata atque amica recipi, aut ut ingrata & inimica: ſic ſonus, & ſapor, & odor, & lumen, & id genus reliqua recipi conſuevere. Poſtremo quod eadem poſſint id cognitioni repræſentare, unde effluxere, manifeſtum eſt: tot igitur & non plura poſſe facere ſpiritualium unumquodque ſupponendum eſt nobis. Si igitur aliquo horum mediante concurrit ad Criſes Luna, quærendum eſt, quonam prædictorum modo concurrat, generando ne aliquam qualitatum primarum, an trahendo, vel fugando humores, an diſplicentiam vel voluptatem ingerendo? horum enim aliquid dici neceſſe eſt, nam cognitionem ad Criſes faciendas præbere, nemo eſt qui dixerit. Sed certe quicquid horum detur, una quædam communis ratio contra eſt, particulares autem multæ, nam primum quicquid ponant, ſupervacaneum eſt & ſine neceſſitate: ſive enim ſpirituale illud calorem generet, noſtrumque eo modo augeat, ſive trahere vel fugare dicatur, ſive diſplicentiam ſtimulumque in membra ingerere, in caſſum ponunt omnia, quando ea in nobis omnia ſunt, quantum ſit ſatis, calor, propulſatio, ſtimulus; particularius autem inquirendo ſi ſpirituale illud ob id ad Criſes concurrit, quod caloris ſit productivum, lumen ergo id erit: at certe lumen non una die magis quam alia calorem ſuggerit, niſi quo plus ad terram reflectit, quod in Sole quidem accidit, quanto directior ſit nobis, in Luna vero quod plus luminis a Sole recipit, recipit autem continenter plus, quo magis ab eo removetur, quare quum octava & nona die abſcedat a Sole magis, utique & in iis calorem apportabit majorem ſemper, quam in ſeptima. Si vero dixerint non hoc modo ſpirituale illud operari, ſed magis aut trahendo humores, aut fugando, illi quidem primum ſciant, quæ ſeſe invicem trahunt, aut pellunt, omnia finem in natura habere, quo ſic mutuo conſerventur, hæc quidem repellendo contraria, illa trahendo affinia conſimiliaque, at inter cælum & humores noſtros hic finis eſſe non poteſt, neque enim inimicitiam ullam cum humoribus cælum habet, nec trahendi neceſſitatem, quo aut conſervet, aut conſervetur. Præterea, quæ ſeſe trahunt, omnia eo uſque ſeſe attrahunt, quo in unum coeant, niſi impediantur, hic enim attractionis eſt finis: trahi autem humores uſque ad cælum neminem dicturum arbitror, niſi ſi quis etiam putare poſſit paſci ſidera, ut antiqui poetæ dixere. Impediri vero cælum perpetuo tempore a fine ſuo divinum corpus & immortale, inconveniens non parvum eſt: ac demum ſi ſpirituale illud per ſe vim eam trahendi, aut fugandi habet, ſemper quidem per ſe trahet, & non magis ſeptima quam octava, niſi quid aliud ex parte recipientis ſubjecti obſtet ſed neque poſtremo quis poteſt dicere ſpirituale illud uti triſte receptum diſplicentiam in membra ingerere, atque irritare ad eam expulſionem faciendam, quæ Criſis dicitur; primum quidem, quia ſic dicere quidem non poſſunt, cur majorem diſplicentiam dies ſeptima ingerat quam octava & nona, ſi per ſe eam inimicitiam cum membris habet: inde & illud valde mirum videri debet Dioni triſte eſſe ſpirituale hoc in ſeptima, Calliæ vero non, eadem in domo eodem in lectulo jacenti: mox eidem Calliæ in octava triſte & inimicum fieri, Dioni non amplius: ac demum ſi propter ingeſtam diſplicentiam dicatur id Criſes facere, imo

magis oppoſitum ſequi videtur, & impediri potius ea de cauſa Criſes quemadmodum in conſimilibus ſæpe videmus fieri, ſæpe enim futura exiſtente Criſi, accidit eam impediri ex novo recepto dolore, aut ex ira & ejuſmodi, quod jure fit, divertitur enim natura a priori ſtimulo, nova recepta ſpecie triſtitiæ alterius. ſimiliter & ſi operari illud Criſes dicatur, quod ut ſuavi recepto corroborentur membra, eadem opponi poſſunt, non eſſe enim ſuave niſi cui ſeptenarium acceſſit, & in eodem lectulo Dioni, non autem Calliæ ridiculum certe eſt, & philoſopho homine indignum.

Ad hæc igitur ſi quis recto reſpiciat oculo depoſito ſectæ amore, videbit Lunam & beata illa corpora non aliter ad Criſes facere, quam & ad cibi concoctiones, & generationes, & alia id genus: neque enim ſumus, qui & Solem, & Lunam, & alia ſydera negemus multa hic operari & movere, & ad Criſes quoque accedere poſſe, quemadmodum ad alia, uti univerſales multorum cauſas, proprias vero cauſas eſſe, & nihil aliud ad rationem dierum in Criſibus debere inquiri, aut inveniri poſſe, & negandum, & a Philoſopho ridendum fore exiſtimamus. ſed de his ſatis ſuperque dictum jam eſt, accedamus jam ad ea, quæ magis rationabilia ſunt, & ad medicos pertinentia magis, demonſtrantes rationem omnem dierum in Criſibus ex iis pendere, quæ ſunt in nobis.

CAP. VI.

PRincipio illud non ignorandum eſt duo eſſe, quæ potiſſimum ad eam expulſionem faciunt, quæ Criſis dicitur, alterum eſt diſplicentia, ſtimuluſque, quem corruptus jamque inimicus humor in membra ingerit, alterum eſt digeſtio, hoc eſt præparatio illa, quæ requiritur, ſi expelli debet: utrumque enim quum ſimul convenit, tum maxime propulſatio humoris corrupti fit, quapropter rectiſſime Galenus dicebat in paroxiſmis, & circa morborum ſtatus maxime videri Criſes, in paroxiſmo enim ſtimulus atque irritamentum fit maximum, circa ſtatus vero, concocta digeſtaque materia eſt. accidit tamen quandoque tantum eſſe irritamentum, ut quamquam nec plane digeſtus ſit humor, foras tamen pellatur, conatu quodam maximo a natura facto, quod enim ea vis inſit membris, ut nocentia repellat, manifeſtum eſt, quamquam, quo principio & quo pacto id fiat, non ita eſt manifeſtum.

Ergo & quum plus nimio humor exuberat, & quum furenti eſt ſimilis, quaſdam ante tempus accidit Criſes fieri, ſed certe ejuſmodi non propriæ Criſes ſunt, ſed violentiæ quædam magis, in quibus nullus dierum, nullus naturæ ordo ſervatur.

De iis igitur, quæ Criſes non proprie ſunt, ſed irregulares quidam impetus, nullus nobis ſermo erit, ſed de iis ſolum, quæ proprie Criſes ſunt, & cauſam certam habent, & rationem dierum aliquam.

CAP. VII.

AD hæc & illud quoque conſtituendum eſt, rariſſime fieri, ut tranſeunte in humores vitio aliquo, unus tantum humor corripiatur, nam ut plurimum vel duo, vel plures vitium idem concipiunt, aut ſimul, aut poſt. Quippe ea in maſſa ſanguinis, quæ intra venas continetur, confuſi commiſtique ſunt & reliqui vocati humores, cholera, phlegma, & melancholia, ſed ita ut quodammodo actu, quodammodo potentia in ea maſſa ſint, potentia quidem, quia ad minimas, & indiviſibiles particulas redacti ſunt, nec monſtrari poſſunt, hoc quidem phlegma, illud cholera, illud melancholia, niſi particulæ uniantur: at actu ſunt, quoniam tametſi ad particulas minimas deducti ſunt, proprii tamen generis rationem habent: igitur propter vicinitatem confuſionemque eorum rariſſime fit, ut infectionis cauſa communis pluribus non fiat: ſi enim contagio & putrefactio in cauſa eſt, aut liquefactio, aut obſtructio, aut aliud id genus, ægre fit, ut vitium ad unum tantum ſeſe applicet.

Incipientibus autem iis vitiari, tum quod corruptum eſt ſecernitur, quantum fieri poteſt, a reliquo, quod ſincerum eſt, ita operante natura, cui ea vis ineſt, ac tunc actu humor fit, coeuntibus in unum particulis, ac ſenſibilem humorem conflantibus, per quem modum tandem & expulſio deinde fit, & Criſis, modo per unam, modo per aliam partem, qua magis naturæ commodum eſt.

CAP. VIII.

ACcidit autem dum corruptos humores natura ſeparat, & actu facit, ita interdum commiſceri eos invicem, ut unam conficiant formam unumque motum dent, ac morbum unum, qui rationem dominantis inſequitur: unde choleræ nothæ, & pituitæ nothæ, & melancholiæ nothæ contingunt, a quibus & morbi denominantur nothæ tertianæ, nothæ quotidianæ, nothæ quartanæ: ſæpiſſime vero non unam omnes formam conflant, nec unum motum dant, nec morbum unum, ſed plures, unde & morbi compoſiti fiunt.

Si igitur, qui peccat, humor ſimplex, & unus tantum ſit, aut plures quidem, ſed in formam unam redacti, tunc nulla dierum criticorum ratio eſt expectanda, ſed paroxiſmi ſoli conſiderandi ſunt, & eorum dies, in phlegmate quidem quotidianæ, in cholera tertianæ, in melancholia quartanæ, in quibus cadent quidem ſuæ Criſes, ſed ut accidit materiam digeſtam eſſe, quod certam diem nullam per ſe habet, propter quod in tertianis, quæ puræ ſunt, videmus, & quintam indifferenter & ſeptimam & nonam, & in ſummam omnes impares dare Criſes, nec Hippocrates aliud in his præcipit attendendum eſſe, quam dies impares. At vero ubi & plures peccant humores, & non ſub formam unam commiſti, ſed confuſi ſolum, propriam naturam ſervantes, tunc ſperare poſſumus certas dies videre, in quibus Criſes permul-


tæ fiant, certas, in quibus rariſſimæ, alias medio modo ſe habentes, quorum omnium cauſam & certam rationem habere poſſumus: ac talis major eſt morborum pars, quoniam uti raro eſt humorem ſimplicem peccare, ita & plures ad unam formam convenire per rarum eſt: quare in multis morborum, aut Criſes videri poſſunt certis diebus, aut motus ſaltem humorum. Illud vero intereſt inter humores, quod ad eam miſtionem conficiendam, quæ unius formæ eſt, aptiſſimum eſt phlegma, quoniam humidum liquidumque eſt, ac bene miſcibile, ineptiſſima melancholia, quoniam ſiccior terreſtriorque eſt, & ad miſcendum durior, nihil tamen prohibet & phlegma ſeorſum morbum facere, & melancholiam ad unam formam venire.

CAP. IX.

PLures igitur quum humores in morbis peccant; non autem ſub forma una, accidit quidem interdum, ut unuſquiſque illorum manifeſtum prodat paroxiſmum, Cholera quidem tertianarium, phlegma quotidianum, melancholia quartanarium, unde & morbi manifeſte compoſiti fiunt. Interdum vero accidit, ut non omnes manifeſtum dent paroxiſmum, ſed aliqui illorum latentiorem ædant: dico autem latentiorem paroxiſmum, non quod humor non moveatur, ſed quod motus ille ſuboccultus ſit, quod nonnullis de cauſis accidit: ſæpe enim, qui movetur, humor non multus eſt, & vix perceptibile eſt, quo exacerbat: ſæpe ſenſim, & per moras putreſcit, unde nec horrorem incutit, nec calorem acrem apportat: ſæpe & ſupervenit major febri: at vero & quum non paucum eſt, quod movetur, & repente invadit non ſenſim & per particulas, nec majori alteri morbo ſupervenit, tum manifeſtum affert paroxiſmum, & manifeſtæ fiunt compoſitæ pluresque febres & Hemitrithei, aliæ quidem ex cholera, & phlegmate, aliæ ex cholera, & melancholia. Sed certe non frequenter admodum ſit, ut peccantibus pluribus humorum, manifeſtos quiſque motus prodat, verum ſæpius id videri accidit, ut unus manifeſtum ædat paroxiſmum, alius latentiorem, manifeſtum quidem ille, qui principaliter peccat, latentiorem qui non principaliter, ſed quaſi per ſequelam quamdam. Ex his ratio omnis Criticorum dierum pendet, peccantibus enim humoribus magna ex parte morborum pluribus, & iis quidem non facientibus formam unam, unoquoque autem motum ſuum pro natura faciente, cholera quidem per tertias, melancholia per quartas, inde fit, ut quibuſdam diebus humores, qui peccant, ſimul omnes commoveantur, quibuſdam aliqui ſolum, quibuſdam nulli: quare & dierum accidit quaſdam placidiſſimis in morbis eſſe, alias acerbiores, alias acerbiſſimas: placidiſſimæ illæ ſunt, in quibus nulli humores moventur, quod quidem fieri poteſt, quamquam phlegma quotidie motum faciat, ob id, quod phlegma ipſum ut plurimum formam unam cum aliis conflat, & illorum motum conſequitur. acerbiores ſunt dies, in quibus unus humor movetur: acerbiſſimæ, in quibus omnes; aptiſſimæ igitur dies illæ ſunt ad Criſes faciendas, in quibus concurſus fit humorum omnium: acerbiſſimus enim tum paroxiſmus fit ac ſtimulus & irritamentum naturæ maximum, quod præcipue ſequi ad agen-

das

das Criſes dictum eſt ſupra. Porro quoniam nec Criſis fit niſi digeſto præparatoque humore, perfecta autem abſolutaque digeſtio non eſt, donec quod craſſius eſt ac ſegnius, digeſtum ipſum non ſit, craſſior vero & ſegnior omnibus eſt melancholia: inde fit, ut potiſſimum circa melancholiæ & motus & digeſtiones attendantur Criſes, cujus natura (ut mihi videtur) non eſt a multis recte perſpecta: nam ea ſemper fere in morbis cum aliis aut principaliter peccat, aut ſubpeccat ſaltem, quod plurimum eſt: quæ, quoniam unam cum iis formam facere inepta eſt, per ſe quidem movetur, & ſuas periodos ſervat, interdum quidem manifeſte, quod tum accidit, quum & multa eſt, & principaliter peccat, ut plurimum autem latentius, quum ſcilicet ſubpeccat ipſa, & putredinem ex alio principio recipit: quibus igitur diebus cum motu aliorum humorum concurrit, acerbiſſimum paroxiſmum affert, porro & quoniam Criſis non fit, donec & ipſa non ſit digeſta, fit quidem, ut e melancholia tota ratio dierum in Criſibus præcipue pendeat per modum, quem jam afferemus, cujus rei non ab re fuerit in primis hoc exemplum apponere. Sit enim qui principaliter humor peccat, cholera, non quidem pura, ſed commiſta, commiſta autem cum phlegmate quidem ſub forma una, cum melancholia vero vicinitate ſola & confuſione, ſubpeccet autem melancholia, ac non multa, nec valde craſſa, ſed ſubtilior, & in ſumma quæ cito terminum dare poſſit: igitur putreſcente cholera, ſimul quidem & eadem die computreſcet & melancholia, moroſuſque ſatis erit paroxiſmus ille primus (utpote duorum humorum) ſecunda autem dies quietiſſima redibit, in qua nullus humorum motus fiet, at tertia paroxiſmum choleræ quidem ſentiet; Criſim tamen non faciet, tum quia ſtimulus nondum maximus, tum quia totum nondum digeſtum eſt: quarta autem dies motum habebit melancholiæ, ſed latentiorem, quia non multum eſt, quod tunc movetur de melancholia, partim quidem quia ſubpeccabat ſolum, partim quia putrefactio ejus quodammodo pendet a cholera, qua ceſſante in die quarta aliquem quidem motum dat melancholia ob concepta putrefactionis ſemina, ſed parvum, & latentem, quoniam origo & fomes putrefactionis quieſcit: quinta vero choleræ motum videbit, ſexta nullius: at vero ſeptima acerbiſſimum omnium paroxiſmum apportabit concurrentibus ſimul humoribus, qui peccabant, omnibus ac largius melancholia, quoniam ex alterius contagione & pulſu non parum motionis recipit: qua die quoniam & digeſta eſt melancholia; fuerat enim ſubtilis, & pauca, nata cito terminum recipere, continget etiam Criſis; ſtimulus enim acerbiſſimus in ea fit, & totum digeſtum eſt, in aliis autem diebus, aut ſtimulus abfuit, aut digeſtio.



CAP. X.

SED de his latentioribus paroxiſmis operæ pretium eſt nonnulla dicere. nam quærant fortaſſe aliqui, numquid latentes hoſce melancholiæ motus effinxeri-

finxerimus nos, an etiam perſpexerimus in morbis; ſi enim perſpeximus, cur & alii non perſpexere, non Hippocrates, non Galenus, & alii? ſi vero non perſpexerimus: quid effingi oportet, quæ non ſunt? ſi enim eſſent, viderentur utique. Ad quos dicimus non effingere nos eos motus, ſed in morbis eſſe & videri, ſi diligenter quis animadvertat, nec profecto dicere poſſem, quoties non ſolum ego conſpexerim, ſed & alios, etiam medicos ſenſiſſe viderim, admiratos dies illas, quas quietiſſimas exſpectabant, rediiſſe tamen inquietas, moroſas ægrumque jactari, & conqueri, neſcientes unde hæc contigiſſent. Interdum vidi & medicos alios, quod quartarios quoſdam motus in certis morbis percepiſſent, dubitaſſe, ne febris in quartanam deſineret, quum tamen nec quartana ſubſecuta fuiſſet, & ægritudo ſuo tempore abſoluta; ego vero qui prius motus hoſce conſideraſſem, nullum horum timebam, aut mirabar, quin ſæpe monui dies, quas illi quietiſſimas exſpectaſſent, moroſiores eſſe futuras. Quare & Hippocratem, & Galenum, & alios vidiſſe eoſdem motus exiſtimo, ſed fors ita tulit, ut ad cauſam non animadverterint, nam quid aliud monſtrant dies illi, qui indicativi dicuntur, qui omnes quarti ſunt a die, in qua Criſis perfecta futura eſt? quid aliud indicat totus progreſſus Criſium, qui non ſeptenarias, ſed per quartanarias periodos pergit, quarum duæ ſeptenarium unum faciunt? Hippocrates quoque quaſi rem iſthanc invenire videtur mihi, quum dicit quartanarios motus in morbis ſpectandos eſſe. Sed neceſſarium non eſt fortaſſe plura hac in re adducere, quum ab unoquoque ſpectari poſſit; quod ſi medici omnes facient, & rem ita eſſe videbunt, & magnum quoddam principium ad multa nacti erunt, & multa ſimul deſinent & admirari, & timere.

CAP. XI.

SED rurſus dubitare omnes jure poſſint, quoniam per præſcriptum quidem exemplum monſtrari fortaſſe poteſt, quomodo & quarta & ſeptima dies Criticæ ipſæ ſint, at quomodo & undecima & quartadecima, & vigeſima, & vigeſimaprima Criticæ ſint, demonſtrari quidem non poteſt. Nam per aſſignatum exemplum melancholiæ motus ſunt 4: 7: 10: 13: 16: 19: 22: 25: & 28: in quibus nec 11: nec 14. nec 20: nec 21: nec 27: locum habent. Ergo, quo pacto & hi quoque dies Critici ſint, exſpediamus. Primum autem illud præmittamus, melancholiæ modos & conditiones multiplices eſſe, ſæpe enim pauca eſt, ſæpe multa, interdum craſſior, interdum tenuior, modo tenacior, modo ſoluta magis, modo calidior, modo frigidior: ſimiliter ſe habet & cholera, ex hac diverſitate fit, ut putreſcente cholera quandoque ſimul & eadem die computreſcat & melancholia modo in initio paroxiſmi, modo in medio, modo in fine, quod tum maxime fit, quum & pauca eſt, & ſubtilior, & calidior magiſque admiſta choleræ; tunc enim in ipſam citiſſime tranſit infectio; interdum non ſimul & eadem die moveri melancholiam accidit, ſed ſecunda ſolum die, interdum & tertia ſolum, fortaſſe autem & quarta ſolum; in acutis enim morbis prima die motus ſit utriuſque humoris, acuti namque morbi a tenuiori, & pauca, &

ta, & calidiori materia fiunt, in tardis autem morbis, quos Chronicos vocant, quoniam craſſiorem illi, & multam, & tenacem, frigentemque materiam habent, moveri quidem melancholiam accidit nonniſi die tertia, & ſi materia craſſiſſima ſit, fortaſſe nonniſi quarta, in mediocribus autem morbis, quorum & materia media eſt quantitate, craſſitie, & aliis, die quidem ſecunda repit in melancholiam putredo; igitur ſi prima die quum cholera ſimul & melancholia commoveatur, quod in acutis fit morbis, quartanariæ quidem periodi erunt 4, 7, 10, 13. raro enim ultra hos protenditur ſtatus in acutis; ſi ergo quam acutiſſima ſit ægritudo, tum Criſis in 4. fieri poteſt, in his enim materia & pauciſſima eſt, & ſubtiliſſima, & fervens: ſi vero acuta quidem ſit ægritudo, ſed tamen inter acutas ſegnior, ad 13 protendetur ejus ſtatus: ſi vero mediocriter acuta ſit, ad 7. in medio autem quum ſit, qui mediocriter acutus eſt morbus, media autem ſæpius, quam extrema, contingant, inde fit, ut in genere acutorum dies ſeptima maxime Critica ſit, rarius enim eſt morbum quam acutiſſimum eſſe, rarius quoque, ſi acutus eſt, ut ad 13 perducat ſtatum; ſi tamen quandoque ad 13. prorogetur Criſis, totus dierum progreſſus ita ſe habet. Prima quidem dies triſtis eſt, & inæqualis, duos enim habet motus; ſecunda placidior redit, ſi non duplex ſit febris; tertia motum choleræ ſentit; quarta melancholiæ, ſed latentem, at moroſum tamen; quinta choleræ reverſionem videt; ſexta mitis pergit; ſeptima valde quidem acerba eſt, non tamen Criſim dat, quoniam non plane digeſtus eſt humor; octava ſuavior ducitur; nona gravior propter choleræ motum; decima latentem habet melancholiæ motum; undecima choleræ manifeſtum; duodecima placida eſt, at 13 ſæviſſima, & Criſim etiam affert, quoniam cum irritamento maximo digeſta etiam materia eſt, ut plurimum tamen in his morbis reſolutio magis morbi, quam Criſis fit in 13.

CAP. XII.

SI vero non prima die, ſed ſecunda ſolum, motum dederit melancholia, quod in mediocribus morbis accidit, tum quartanariæ periodi erunt 2: 5: 8: 11: 14: 17: 20: ultra autem rariſſime in mediocribus producitur ſtatus. Critici autem ſunt 11: 14: 17: 20: ſed unde cimus Criticus quidem eſt, ſi in hoc genere materia non multa ſit, & acutis proxima; ſi vero in eodem genere craſſior ſit, & chronicis vicinior, tum Criſis ad 20 protendetur; ſi vero in omnibus mediocris, ad 14. quoniam autem media ſæpius, quam extrema, contingunt, inde eſt, quod 14 maxime Critica ſit in mediocribus morbis, mox 11, mox 20, mox 17. illud tamen ignorandum non eſt in tertianis, quæ ſimplices ſunt, pares dies raro Criticas videri, eo quod in iis paroxiſmus non accidat, niſi anticipatio forte fiat, quare nec 4: nec 14 in his Criticæ valde videntur; quoniam tamen in tertianis ſæpe accidit, ut non ſimplices ſint, ſeu duplices, tum & ſæpe continuæ necnon

(1 2) (3 4 5) (6 7 8) (9 10 11) (12 13)

& an-

& anticipatio quoque paroxiſmorum contingat, ex his evenit, ut 14 dies multas videre Criſes conſueverit, ſimiliter & 20. Quæ vero in hoc progreſſu ſint lenes dies, quæ acerbiores, quæ acerbiſſimæ, ex ſubſcriptione manifeſtum eſſe poteſt.

1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.12.13.14.15.16.17.18.19.20.

At ſi tertia ſolum die motum recipiat melancholia, quod in chronicis morbis fit, in quibus craſſa valde, & tenax, & multa materia eſt, periodi quidem erunt 3. 6. 9. 12. 15. 18. 21. 24. 27. 30. raro autem ultra contingunt Criſes, maxime autem Criticus horum erit 21. mox 27, mox 15. ſi enim materia craſſa quidem, ac tenax ſit, pauca autem in eo genere, ad 15. ſtatus erit: ſi vero craſſa, ac valde multa, ad 27. ſi vero eo in genere mediocris, ad 21. quod idcirco ſæpius evenit, quoniam in medio eſt, quæ vero dies quietiores, quæ graviores, quæ graviſſimæ futuræ ſint, ex ſubſcriptione manifeſtum eſt.

1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.12.13.14.15.16.17.18.19.20.21.22.23.24.25.26.27.28.29.30.

CAP. XIII.

EX his omnia illa monſtrari poſſunt, quæ circa Criſes ſpectantur, ac primum illud, cur tam 20. quam 21. Critici dies ſint, in quo tantum Galenus laborat, menſem mirum componit, horas ſubtrahit: patet enim in mediocribus morbis 20. in chronicis 21. diem Criticam eſſe, utra autem Critica magis ſit, difficile certe eſt judicare, caſu enim fieri poteſt, ut aliqui plures in 20. aliqui plures in 21. Criſes perſpiciant: propter quod Archigenes magis 21. amavit, Hippocrates vero 20. magis. Illud quoque perſpicuum eſſe poteſt, cur dierum alii præſtent principatu, alii ſint principatu minores, & cur alii Critici ſint, alii non, alii medio modo ſe habeant.

Ergo inter omnes maxime Criticus dicebatur ſeptimus, quod idcirco fit, quoniam maxima Criſium pars in acutis fit morbis, in iis & ſtimulus ingens fit, & materia ſubtilis eſt, & bene mobilis, in acutis autem maxime Criticus erat ſeptimus, quoniam in medio eſt; ab hoc ſecundus principatu ponebatur 14. nam & ſi quartus, & 13. in acutis verſantur, rarius tamen eſt, ut morbus quam acutiſſimus ſit, rarius item ut in acutis ſtatus protendatur ad 13. quam ob cauſam 14 crebriores Criſes videt, quod in morbis mediocribus ſit, & in iis maxime Criticus exſiſtat: propter eamdem cauſam & 20: & 21: & 11 magis etiam Critici ſunt quam 4, & 13. Inter ipſos autem 20, & 21 ſuperant principatu undecimum, nam quamquam

unde-

undecimus ſit in mediocribus morbis rarius, tamen in illis fit, ut ſtatus acceleretur ad 11. Non Critici autem erant 6: 8: 10: 12: 16: 19: 22: 23: 25: 26: 29: ac 6 quidem rariſſimus Criſes videt, quoniam in eo neque choleræ motus fit (quum ſit par) neque melancholiæ, niſi forte in periodis tertiæ diei: at in illis ſtatus multo longior exſpectabatur; qua de cauſa in 6 criſes non fiunt, niſi forte aut paroxiſmus ſeptimæ anticipet, aut materia furens ſit, aut exuberantiſſima: in his enim quædam Criſes apparent in 6, verum illæ (ut diximus) proprie Criſes non ſunt, ſed violentiæ quædam magis, propter quod ſævus dici conſuevit is dies, quum Criſes dat, quippe quum illæ a prava materia fiant; octava quoque propter eamdem cauſam, quod nec choleræ motus, nec melancholiæ videt, niſi in periodis ſecundæ diei, Critica eſſe non poteſt; 10. vero motum choleræ non habet, qua e re fit, ut quamquam motum primæ diei habeat, non poſſit tamen Critica eſſe: at 12 & par eſt, & motum habet melancholiæ tertiæ diei, quæ ſerius ſtatum facit; 16 autem periodum habet primæ diei, ſed illuc non protenditur ſtatus in acutis morbis: conſimiliter & 19 motus habet primæ diei, unde nec ipſa Criſim videt: ſed neque 22 eadem de cauſa; vigeſima autem tertia periodum habet ſecundæ diei, ſed in morbis mediocribus dictum eſt ſtatum non protendi ultra 20: ad 25 autem tranſirent periodi primæ diei, ſi morbus non ante decerneret: idem de 26, & 29. dicatur. De vigeſima autem octava dubium apud antiquos fuit; multi enim prætulerunt eam 27, quod quidem verum eſſe poteſt, ſi forte melancholiam die ſolum quarta moveri accidat, ſic enim periodi erunt 4, 7, 10, 13, 16, 19, 22, 25, 28, 31. quem motum & nos ſemel obſervavimus in continua febre, in qua duplicis tertianæ correſpondentia fuit; acerbæ autem dies cæperunt eſſe 7, 10, in qua exacerbationes tertianariæ ceſſavere, abinde vero cum continua quartanarii ſolum nobis apparuere: ſæviſſimæ vero omnium dies fuere 22, 25, & 28, in qua æger ſupremam obiit diem. Medii autem dies erant 3, 5, 9, 13, 18: ac tertius quidem, & 5, & 9 ita ſe habent, quoniam in tertianis puris, & iis, quæ non puræ ſunt (habent autem formam unam) multę contingunt Criſes. 13 autem ad Criticos propinquus eſt (ut diximus) quoniam & impar eſt, & inter periodos primæ diei cadit: quare & ipſe nonnullas Criſes videt: 17 autem periodos habet ſecundæ diei, & in eo ſæpe Criſes etiam fiunt: at 18 periodum ſortitur diei tertiæ & quaſdam etiam Criſes dat, vel anticipantibus paroxiſmis, vel in duplicibus tertianis.

CAP. XIV.

INdicativi vero dies ſunt, in quibus materia non omnino digeſta eſt, proxima autem ut digeratur: quoniam vero natura, quoties irritatur, expulſionem nocentis tentat, inde fit, ut certis diebus Criſes quædam imperfectæ contingant, nuntiæ vero ejus Criſis, quæ perfecta futura eſt. Criſim quidem atque expulſionem tentat natura, quoniam ſtimulatur, imperfectam autem facit, quoniam non omnino digeſta eſt materia, quæ tamen quo-

niam

niam in parte digeſta eſt, in parte etiam exſperitur: propinquiſſima vero digeſtioni quum ſit, nunciat quidem in ſequenti periodo futuram eſſe perfectam Criſim, atque idcirco indicativi illi dicuntur dies, in quibus imperfectæ contingunt Criſes, propinquiſſimæ vero perfectis; omnes autem quarti ſunt a die perfectæ Criſis, quod apertiſſime monſtrat rationem Criſium a melancholiæ motibus potiſſimum dependere: quartus igitur nuntius ſeptimi eſt, undecimus quartidecimi, decimus autem ſeptimus vigeſimi, decimus octavus vigeſimi primi: vidimus autem nos & 8 indicativum fuiſſe undecimi in muliere tertiana febre laborante, cujus acerbiores dies fuere 2, 5, 8: erat enim mota melancholia ſecunda die: in 8 autem urina facta fuit ſanguinea, unde judicavimus in undecima Criſim futuram eſſe per menſtruum ſanguinem, quod non ſecus, atque exiſtimaveram, evenit, nihil enim prohibet & eos dies (qui ut plurimum indicativi ſunt) quandoque etiam principes in Criſi fieri.

CAP. XV.

DE natura igitur & cauſis Criticorum dierum ita quidem oportet exiſtimare, ad quæ ſi qui forte medicorum animadverterint, facultatem profecto nacti erunt in omnibus pene morbis dierum progreſſus noviſſe, quæ mites, quæ acerbiores, quæ acerbiſſimæ futuræ ſint: tum & quando, & quomodo, & quorum humorum futura, aut non futura ſit Criſis, & quando conveniat, aut detrahere ſanguinem, aut medicamenta ulla afferre. Verum diligentia opus eſt, & cura, anticipationeſque paroxiſmorum conſiderandæ, & dies multo ſtudio enumerandæ, & quid in unaquaque novi accidat: quare & contemplatio hæc, atque ars negligentis medici non eſt, aut ad lucrum evolantis, ſed ſolertis, & amantis philoſophiam. Eſt autem (ſi fieri poteſt) procurandum primam ægritudinis diem accepiſſe, quo recte poſſimus, quæcumque ſunt ſecutura diligentiſſime obſervare, prævidereque, ſi igitur circa morbi initia datum fuerit acceſſiſſe, ad hæc attendere cum oportet, qui ejus progreſſum noſſe volet; in primis videat qualis nam ægritudo oblata eſt, num acuta, an chronica, an mediocris, quod ex iis ſignis cognoſcet, quæ a medicis tradi ſolent; quod ſi acutam ægritudinem viderit, materiamque aeream & ſubtilem, ſiquidem cholera plura judicabitur, ad impares tantum dies animadvertat, neque enim in ea melancholiæ periodi ſperandæ erunt: at ſi non ſincera fuerit cholera, ſed ſordidior quodammodo, tum ſperari poterunt quartanarii illi motus, qui ordinem in Criſibus præbent; quare ad primum paroxiſmum adverte, ſi ſimplex eſt, ſi tempora ſervat ſua, an magis quamdam recipit diverſitatem; quod ſi circa augmenta, aut ſtatus, aut declinationem contrahi rurſus pulſus videatur, atque extrema frigere, ſuſpicio quædam eſt motam ſimul atque eadem die fuiſſe melancholiam: quamquam non neceſſarium id eſt, poſſunt enim hæc eadem, aut ex motu phlegmatis, aut ex alia portione choleræ provenire: verum quarta dies certitudinem eo in dubio dabit, ſi enim debente ea ſine febre fieri (ut in terminis) triſtem tamen apportaverit diem,

& oc-

& occultam quamdam ſine via cauſa ægro perturbationem immiſerit, magnum quidem indicium erit die prima motam ſimul fuiſſe melancholiam: quare inſpecta urina, & aliis digeſtionis ſignis ad ſeptimum animadverte, in quo aut Criſis fiet, ſi judicata in quarta fuerit, aut ægritudo ſolvetur, aut ſtatus erit.

Si vero dies prima nullum dederit ſignum motæ melancholiæ, videris autem materiam groſſiuſculam, tunc judica morbum ultra hebdomadam tranſiturum: quare nec 4 nec 7 curato, ſi opus fuerit aut ſanguinem mittere, aut pharmacari, neque enim is te teneat timor, ne impedias Criſim; ad ſecundam vero diem reſpice, in qua vide, ſi quicquam commoveatur, an nihil: quod ſi aliquid movetur, conſiderato, an clarus ſit paroxiſmus, & priori ſimilis (forte enim febris duplex erit) an magis latens fuerit motus, & ſine manifeſta cauſa triſtior, quo caſu & ad quintum reſpicito, ſi ſævum apportarit paroxiſmum, ſi longum, inæqualem, non humoroſum, ſed ſiccum, cum declinatione longa, moroſa: quæ ſi contigerint, dubitare nihil debes motam die ſecunda fuiſſe melancholiam; computa igitur periodos ſecundæ diei, & metire materiam, qualitatemque ejus, & quantitatem, ac digeſtionem, ſi enim mediocris in omnibus viſa fuerit, ad 14 protende ſtatum: ſi craſſa medio modo, at multa, ad 20: ſi acutior, & non multa, ad undecimum. Cognoſces autem & quæ quietiores, & quæ acerbiores dies erunt.

At ſi neque prima, neque ſecunda die ſigna ulla videris motæ melancholiæ, tum ad tertiam te converte, & materiam bene examinato: quod ſi notæ ullæ apparebunt, quæ ſuſpicionem dent ejus motus, tunc ad periodos tertiæ diei ſpectato: ſi igitur & 6, & 9 tibi reſponderint quartanarios motus ſervanti, tunc chronicam ægritudinem futuram time, & ſi materia craſſa quidem videbitur, mediocris autem quantitate, ad 21 decerne ſtatum: ſi vero multa, ad 27.

CAP. XVI.

QUoniam autem non ſemper advocari medicum ad initia morborum accidit, ſi quidem primas dies vidiſſe non dabitur, at percunctare tamen, quæ prima fuit dies, qualeſque reliquæ præteriere. Fortaſſe enim hoc modo periodos primæ, aut ſecundæ, aut tertiæ diei noviſſe poteris: nam ſi quartanarios ullos motus deprehenderis, facta ad diem primam ſupputatione videbis, cujuſnam diei illæ periodi ſint; quod ſi nec diem primam dare, neque aliarum ordinem æger ſciverit, aut qui ægro aſtant, tu tamen morbi motus obſerva, raro enim fit, ut re diligenter ſpectata non ſeſe offerant tibi quartanarii aliqui melancholiæ motus: quos ſi ullos videre poteris, conſiderato & ſigna digeſtionis, & propinquitatem ſtatus, & diſtantiam, necnon & materiæ qualitatem. Sic enim non modo futurorum, ſed & præteritorum etiam cognitor eſſe poteris, quemadmodum non multo, jam elapſo tempore contigit mihi: quum enim accerſitus ad ęgrum quemdam; multis poſt morbi inita diebus quæſiſſem, qua die primum ægritudo

inva-

invaſiſſet, neſcire ſe tum æger, & adſtantes dixere; tum quæſivi, quæ ſaltem graviores præteriiſſent dies heſterna inquit æger, & dies Martis graviores fuere; fuerat autem, quam heſternam dixerat, Veneris dies, quarta quidem a die Martis. Cognovi igitur melancholiæ motus illos fuiſſe, quum vero & urinam & reliqua ſigna digeſtionis examinaſſem, vidiſſemque, quamquam jam plures a prima præteriiſſent dies, ſtatum tamen adhuc longinquum, judicavi periodos illas Veneris, Martiſque tertiæ diei fuiſſe, quare & ægritudinem ad 27 tranſituram. Facta vero diei tertiæ computatione tandem compertum eſt ægritudinem die Martis primo incepiſſe, ac tunc decimam & nonam agi, quæ ſabbati dies erat.

m. m̃. i. v. ʒ. d. l. m. m̃ i. v. ʒ. d. l. m. m̃. i. v. ʒ.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Hæc ſunt, quæ circa Criticorum dierum cauſas & rationem longa primum diligentique inquiſitione nobis comperta ſunt, mox & re ipſa obſervationibuſque comprobata: quod & reliquos quoque medicorum facere & hortor & rogo: ſic enim (ut arbitror) & laborem noſtrum commendare, & me excuſare poterunt, ſi a parente medicinæ Galeno, quem in reliquis ut Deum veneramur, & colimus, hac una in re diſcedere auſus ſum.